


V
B
J
C

Ten tytuł
należy do T. II

ZODIACI
STELLARUM XII. SERIES AMBIENTIS MARIAM
SEU
COMMENTARIORUM IN SALVE REGINA CANTICUM
XII. MATRIS VIRGINIS SS. Titulos continentium, respondentium Sex præcipuis solemnitatibus ejusdem.

PARS POSTERIOR

Continens VI. posteriores titulos

AUTORE
R.P. MICHAELE GINKIEWICZ.
Soc. J.

GEDANI,
Impensis ÆGIDII JANSSONII à WAASBERGE.
Typis JOH. ZACH. STOLLII.

M Andreæ Lynie wiz



CAPUT PRIMUM

SALVE.

UNo verbo duo dicit, qui PATRONO SALVE dicit. (a) Salutando enim, Patrono comprecatur, sibi ab illo sperat salutem. Pulchrum est primum, jucundum verò secundum. Quid enim pulchrius dari, lætius aspici potest, atque cum gratia parit gratiam, parit autem reddendo, & expectando. Rectè Neronis Magister suo Lucillo: (b) *credamus*, inquit, *nil grato animo esse honestius*, omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt, in omni judiciorum diversitate, referendam benè meritis esse gratiam, omnes uno ore affirmabunt, in his discors turba consentiet. Hinc igitur in oriente toto natum & propagatum, ad magnum occidentem, Romanosque rerum Dominos transiit, ut sicut aves orientem solem. Ita gratitudo humana, salutatione matutina suos veneretur Patronos. Non immerito. Quemadmoolum enim volucrum natio à sole, lucem qua recreantur, calorem quo vegetantur, accipit: sic clientum turba, cum sub tutela suorum latet Mæcenatum, & valet, & calet. Quo genere officii quantum olim Romana ferveret civitas audi Epigrammaticum (c)

Prima salutantes, atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.

(a) *Senec. ep.* 83. (b) *Sentce. ep.* 83.
(c) *Martialis.*

Et proximè nominatus Seneca, (*d*) *Vulgare*,
fatur, & *publicum Verbum*, & *promiscuum ignotis*
Ave, *urbem concutit*, Enimvero Augustissimam
Magni Dei & saluatoris nostri parentem, occu-
pare ut Patronam officiis ardemus omnes, in
ejus perpetua fide & tutela latere, ambimus o-
mnes, proinde ut jam veniente die, jam dece-
dente sole illam debito colamus honore, discors
etiam turba consentimus. Qua autem norma
modoquè verborum eam à nobis consalutari
decebat, nemo docebat. Venit precentor de
cœlo Archangelus, & divinissimum, intonuit
Ave, & lætus excepit quatuor choris suis, &
quasi unius labii homo mundus; respondit, &
respondat nunc etiam Angelicum Ave. Expecta-
batur post Ave, Salve, & successit: venitque,
quanquam serius, non minus tamen dulce Sal-
ve. Hoc est illud cantatum & tanta per secu-
lorum volumina deductum, & conticescens
moriensquè nunquam, nec moriturum unquam
Salve. Hoc est Salve, quod Hermannus, (*e*)
dictus contractus, natione Suecus, natalibus co-
mes de Veringen, professione religiosus, mu-
nere Abbas Sangallensis, pietate, literisque in-
signis concepit atque invenit: Bernardus au-
tem Claravallensis, sanctitate & fama super æthe-
ra notus, complevit atque perfecit. (*f*) Cum
enim in Spirensi Ecclesia, veniente ipso cum
multo prælatorum & clericorum comitatu, il-
lud

(*d*) *Senec. l. 6. de benef.* (*e*) *Bzov. tom. 13. an.* 1239. *n.* 8. (*f*) *Petr. canis. in suo Marial. l. 5. c. 28.*

lud occineretur, poſtquè decantata illa verba ſanctisſima, Jesum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende, ſileretur, ô clemens! ô pia! ô dulcis virgo Maria, *ex ore & pectore Bernardi* velut ex ignea fornace, tres ignei & ſonori erupere globi. Inde amplius hujus cantici propagata religio, & velut arida materies plurimæ Eccleſiæ ſacram ſuscepêre flammam. Hoc eſt illud Salve, quod Gregorius Nonus, (g) anno Pontificatus ſui decimotertio, exagitatus Friderici Secundi Imperatoris furiis, ut tandem ope SS. Dei genitricis pax optata redderetur Eccleſiæ per omnem mundum ſua authoritate, certis divinæ rei horis ut adderetur ſanxit. Quid gratiæ huic ſacratisſimo ineſſet carmini, cœlum demonſtravit. (h) Refert enim gravis author Nauarrus in valle dicta Roncha haberi fontem unum peramœnum, adquem ſingulis diebus Sabbathinis, auditum Angelorum cantum, Salve regina concinentium, quare & fons Angelorum ab incolis loci meruit nuncupari. Sed & S. Franciſcus Seraphicus, (i) cum receptus jam in cœlum rogaretur ab infirma gravisſimè ut ſibi ope ſubveniret, author ei fuit, ut Salve regina recitaret; recitavit illud ægra, & convaluit. Soror Clementis Papæ IV devotisſima, dum publicæ hujus cantici adeſt modulationi, vidit (k)

(g) *Brov. ubi ſupr.* (h) *Navar. in manual. de orat. c. 19.* (i) *Bonav. in vita B. Franc. de liberatis à periculo partus.* (k) *D. Antonin. 3. part. Chron. tit. 2. c. 1.*

Reginam cœlorum tenentem brachiis filium, & cum ad illa esset ventum verba, Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende, eundem filium velut porrigentem atque offerentem. Et quo aut luculentiori, aut ampliori signo cœlum testari potuit, hujus Salve, virtutem ac gratiam? Narrat Appianus (l) apud Jorias fuisse miro quodam modo concinnatas statuas, quæ vento ad certam temperiem intrante, duas voces advenientibus hospitibus, nempe, Salve, Responde, resonabant. In negotio autem præsenti cæpit terra, edere & sonare Matri Virgini Salve, & respondit cœlum per cantum Angelorum, per consilia Francisci, per virginis apparentis placidum vultum: utinam verò & omnis terra cum suis incolis deinceps respondeat Salve: non tùm facile pax & justitia oras nostras relinqueret, illa umbram sui, ista pallium pro se substituens cum enim nos virgini subtrahimus, Salve, pax & justitia nobis dicunt ingratum vale, sicut & è contra, Salve virgini virginum iteratum cum sensu pietatis, vitiis & perturbationibus nostris adducit vale. Quo in genere, illustre quiddam narrat Abrahamus Bzovius; (m) cum Parisiis, aliisque in locis Patres & Fratres Prædicatores initio Ordinis, cornibus armatæ, igneis formis horridæ Dæmonum species infestarent, & jam die jam nocte publicam quietem violarent, adeò ut oporteret ex-

cubias

(l) *Appianus l.* 8. (m) *Bzov. ann. Eccl. tom.* 13. *ad ann.* 1220. *num.* 10.

cubias, ſuccedentibus aliis pro aliis continuas agitare: Patres de còmmuni conſilio Salve regina antiphonam dietim cantandam conſtituiſſe, indeque factum, ut inquies omnis Dæmonum infeſtatione excitata concideret, & vexati à ſpiritibus paci redonarentur priſtinæ. Nec verò audiendi Novantes, qui nihil in Eccleſia cani debere clamant, quod ſcriptura Sancta non contineatur: cum tamen eorum prius ſubulæ dein verbi divini magiſtelli, cantus ediderint & verſus, qui in eorum fanis profanis detonantur. *Nemo venenum* inquit (n) Septimius, *temperat felle & helleboro, ſed conditis pulmentis, & benè ſaporatis, & plurimum dulcibus, id mali injicit.* Licet illis ſua venena condire ſcripturâ non comprehenſis carminibus, & canæ fidei, & ſanæ veritati, non licebit bonum verbum in cômmodum publicum eructare? Nos venerandam ſecuti antiquitatem & pietatem, dicamus cum aſcendente, repetamus cum ſole deſcendente, Sanctum ac reverendum SALVE.

ARTICULUS I.
SALVE IMMACULATE CONCEPTA.

§ I.

DE matutinis & importunis ſalutatoribus pronuntiat Salomon. (a) *Qui benedicit proximo ſuo voce grandi, de nocte conſurgens,*

(n) *Tertul. libr. de ſpectac.* (a) *Prov. 27, 14.*

gens, maledicenti similis erit. Vigebat enim olim consvetudo in oriente, quæ deinde occidentem, adeòquè orbem implevit, ut clientes suis patronis antèlucanas portarent, atque insonarent salutationes, quas hic (*b*) Salomon vocat benedictiones de noctè consurgentium. Unde Seneca (*c*) de Roma, *matutina salutatio urbem concutit*: & alius.

Prima salutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia causidicos. (*d*)

Ut igitur, inquit Sapiens, nefas est hominem innocentem maledictis proscindere: ita quoque non est æquum, in aurem dormientis, officiosum quidem sed importunum Ave transfundere. Quod si vitalem somnum patientibus non licet Salve ingratum dare, quantò amplius dedecet, ferreum soporem habentibus, sive mortuis, Salve cantare? Quantumuis autem veteres, functi officio funeris, soliti essent, defunctis, Salve & vale conclamare, (*e*) id tamen non quà functis carmen iterabant. Nam salve dabant, animabus, à corpore seiunctis, & novum statum, morem, locum, domum assecutis, quas & vivere credebant vale autem cadaveri de terra sub terras abeunti. Porrò SS. Dei Genitrici persæpe. (*f*) Occinit Mater, Salve: effert se illa de terris in cœlos, & cantat, Salve: infert se de utero S. Annæ in fortunatas regiasquè cunas, & repetit Salve: ascendit in templum

(*b*) *Raban.* 27. *prov.* (*c*) *Senec.* 6. *lib. de benefic.* (*d*) *Mart. l.* 4. *epig.* 7. *in castigato.* (*e*) *Alex. ab Alex. dier. gen. l.* 3. *c.* 7. (*f*) *Ecclesia.*

plum præſentanda, aut purificanda, & cliens Patronæ congeminat Salve. An etiam eidem CONCEPTÆ dulce ſuum præſentat Salve? Certè, qui credit eam in primo animationis articulo, originali culpa oneratam, credit DEO mortuam, an autem mortuis animabus debetur ſalue? (g) Cœterùm cum Eccleſia votivam ejus conceptionem & ſolemni feſto, veneretur, & in ipſo feſto, ad initium incruenti ſacrificii, Salve Sanctе parens ei cantet, omninò ſine labe conceptam, vivam Deo, & non mortuam confitetur. Cujus authoritatem nos ſecuti, Salve immaculatè CONCEPTA, Salve cum gloria vitam inchoans, concinimus.

§ 2.

QUa in re vide qualiter Pater Filiæ, David Matri divinæ præluſerit quaſi in figura & in ſymbolo. Videntes aulici Regem ſuum à maligno ſpiritu torqueri, porrigunt remedium, ut quæratur Pſaltes (a) qui illi ſit ſolatio & lenimento. Et mox quispiam de illa circumſtantium corona, *ecce vidi*, (b) *inquit filium Iſai Bethlemitem, ſcientem pſallere fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum. Et Dominus eſt cum eo.* Ubi ſex encomia, ſane ſplendida, de Davide dici audis, quæ omnia in virgine ſanctè concepta rediiſſe conſpectius ac fulgentius licet contemplari. Atque ut incipiamus ab ultimo, DOMINUS ERAT CUM DAVID. In quo verò & quando?

 do?

(g) *Vide Salas. de concept. c, 33.*
(a) *Reg. 16.* (b) *Reg. 16. 18.*

do? respondet S. litera universaliter, (c) *adjuvit eum Dominus in cunctis ad quæ perrexerat.* Nititur Saul lanceâ eum configere, & non confixo, ait scriptura, (d) *timuit eum, videns quod Dominus esset cum eo.* Procedit in singulare certamen cum Gigante, & sternit eum (e) Cur autem? quia inquit Ecclesiasticus, (f) *Dominus illi dedit contra inimicos potentiam.* Namque ubi primùm unctus est à Samuele in domo paterna, additur, & directus est Spiritus Domini à die illa in David (g) & deinceps: Hebræus autem textus effert; & prosperavit. Jam verò â Patre ad filiam oculos retorquendo, quando MARIA sine Domino? Dominus tecum, (h) Angelus ei dixit salutando, sed nos quæramus, quando MARIA sine Domino? Describens Josephus certamen Davidis cum gigante, (i) *occurrit* inquit *Philistæo David juvenis cum Deo auxiliatore suo, qui ab hoste non videbatur, & emittens de fundibula petram, percussit eum in fronte, & usque ad cerebrum pertransivit.* Sic Josephus. An verò & virgo filia David non invenit Gigantem quem confecit? Gigantem ego & Maximum Gigantum voco originale peccatum, in omnes formidabile, in omnes potens, & similem illi Gigantem quem S. Antonius (k) M. aliquoties vidit, vertice cœlum, brachiis fines terrarum contingentem, & conantes in sublime evolare animas, quasi minutas volucres de

(c) *Paral.* 18. 6. (d) 1. *Reg.* 18. 12. (e) 1. *Reg.* 17. (f) *Eccl.* 47. 10. (g) 1. *Reg.* 16. 13. (h) *Luc.* 1. 28. (i) *Joseph. antiquit. Judaic. l.* 6. *c.* 11. (k) *Athan. in vita S. Anton. M.*

de alto dejicientem. Annon enim Adæ peccatum à pomo incipiens, ad cœlos usque crevit? & quantumvis sanctitate inclytos Patriarchas & Prophetas ante adventum Domini de cœlo in limbum Abrahæ deiecit? An etiam nunc occidentem orientemque & quatuor mundi plagas manibus non implet, quas ubi concutit, ruunt morbi, surgunt bella, fames oritur, pestis afflati mors grassatur, gemunt regna, sternuntur gentes. Cum hoc ergo terribili omnibus seculis Gigantè virgo congressa, triumphum reportavit, & in uno non decem, sed millia millium superavit. Quibus viribus? Davidis: quia Dominus erat cum ea, quia Deus auxiliator adstitit ei. *Adiuvabit eam Deus*, *canit* psaltes, (*l*) *mane, diluculo, Deus in medio ejus non commovebitur.* Quam verò adjuvabit Deus mane diluculo? in qua sese velut centrum in medio defiget? respondet ad literam interpretans (*m*) Genebrardus & alii, partem suam, Ecclesiam suam, quod nos sumus. Sed si Ecclesiam, quomodo non Principem & Matrem Ecclesiæ MARIAM Deus adiuvit mane, Deus comitatus est diluculo? Ita ut sanctificaret tabernaculum suum super omnia tabernacula, non solum mane, sed ante omne mane? & sanctitate originali cumulatam immobilem ab omni actuali lapsu servaret? S. Augustinus Davidis certamen expendens, *intellexit* inquit (*n*) *Saul cum videret audentem puerum, aliquid divinitatis in eo esse.* Ubi quasi causa

(*l*) *Psal.* 45. 5. (*m*) *Genebr. in Ps.* 45. *Bell. ibid. Lor.* (*n*) *S. Aug. in Genes.*

quædam innuitur, cur Dominus fuiſſet cum David, quia aliquid divinitatis erat in illo. In virginem antem non aliquid, ſed tota divinitatis plenitudo ſeſe infudit. Probans Angelicus Doctor, (o) non ſolum omne mortale ſed etiam venàle peccatum à virgine Matrè abfuiſſe, hanc tertiam aſſignat rationem, *quia inquit ſingulari modo Dei filius, qui eſt Dei ſapientia, in ipſa habitavit, non ſolum in animo ſed etiam in utero.* Dicitur autem (p) *in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sic ille. Sed ſi ſapientia Dei ab habitaculo ſuo arcuit veniale peccatum, quantò magis mortale originale! nam illud non conſtituit iræ divinæ officinam, neque aram dæmoniorum, originale verò, utrumquè. Rectè proinde Doctor melliſluus, (q) *prius* inquit *MARIAM altiſſimus quaſi mundum ſpecialiſſimum ſibi creavit, quam in juſtitia & ſanctitate fundaret.* Cæterùm ſi MARIAM ſibi Deus non ſolum ut Tabernaculum, ſedetiam ut mundum, non qualemcumque ſed ſpecialiſſimum, proinde mundiſſimum creavit, quomodo Goliath infernalis, (ſic originale nefas voco) in ipſa conſtitit, ejuſque velut caput obtrivit, ſi originem corrupit? Quid quæris in virgine maculam & juſtitiæ abſentiam, quæ non ſolum conſumata & conſtituta, ſed etiam fundata eſt in juſtitia & ſanctitate? (r) In latibulo ubi cubat unicornis non poteſt ſubſiſte-

(o) 3. *part. qu.* 27. *ar.* 4. (p) *Sap.* 1. 4.
(q) *Ben. de S. MARIA.* (r) *Beda, in Pſ.* 77.

ſiſtere animal venenatum, & tabernaculum ſuum unicum, & mundum ſibi ſpecialiſſimè creatum, immundum eſſe ſineret Dei filius? Salve igitur Gigantei peccati victrix, quæ una originis tuæ claritate & gloria, opprobrium ex Adamæo genere abſtuliſti.

§ 3.

SEcundum Davidis encomium, celebratum, (a) *ſciens pſallere, ſive ſciens cytharæ.* De hoc ita S. hiſtoria: (b) *quandocunque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & levius habebat, recedabat enim ab eo Spiritus malus.* Unde autem vis tanta Davidi in Spiritum, qui uni Deo ſubeſt? Aliqui hoc rejiciunt in cytharæ pulſatæ virtutem, (c) quaſi diſcuſſa melancholia, tanquam ſede Sathanæ, eundem cedere cogebat. Sed Dæmon non eſt avis, ut diſcuſſo nido avolet. Alii in ordinationem Dei, (d) ut, ad tale ſignum, ſcilicet Davidicæ citharæ ſonum, cruciare Saulum ceſſaret. Melius addunt tertii, quia David manu citharam pulſabat, voce autem & Spiritu interiori, laudes Deo concinebat. Potens cytharædus & non habens ſibi parem! utpote qui voce ſua & manu, Deum Sauli iratum placabat, regem ab ægritudine ſolvebat, Spiritum potentiſſimum Sathanæ à Saule ejiciebat! In virgine porrò filia Davidis, ne quære citharam, quæ tota cithara,

 pſalte-

(a) 1. *Reg.* 16. 18. (b) 1. *Reg.* 16. 23.
(c) *Liran. in* 1. *Reg.* 16, (d) *Dion. Cart. ibid. Menoch. ibi.*

psalterium, harmonia est. Res ritè ordinatas, & in suos gradus distinctas, citharas dici in comperto est. Greg. Nazianzenus mundum vocavit citharam, (e) eo quod ordinata rerum superiorum, mediarum & inferiornm specie, & regulatis temporum voluminibus constaret. Aliquis Romanornm (f) ad publicum fontem (g) Romæ 4 appendi fecit citharas indicans Rem Romanam ordine quadruplici, scilicet duorum Consulum, deinde Patrum conscriptorum, tum Equitum, denique Quiritum componi & perstare. Jobus cum videret oeconomicum suum ordinem, absumptis filiis, interfectis servis, abactis gregibus, artubus defluentibns, solutum esse, *versa est* inquit *in luctum cithara mea*, (h) & organum meum in vocem flentium. Jam verò, virginum Reginam qui ordinatam pulcherrimè, & ordinantem suavissimè contemplatus fuerit, quis cytharam plusquam Davidicis instructam chordis eam pernegabit? Ab æterno ordinata sum vox est ejus. (i) Quomodo verò & quali ordine? æternæ justitiæ ac Sanctitatis. In cithara originalis justitiæ, sic erunt in homine compositæ, dispositæquè chordæ, (sic vocat Gregorius, (k) membra, sensus, potentias in homine) ut sensus animæ, anima rectæ rationi, ratio primo rerum principio & motori subderetur. At hic ordo, hæc harmo-

(e) *Nazian. orat. de Trin.* (f) *Pier. in hierogl. l.* 47. (g) *Ambros. verbo Puteal.* (h) *Job.* 30. 31. (i) *Prov.* 8. 23. (k) *Greg. l.* 20. *c.* 30. *in Job.* 1. *part.*

harmonia in ſerie totius Virginalis vitæ ſpectata ſunt. Ad inſolitam Archangeli ſalutationem turbata eſt inquit Bernardus, ſed non perturbata: (*l*) inventa à S. Joſepho gravida, & habita ſuſpecta, non tamen mentè confuſa eſt. Fugit in Ægiptum, inquit Gloſſa, (*m*) ſed patientia non excidit, à ſe non receſſit. Albertus M. inter quatuor modos impeccabilitatis, eſſe & iſtum (*n*) *quartum docet. Quando aliquid habet conjunctionem ad naturam invertibilem* (pono verba ejus) *per medium, quod ſecundum naturam ſuam in ſe quidem eſt ſeparabile, ſed tamen quia omninò eſt ſeparatum á contrario repugnante, vel reſiſtente vel impediente, propterea in tali ſubiecto eſt inſeparabile in ſummo*; & addit, *hoc modo dicitur B. virgo non poſſe peccare.* Quodſi virgo fuit in ſummo inſeparabilis à gratia, & recto ordine juſtitiæ, an in ea locum ſe parans à Deo peccatum primævum invenit? quod ſequitur nullus ordo & perpetuus horror? Aſpi e paſſionem filii: hæc quomodo in omnibus diſcipulis ordinem confudit, & ſeparationem adduxit? Virgo autem juxta crucem ſtabat & à pacis internæ harmonia, & à rectæ rationis uſu, & decoro non recedebat. Nam inquit Seraphicus doctor, (*o*) licet in MARIA aquæ inferiores, id eſt, vires ſenſitivæ fortisſimis fuerint concuſſæ ventis in filii ſui paſſione: ſuperiores tamen aquæ, hoc eſt vires, (puta intel-

(*l*) *Bern. Ser. 2. miſs.* (*m*) *Gloſſ. in c. 2. matt.*
(*n*) *Alb. Magn. in Morial. c. 175.*
(*o*) *Bonav. in ſer. de R. V.*

intellectus & voluntas) à sua non sunt pace permotæ. Altera phrasi versa fuit in luctum tunc cithara virginis. Sed non ruptæ aut dissonantes factæ chordæ. Sed, quomodo cithara bona, semel benè temperata manet temperata, sive lætum sive triste canticum resonare placet: sic virgo nec secundis elata est, nec tristibus deiecta est rebus. Cum igitur virgo effectus originalis sanctimoniæ habuisse cernitur, quis illi ipsam radicem originalis justitiæ subtraxerit justè? Jam verò, vide ut ordinata hæc cithara, ordinans alios ad Deum effecta? *In perfectè ordinatis*, docet M. Albertus (p) *ad majorem potentiam sequitur major scientia, & ad majorem scientiam major operatio*. Non dubitamus verò in virgine potentiam ac scientiam præcedere Sanctorum potentiam & scientiam, cum videmus & quia videmus à nullo Sanctorum tot fractas reparari tot ruptas innovari, tot remissas intendi, tot male temperatas ad concentum dulcem reduci citharas non solum hominum, sed etiam urbium & regnorum, imò & seculorum, unde illæ Patrum concinentium de ipsa voces. S. Germanus (q) vocat eam *collectricem malè consonantium, conjunctricem jam olim disiunctorum*. S. Bernardus de incarnatione Dominica agens in utero virginali perfecta, *ibi* inquit (r) *agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo, subdita, profundita*

(p) *M. Alb. in Marial. ubi supr.* (q) *de præsent. B. V. Germ.* (r) *Bern. hom. 2. sup. Missus.*

ditas plana ibi agnoſcitur lux non lucens, Verbum infans, panis eſuriens, aqua ſitiens. Hæc igitur quæ diſſonantiam oppoſitorum in verbo incarnato operata eſt, harmoniam & cœleſtem concentum in hominibus quoque ad Deum præcipuè conciliat. Quare meritò dicta eſt oratio pulchra hymnographorum omnium: (s) hoc eſt argumentum ſacri poëmatis, quod calami Doctorum aut etiam ora eorum concelebrant: vel certè ſic ordinatum à Deo carmen, ut laudi, & admirationi ſacris viris ſit ſemper. Andreas Jeroſolimitanus dat hujus cauſam: *quia tu es* inquit (t) *orgauum lætitiæ, per quod delicti noſtri condemnatio expiata eſt, ac Veri gaudii plena compenſatio facta.* Ex his concludere licet, ſicut cithara Davidis, ipſa maligno ſpiritu nunquam tacta atque afflata, ab aliis eum diſpulit: Sic virgo cithara Chriſti, ipſa in ſe ritè ordinata ac reſonans, ſemper, aliorum citharas malè conſonantes ad concentum reduxit gratiæ, & reducit.

§ 4.

TErtium Davidis encomium, VIR FORTISSIMUS ROBORE. (a) Hoc verò deſcribens Eccleſiaſticus, (b) *cum leonibus*, fatur, *luſit quaſi cum agnis*, & in urſis ſimiliter. Luſus iſte, pugnat erat. Nam in utraque literatura non raró, ludere, pro certare ſumitur. Surgant pueri & ludant habes in libro regum, & pueri

(s) *Ephr. de laud. B. V.* (t) *Andr. Jeror. in ſalut. Angel.* (a) *1. Reg. 16. 28.* (b) *Eccl.* 47. 3.

(c) & pueri 24 ſic luſerunt, ut mutuo in viſcera demerſis gladiis, ludere non potuerunt. Horatius autem Martem alloquens, *heu nimis longo ſatiate ludo.* (d) Et credo ego prima in mundo bella, vocata fuiſſe ludos, quia tunc ut teſtatur hiſtoricus de gloria certamen fuit, (e) deinde autem avaritia atquè ambitionè ſua ſigna inferente, certatum de latiori poſſeſſione. Porrò virgo Potens, alios à David habuit quos domuit leones & urſos, in longè terribilioribus debellandis beſtiis oſtendit ſuum robur. Leones & urſi noſtri, ſunt paſſiones internæ, & maximè duæ, altera concupiſcentia carnis, altera ira ſitiens vindictæ. Has qui fregit, ſupra Davidem victoriis inclytus ſtetit. Multis imperavit ſua cupiditas, ſub te ſit hoſtis tuus, (f) & ſubtus ſe eum egerunt: ſub te ſit rex vicinus, & eum ſubegerunt. Clamat verò rerum natura de mundo, clamat Angelus & Deus de cœlo, ſub te ſit appetitus tuus, & tu dominabere illi, & tamen ſubigere eum non poſſumus. Viro patienti & forti in adverſis Eliphas Themanites ſex privilegia promittit, & claudens ea ait, (g) *beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi, & ſcies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* S. Gregorius ſuper hæc verba, *per beſtias* inquit (h) *terræ poſſunt motus carnis intelligi, qui dum mentem noſtram irrationabilia ſuadendo laceſſunt, contra nos beſtialiter inſurgunt.* Et

(c) 2. *Reg.* 2. (d) *Horat. l.* 1. *carm. ode.* 2. (e) *Juſtin. l.* 1. *hiſt.* (f) *Geneſ.* 4. & 7. (g) *Job.* 5. 22. 23. (h) *Greg. lib.* 6. *c.* 16. *mor.*

Et deinde ſubdit. (*i*) *Quis enim in hac corruptibili carne ſubſiſtens, has terræ beſtias plenè edomat? Pax plena tunc erit, cum mens noſtra nec ignorantia cæcatur, nec carnis ſuæ impugnatione concutitur.* Cum eſſemus in carne docet Apoſtolus, Romanos, (*k*) paſſiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris ut fructificarent morti. Ex quibus verbis diſcis truculentiam & contumaciam harum beſtiarum in carne noſtra ſtabulantium. (*l*) ipſæ enim ad peccandum provocant, ipſæ per legem vetantem, amplius efferantur, ipſæ tumultum in membris contra dominium rationis ſuſcitant: ipſæ cum pariunt, mors catulos earum ſibi velut fructus ſuos venenatos repetit & vendicat. Ipſæ rugiunt inquit (*m*) Gregorius cum tentant, mordent cum ad conſenſum pertrahunt. In ſtatu innocentiæ, omnis natura fuit Adæ ſubiecta & pacifica: quia ſcilicet beſtiæ interiores. Ut appetitus concupiſcentiæ & iræ ſilebant perfectè. Certè & nunc proximus ille cœlo eſt. Et vicinus ac aptus Deo, qui hoſce leones habet edomitos. Veni de Libano ſponſa mea, (*n*) veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vortice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Evocatur inquiunt authores (*o*) ſponſa de Libano, hoc eſt de Jeruſalem militante ut beata tranſeat ad gloriæ coronam, tanquam matura

(*i*) *Idem ibid.* (*k*) *Rom. 7. v. 5.* (*l*) *Juſtin. Corn. à Lap. 16.* (*m*) *Greg. l. 6. c. 16. moral.* (*n*) *Cant. 4. 8.* (*o*) *Menoch. ibi Cor. Tirinus ibi.*

matura viro Christo, tanquam nubilis & perfecti decoris. Horum autem omnium indicium est, quia in montibus arduis, in eminentia virtutum, leones, scilicet passiones suas ad obedientiam & pacem revocavit. Jam verò robur virginis in suos leones & ursos intuere. Toto vitæ tempore, non est passa rebelles spiritui motus nunquam passiones ejus fructificârunt morti. Bestiæ terræ sic morabantur in ea, quasi non essent. Hujus autem optimum argumentnm suggessit (*p*) Gregorius. Tunc inquiens pax plena à bestiis terræ erit, cum mens neque ignorantia cœcatur, nec carnis suæ impugnatione concutitur. In virgine autem utrumque signum refulsit. Primnm probat M. Albertus. *Cognoscebat* inqtit (*q*) *MARIA perfectè & intuitivè animam suam, & animæ suæ motus & actiones: Angelos, Dæmona, & corporum substantias; ac demum omnia naturalia, omnia item bona & mala.* Et alibi, (*r*) in conclusione decima universim pronuntiat, MARIA nullius rei propriè habuit ignorantiam. Secundum autem patet ex Bernardo dicente, (*s*) omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina, tu in medio aquarum divisisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum, ab affectibus temporalium, in quæ passiones feruntur scilicet. S. Hieronymus in titulum psalmi 55 commentans, (*t*) vocavit Davidem, *columbam mutam*

Colum-

(*p*) *Greg. l.6 c. 16. in Job.* (*q*) *Alb. in Marial. c.* 149. (*r*) *Alb. M. c.* 141. *in Mar* (*s*) *Bern. in Salve ser.* 3. (*t*) *S. Hier. in ps.* 55

Columbam quidem, quia ut explicuit (u) Glossa, caruit felle amaritudinis, muta autem Secundum Vatablum, quod Dei volnntati omnia commiserit, nihil suis adversariis respondens, Quod erat signum, addo ego iracundæ & ultricis subiugatæ passionis. Virgo verò filia David, quære quantum afflicta, & exercita à vicinis, ab Ægiptiis, à Herosolimitanis! & tamen semper muta columba. Credo ego à prima habitatione in templo passa est contradictiones multas, sicut & ejus filius, attamen sine felle amaritudinis, cum patientia taciturnitatis nihil respondens columba. Rursus, optavit David, (w) *quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam.* Lorinus noster extulit, (x) *quis mihi dabit ut sim columba innocens:* Origines, (y) *quis mihi dabit pennas puritatis, ut sim spiritus velut purus à carne separatus?* Et hoc votum, consecutus est David post bellum finitum Absolon, quando ab usu uxorum decem se ipsum sequestravit. (z) Et hæc est altera leonum & bestiarum nobis insitarum victoria. Virgo autem in genere puritatis Angelos etiam ipsos superavit, quia in ipsa impletum est illud grande miraculum, *habitabit juvenis cum virgine, & leo cum ove.* (aa) Nam nupta mansit innupta, & convivens viro, mansit intemerata, (bb) vel à desiderio mariti. In viro

(u) *Glossa. ibi. Vatabl. in psal.* 55. (w) *Psal.* 54. 7. (x) *Lorin. ibi.* (y) *Orig. h.* 27. *in Levit.* (z) 2. *Reg.* 20. 3. (aa) *Isai.* 62. 5. (bb) *Isai.* 11. 8.

viro virum nec vidit, quæ dixit, virum non cognoſco. (*cc*) Cum igitur urſus concupiſcentiæ carnalis, & leo iracundiæ ultricis verbo, cum omnes beſtiæ terræ ſcilicet paſſiones inſitæ fuerint in virginè domitæ, & nunquam reluctantes, oportet fateri innocentiam quoque primi ſtatus fuiſſe illi conceſſam. Sic autem muta & pura columba, utpote leones frenans, & urſos elidens, facta eſt fortium Domina, ſicut David Pater ſuus factus eſt 30. fortium Princeps, (*dd*) & ipſi ſupplicat in terram procumbens Eccleſia & dicit, nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos: mites ut columbas mutas, caſtos ut columbas in ſolitudine procul ab accipitre degentes, & in tuto latentes.

§ 5.

QUARTUM Davidis encomium, VIR BELLICOSUS. (*a*) Res mira, nondum David turrem carneam ut vocat S. Chriſoſtomus (*b*) Gigantem ſtraverat, nondum bella geſſerat, & tamen vocatur vir in juventute, bellicoſus in pacè. Nempe quia indoles bellica, & animus Martius in eo emicabant. (*c*) Porrò bellandi virtus, & fortuna, deinde ſæpe eluxit, maximé tamen in duobus bellis quæ finivit, alterum contra Jebuſeos, (*d*) quorum arcem hactenus invictam cæpit, & reliquias Jebuſeæ gentis eradicavit, alterum contra Philiſtæos, viris armiſque

(*cc*) *Interp in pſal.* 54. (*dd*) 2. *Reg.* 23.
(*a*) 1. *Reg.* 16. 18. (*b*) *S. Chriſ. hom. de David.* (*c*) *Tirin. ibi.* (*d*) 2. *Reg.* 5. 7.

misque potentes, & munitissimis urbibus instructas, & duros Israël domitores. Dicitur enim *humiliâsse Philistæos, & tulisse TRIBUTUM freni de manu eorum.* (e) Quod Abulensis (f) intelligit de tributo freni quod Israëlitæ pendebant Philistæis: Josephus (g) autem, Serrarius, & Salianus interpretantur de aliis item tributis duobus, uno, quia David expugnavit urbem Philistæorum præcipuam quæ vocabatur, tributum freni, (h) & hæc erat urbs Geth. altero, quia onus tributarium sibi vice versa semper pendendum Philistym imposuit sicque eos velut equum sessori, (i) Israëli subiecit. Jam verò, non unius, sed omnis gentis, quæ cœlo subest quis est hostis tenacissimus, & quasi Jebusæus & Philistæus pertinax, qui armis gravat, & freno tributi arctat? Dico clarè, fomes peccati. Velis nolis habitat in te Jebusæus inquit Bernardus: (k) & alius, Philistym etiam Samsones gravant. Apostolus de se, sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. (l) Nomine legis repugnantis mentali legi, passim intellegitur, hic fomes peccati: qui & funem captivis injicit, (m) & pede omnem membrorum nostrorum apparatum obterit, & quasi vestigio impresso consignat. Unde

(e) 2. *Reg.* 8. 1. (f) *Abul. in* 2. *Reg. c.* 8. (g) *Joseph. in antiq.* (h) *Serrar. in* 2. *Reg. c.* 8. (i) *Sal. in Epit. An. mundi* 2991. *n.* 2. (k) *Bernar. in Sent. Glossa, in c.* 15. *Jud.* (l) *Rom.* 7. (m) *Ambr. Chrisost. Justin.. Tir ibi. S. Th.*

de Ambrosius ut solet elegantissimè. *Serpens* inquit (*n*) *id est Diabolus in auribus Adæ & Evæ semitam fecit: fecit & in pedibus quibus interdictum fuit iter ad arborem fecit & in manibus, quibus contacta sunt poma: fecit & in lateribus, dum in eis non ut fuerant concessæ, celebratæ sunt nuptiæ &c.* Porrò filii Evæ, hæreditamus vestigia & semitas ac cauterii stigmata à Matre. Cœterùm in virgine hæc lex peccati cessavit: in ea exactor tributi pudendi non constitit, ipsa frenum in corde, ore, opere non tulit. Ubi nos legimus directus est Spiritus Domini in David, (*o*) postquam unctus est in regem, 70 efferunt, insiliit, (*p*) scilicet quia tunc David specialius ut equus sessori, sic Deo directori parere cœpit (*q*) At idem Spiritus ubi anima virginis in corpus suum, statim ipse in animam virginis insiliit, & providentiæ suæ veluti freno eam circumegit semper. Et verò Spiritus Domini qui in tenerum regem Davidem insiliit, & resiliit in adulterio Davidis: Spiritus autem Sanctus qui semel, semper virginem tenuit ac rexit. Fomes peccati, sive concupiscentia corrupta vocatur peccatum. Non regnet peccatum in corpore vestro mortali monet Apostolus, (*r*) hoc est concupiscentia non nimis in vobis imperet. (*s*) Vocatur autem illa peccatum quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat inquit Tridentinum. Adver-

(*n*) *Ambr. inc. 30. prov. c. 5.* (*o*) 1. *Reg.* 16.
(*p*) 70 *versio.* (*q*) *Glossa ibi.* (*r*) *Rom.* 7.
(*s*) *Hier. S. Th. Aug. ibi.*

vertit autem ſagaciter Richardus Victor: S. Paulum de ſe ita loqui: (t) *jam non operor illud, ſed quod inhabitat in me peccatum*, hoc eſt concupiſcentia. Quando verò loquitur de aliis, ſatis habuit dicere, *non regnet.* Et exclamat Richardus, *ſoli iſti ſingulariter datur, ut peccatum in corpore ejus inhabitet.* Ergonè virgo nihil ſuper Paulum in hoc nacta eſt? In nobis regnat, in Paulo habitat, in virgine nec ſtetit hoc peccatum. S. Bernardus cum ordinâſſet, ſic ut Eccleſiam infra, virginem ſupra, tandem in ſummo Chriſtum, collocaret, *mulier* inquiens (u) *inter Solem & Lunam, MARIA inter Chriſtum & Eccleſiam*: paulò poſt infert, *nam & defectus omnis ſub ea, & quicquid fragilitatis & corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate præ cæteris omnibus excellit, ut meritò ſub pedibus ejus Luna dicatur.* At fomes peccati torris eſt incendii, defectus gravis, corruptio optimi, fragilitas fortis, ſive validi olim: tyrannus ſententiarum Magiſtro, (w) innatus dæmon Baſilio, (x) Lerna multiceps (y) Chriſoſtomo, lacus miſeriæ, lutum fæcis Auguſtino, (z) ſeminarium Sathanicæ multiplicis malitiæ aliis. Meritè Richardus (aa) ſupranominatus, explicans illud pſalmi, auferens bella usque ad finem terræ, nomine terræ

(t) *Trid. ſeſſ. Rich. l. 2. c. 31. de Emman.* (u) *Bern. ſer. ſign. magnum.* (w) *Magiſt. ſent l. 2. Sent. diſt. 30.* (x) *Baſil.* (y) *Chriſoſt.* (z) *Aug. in pſal. 39.* (aa) *Rich. de Emman, l. 2, c. 29.*

ræ à bellis vacuæ Sanctam Matrem interpretatur, in qua nec arcus tentationum fraudulentarum, nec arma violentarum motionum sirepuerunt, (bb) De aliis dictatur, conturbatæ sunt gentes propter impetus ferocium passionum: inclinata sunt regna propter fomitem universalem ad peccandum frangentem, susceptor tamen MARIÆ bella, MARIÆ in omni terra sustulit. Cantetur M. Magdalenæ, (cc) *celebra festivitates tuas, quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial, universus interiit.* quia de ipsa Petrus Blesensis, scripsit, (dd) *quod virtute charitatis & pœnitentiæ in se senserit extinctum peccati fomitem: qui fuit in ipsa*, habitavit, & transiit, sed ut rediret, ut rursus animam ejus pertransiret, suppressus est. In te autem ô virgo, nec transiit nec pertransiit, nec ut rediret adjecit Belial, Belial concupiscentia. Belial fomes peccati, ubi tu vivere cœpisti, interiit. Voco autem fomitem peccati Belial, quia ipse ut ait Sanchez, (ee) *est freni impatiens, jugum excutiens, obedientiam detrectans, pestilentiam afflans.* An autem hunc sustulisse Belial parum bellicosi pectoris est opus? Intolerabile certamen, exclamat Archidiaconus Blesensis (ff) cum accingitur homo contra seipsum. quam difficilis victoria, ubi idem vincit & vincitur! Dubitas fortasse? proba te ipsum Mone

(bb) *Anon. in psal.* 45. (cc) *Nahum.* 1. 15 (dd) *Blesen. ser. de B. M. Magdal.* (ee) *Sanch. in c.* 1. *Nahum. num.* 65. (ff) *Bles. ut supr.*

Monet te Pythagoras, (gg) ignem gladio ne fodias, & tu benè ſcis ignem fodere peccatum in te & in aliis quaſi dormitans, excitare. Cum autem dicitur, fomitem peccati non alas, ſed extinguas: heu ſortem mortalium miſeram! omnibus eleemoſynis, orationibus, jejuniis, neſcio, an perficies! Fuge ad virginem quæ frenum Philiſtæo injecit, ut ſaltem inhabitet, & non regnet in te peccatum.

§ 6.

QUintum Davidis encomium, (a) PRUDENS IN VERBIS. Divinam in verbis Davidicis reluxiſſe prudentiam triplici ex capite colligitur: quia ſcilicet verbum ejus ſic venerabile ſacrumquè ſonuit, ut ſacrificium: quia, exceptis duobus, omnes ejus actiones & opera, erant reſonans confeſſio, excelſam divinitatem & ſanctitatem, denique quia in genere placandi & intercedendi apud Deum, efficaciſſimum. Primum habemus ex illis verbis Thecuitis pro reditu Abſolonis interponentis ſeſe: (b) *fiat verbum Domini mei Regis ſicut ſacrificium.* Et vide veritatem: ore, manu, ſaxis fugientem à facie Abſolonis maledicit Davidem Semei, (c) in quem fremit & ultionem parat miles, at David: Dominus præcepit ut malediceret David. Q. d. ego quidem ſentio me cædi verbo, uri maledicto, tamen hoc totum ut patiens victima quam Dominus ſic exerceri decrevit, ſuſti-

 neo.

(gg) *Pythag. ſinboly.* (a) 1. *Reg.* 16. 18.
(b) 2. *Reg.* 14. (c) 2. *Reg.* 16. 10.

neo. Secundum eruimus ex Ecclesiastico, (d) *dedit confessionem David Sancto & excelso, in verbo.* Ubi Rabanus, (e) omnia facta sua non in suam, sed in Dei retulit gloriam, juxta illud, (f) eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Tertium item patet, ex illis verbis. Educto de vagina pestilentiæ gladio cœdit populum Angelus, David hoc videns exclamat. (g) *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi, isti qui oves sunt quid fecerunt?* & mox gladius recepit se in vaginam, dicente (h) propitiato Domino, contine manum tuam. Unde scriptura. (i) *Invocavit David Dominum, & exaudivit eum in igne de cœlo super altare holocausti,* quod erat signum inquit Glossa, (k) ita preces & victimam Davidis placuisse Deo sicut hostiam justi Abelis, (l) quam de cœlo inflammavit, ignisquè de cœlo lapsus consumpsit. Jam verò verbum Virginis Matris vis videre ut pondus sacrificii? nullum thymiama illo suavius & sacratius erat: sed maximè quando juxta crucem stabat, tunc ore tacens: corde clamabat & sacrificabat jam filium, jam se ipsam in hostiam beneplacentem æterno Patri offerens. *Tunc* inquit (m) Arnoldus, *matre supplicante, filio interpellante, patre propitiante, filius ad pectus matris & ubera, Pater ad filii cru*cem

(d) *Eccl.* 47. 9. (e) *Rabanus ibi.* (f) *Psal* 44. v. 1. (g) 2. *Reg. ult.* (h) 2. *Reg* 24. 17 (i) *Paral.* 21. 26. (k) *Glossa ibi.* (l) *Serar ibi Menoch. Tir.* (m) *Arnol. Carnot. in tract. de laud. B. V.*

cem & vulnera respiciebat. Et quid inter tanta pignora non moverent? Ut autem virgo Excelso & Sancto Deo in omni opere dederit confessionem sonoram, & exquisit verbi, pulchrè hoc expressit B. Ildephonsus: (*n*) qui cum illam cum arca fœderis contulisset, subinfert, *virgo* inquiens, *ommis custodia legis & manna fuit, quod est mirabile Sacramentum.* Perpende verba: ven. Beda (*o*) agens de observantia virginis, *custos* inquit *verbi Dominici manebat æterna:* Ildephonsus autem non custodem, sed ipsam legis divinæ CUSTODIAM nuncupavit. Quid autem non puræ perfectæquè laudis divinæ à tali erumpebat custodia? Addit, virgo manna fuit, ego verò plusquam manna, adjungo. In eo par manna fuit, quia ut manna omne delectamentum saporis in se continebat, sic in omni opere, oreque ac verbo virginis, plenitudo delectans Deum claudebatur: sed manna mane cadebat in castra: Virgo autem, mane, meridie, vespere, denique nullo non tempore ascendebat ut Deum reficeret in cœlis. De gratia autem intercessionis quid dicemus? (*p*) plena sunt mundi spatia & secula quæ clamant de illa non est talis mulier, *super terram,* in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum. Bene eam alloquens S. Joannes. *Neque enim tui ipsius causa progenita est. Quocirca à Deo, vitam habebis, ob quem in vitam*

 prodi-

(*n*) *Ildefon. ser. l. in assumpt.* (*o*) *Beda. in Luc.* 11. (*p*) *Judith.* 11. 19.

prodiisti, (q) *ut orbis universi saluti ministram te præberes.* Quomodo verò? merendo, & orando. Quis autem Sanctorum tantus est ore intercessorio ut orbis universi saluti prospicere possit? nec mirum, regula juris est, (r) in causis agendis eadem & una est vox patris & filii. Certè in negotiis æternorum pertractandis seculorum, in MARIÆ voce, verbum & authoritas clauditur sempiterni filii: Inde autem infertur virginis sine labe conceptæ honos, ut intulit S. Anselmus, *si* inquiens (s) *Jeremias qui in gentibus erat Propheta futurus, in vulva Sanctificatus est, & Præcursor domini Joannes Spiritu S. ex utero matris est repletus, quis differere audeat totius seculi propitiatorium mox in suæ conceptionis exordio Spiritus S. gratiæ illuminatione destitutum?* Expende, totius seculi propitiatorium. In propitiatorio templi Salomonæi stabat Cherub (t) & Cherub uterque ex auro: quantô magis duo mundi propitiatoria, majus & minus, JESUS & MARIA sine vitio originis, (u) segregati à peccatoribus, innocentes, impolluti, omni auro mundiores, & cœlis excelsiores, fulserunt & steterunt?

§ 7.

SExtum encomium Davidis, (a) VIR PULCHER, Ter pulcher, facie quia rufus, animo quia

(q) *Damasc. Orat. de nat. B. V.* (r) *Lege fin. c. impuber.* (s) *Ansel. homil. de Concept. B. V.*
(t) 3. *Reg.* 6. (u) *Hebr.* 7. 26.
(a) 1. *Reg.* 16. 18.

quia ſanctus, throno quia lucidiſſimus, ſive ut nunc reges inſigniuntur, ſereniſſimus. Et mittendo duo priora, promittit Deus Davidi, (b) *ſemel jurabi in ſancto meo ſi Dabid mentiar*: (hoc eſt juramento per ſanctitatem meam facto promiſſionem Davidi edidi (c) & mentiar nequaquam.) *Et Thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo*, ſcilicet ut Chaldæus (d) clarius convertit, *ſolium ejus ſplendebit tanquam Sol coram me.* Et verò ut prudenter Card. Bellarminus (e) advertit, hæc promiſſio quoad terreſtre regnum nou ſumpſit effectum, nam Sol qui fulſit occidit, & ſerenitas quæ radiavit in Davide non perennat. Siquidem teſte S. Auguſtino (f) illa in Jechonia & Zedetia finita eſt. In Chriſto tamen omnium ſeculorum rege immortali, Davidicæ domus ſurculo, durat & æternabit: ſed in regno cœleſti, ſpirituali, altiori. Quid autem virgo Davidis filia, an item pulchra? clamat tota Eccleſia, (g) *tota pulchra es & macula non eſt in te.* Tota pulchra facie & mente, explicat Rich. Victorinus, (h) *tota pulchra carens actuali mortali & veniali macula* interpretatur S ( ) Thomas. Et ſi vel unica macula venialis in virgine conſtitiſſet, jam impleri in ea non potuiſſet, ut ipſe affirmat, tota pulchra es. Tota pulchra es, & omnis pul-

(b) *Pſal.* 88. 37.36. (c) *Vide Genebr. ibi.* (d) *Chaldæus ibi.* (e) *Bellar. in pſ.* 88. (f) *Aug. de Civ. Dei lib.* 17. *c.* 9. 10. (g) *Cant.* 4. (h) *Rich. Vict. ibi.* (i) *Th.* 3. *part. qu.* 27. *ar.* 4.

chra es, & non in parte ait (*k*) Idiota ſapientiſſimus. At ſi virgo in origine ſua culpata eſt, fuit in parte & partibus, ſed non in omni parte ætatis, non tota pulchra. Et certè minus turpis fuiſſet, ſi verbo otioſo polluta eſſet, quàm ſi omnium turpitudinum & dedecorum fonte, primo peccato. Thronns David ſicut Sol fulſit, & thronus Chriſti MARIA, non ſicut Sol? Si tota pulchra eſt ut eſt virgo, Sol ergo in virgine ſine macula. Et certè apparet interdum Sol hominibus quaſi maculoſus, non quia in ſe recepit & portat maculam, ſed quia ita hominibus videtur: ita hic. Ille celeberrimus miraculorum operator (*l*) Gregorius, vocavit *virginem thronum regalem Sancti Sanctorum, qui omnia ſub DEO ſanctitate ſuperat.* Quomodo verò virgo omnia ſub Deo Sanctitate ſuperat, ſi Adam in originis ſuæ puncto mundus, & virgo immunda? Si ergo virgo ſupra totam ſanctitatis capacem naturam ſanctitate ſuperior emicat tota igitur ſit oportet, ut Sol ſine macula. Quærit Angelicus Doctor, (*m*) ſitne poſſibile ut anima juſti ſine omni macula ut Sol detur? & reſpondet: puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideò poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil purius eſſe poſſit in rebus creatis, ſine ulla contagione peccati. Et ſubdit. Talis fuit puritas B MARIÆ, quæ à peccato originali & actuali

(*k*) *Idiot. de contem. c.* 3. (*l*) *Greg. neocæſar. ſerm* 1. *de ann.* (*m*) *in* 1. *Sent. diſtinct.* 20. *ar.* 3.

ali fuit, immunis. Sic ille. Et verè! præſertim quia in Virgine intenta fuit puritas *non ſolum* per receſſum à contrario, ſcilicet impuritate: ſed etiam per acceſſum ad infinitam puritatem. Si ergo (*n*) cum ſancto homo fit ſanctus, virgo ad Sanctum Sanctorum accedens, eiquè æterno Maternitatis vinculo colligata, quomodo non inter omnium SS. lumina, Sol ſine macula? Sit alius Luna capax intrinſecæ maculæ, ſit ignis fumi ſuſceptor: at, ſicut in Sole maculam, ne quæras: ita in virgine Adæ peccatum non invenies. In unum virginis titulum tres SS. PP. Græci conſenſerunt, ſcilicet (*o*) S. Chriſoſtomus, Andreas (*p*) Cretenſis, & (*q*) Chriſippus, qui ſic, *Salve ortus Solis qui nunquam ferre potes occaſum.* Ortus Solis ſive Sol oriens vocatur (*r*) D. noſter non ſemel in ſacro utroquè inſtrumento: hunc item titulum matri ſuæ communicavit. At, ſi virgo in Adam peccavit, ortus non erit ortus Solis, ortus erit occaſus, aut certè ortus noctis & caliginis grandis.

§ 8

VIdimus ſex titulos Davidis & virginis, quibus potiri omnibus nec poſſumus, nec expedit omnibus: imitemur verò utrumque in eo, ut de nobis æternitas cantet Dominus erat cum eo. In conceptione quidem non erat, in nati-

 vitate

(*n*) *Pſal.* 17. 26. (*o*) *Chriſoſt. orat. de Deip.* (*p*) *Andr. in ſalut. Angel.* (*q*) *Chriſip. ſer. de B.V.* (*r*) *Zach.* 3. 8. *Luc.* 1. 78.

vitate non erat, in infantia tamen & pueritia erat, & alio tempore, ſic quomodo cum Davide erat. Acuere verò debet in nobis curam, vigilantiam, laborem, ejus tituli oppoſitum. Quid enim fœdius ad horrorem, turpius ad ignominiam, miſerius ad egeſtatem dici poteſt, quàm, ecce homo ſine Deo? B. Paulus (a) volens in converſis Epheſiis gentilitatis pudorem ac deteſtationem concitare, *eratis* inquit *illo tempore ſine Deo.* Quære aliquam creaturam infra peccatorem tam pauperem, vilem, & abjectam, & non invenies. (b) Nam & jumenta & arbores, & ſaxa, & ſerpentes, non ſunt ſine Deo, quantum enim capacia ſunt, habent Deum in ſe. Homo autem peccator, quia Dei capax eſt, & ſecundum gratiam & ſecundum ordinem ſupernaturalem, & tamen ea ratione Deo caret, omnium miſerrimus cenſendus eſt. Meritò illi exprobrat Frater Domini, (c) tu HOMO INANIS: (d) meritò mater Dei, divites, vocavit inanes, & inaniter dimiſſos, quia omnia pœnè habentes juxta unam corporis partem, (e) in parte tamen ſumma & Angelica, ſunt inanes. Meritò Judas (f) Frater Jacobi & Domini, homines nequam appellat nubes ſine aqua, arbores ſine fructu, mare ſine pace, procellas ſine luce, ſidera ſine ordine. Exclamat Auguſtinus (g) tempus erat quo

(a) *Epheſ.* 2. 12. *Corn. à Lap. ibi.* (b) *Gloſſa. in pſal.* 52. (c) *Jacob.* 2. 20. (d) *Luc.* 1. (e) *Interp. ibi.* (f) *Jud. in canon.* (g) *Aug. in conf.*

quo non amavi te Domine. Væ tempori illi, quo non amavi te! Cur autem? quia ego foris eram ſine te eram. Refert pſaltes: (h) dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt DEUS. Sibi dixit, in corde ſuo dixit, tacitus murmuravit: (i) in corde ſuo non eſſe Deum vidit, & in toto mundo item præeſſe eundem negavit. (k) Cur tacitè & in profunda cordis ſui ſpelunca dixit? quia ſine Deo eſſe, erubuit, & occidi timuit! (l) nam Athenienſes Protagoram, Theodorum, Diagoram, Deos, negantes, ſuſtulerunt. Quo verò ibimus, ut de nobis æternitas clamet ſeculorum, eſt Deus cum eis? Ad illam, cum qua Dominus fuit ſemper, & à qua receſſit nunquam. Circa annum Domini (m) 1480 à Beatrice de Sylva erecta eſt una Confraternitas ſub titulo conceptæ virginis ſine labe, cujus Sorores imaginem SS. Virginis radiis Solaribus cinctam, ſtellis coronatam, & puerum JESUM in ulnis geſtantem circumferebant. Hujuſmodi imago unum monebat, alterum promittebat. Et monebat quidem, ut virginem Solis inſtar æſtimarent ac præ cæteris SS. diligerent. Si enim ut Davidi olim, (n) daretur optio duorum (Deo mundi peccata caſtigante) ut mundus, aut Sole uno, aut omnibus ſtellis deinceps careret, credo ego gentes & regna de communi conſilio ac conſenſu reſponſura: quoniam aliter fieri non poteſt, niſi

 aut

(h) *Pſal.* 52. 1. (i) *Bellar. ibi.* (k) *Lor. ibi.* (l) *Gneebr. in pſal.* 52. *ad* ꝟ. 1. (m) *Ephemer. Mari.* 8. *Decembr.* (n) 2. *Reg.* 24. 12.

aut Sole aut ſtellis careamus, quanquam dulcis ſit nimium nobis chorus ſtellarum, tamen Solem unum illis præponimus. Quod ſi pro Sole ita ſtaret mundus, ut præ illo apud ſe retinendo, millia millium ſtellarum poſthaberet: quomodo non item conveniens eſt Matrem ſummi Dei præ omnibus Sanctis æſtimare, & cultu perpetuò proſequi? Si quidem verum eſt illud, (o) multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Alexander M (p) unus totum orbem affectans, mundus inquit duos Soles non fert. Videat verò cliens virginis, quid cum illa in corde ſuo geſtet! Sta Sol clamavit (q) Josve, donec conſumaret victoriam, MARIA autem caſto in pectore tamdiu tenenda, donec conſequaris patriam. Promittebat autem hujuſmodi Beatricis imago, (r) venturum olim tempus, quo ſub umbra Mariani latentes nunc patrocinii, luce Solis induantur æterni, & fiunt ortus ſine occaſu, ſive orientes ab oriente. Veriſſimè Bonaventura, (s) *MARIA* inquit, *quia tota ardens fuit, omnes ſe amantes, eamquè tangentes, incendit & ſibi aſſimilat.* In quæ autem? Ut & ipſi Lunam mutabilitatis calcent, Solem claritatis æternæ induent, (t) & ſtellis coronati regnent. Ergo immaculata Davidis filia, iterum atq; iterum Salve, & nos ita diſpone, ut in occaſu vitæ, inveniamur ſine macula graviori, imò omnis

(o) *Prov. 31. 29.* (p) *Curt. de reb. Al. libr. 4.*
(q) *Joſue 10. 12.* (r) *Chriſoſt. orat. de Deipar.*
(s) *Bonav. in Speculo.* (t) *Apoc. 12.*

omnis culpæ, & inter (u) justos comsputati, fulgeamus in regno Patris eorum. Amen.

ARTICULUS II.

SALVE FELICITER NATA.

§ I.

NAtos infantes amico Salve excipere, mos antiquissimus. Refert S. textus, sentiens Lea (a) quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit. Quæ post conceptum edente filium, dixit, *feliciter*, sive ut 70 legunt bona cum fortuna, benè veniat, (b) Gad. Nato item ex Zelpha altero, ait Lea, *beatitudo mea*, quis autem beatitudinem non salutet? Parit (c) Elisabeth Joannem & congratulantur ei Vicini & amici, quasi cum filio misericordiam Dei cœlo delapsam excepisset. Apud Romanos rerum Dominos, tantus natalium habitus est respectus, ut non solum homo natus, sed & dies & locus nascendi illustrium prrsonarum in honore esset. (d) Ita Senatus cubiculum ubi natus est Augustus Cæsar dedicari curavit: & in M. Ducatu Lithuaniæ, in loco dicto antiqui Troci, M. Ducis Vitoldi locus natalis, conversus est in

 templi

(u) *Matth.* 13.43. (a) *Genes.* 30.11. (b) *Gen.* 30.31. (c) *Luc.* 1.59. (d) *Suet. in Augusto C.* (e) *Strikovii de reb. Lithuan.*

templi reconditorium, sive Sacristiam: de die natali Domitiani Epigrammaticus, (*f*)

Cæsaris alma dies, & luce sacratior illa
Conscia Dictæum quæ tulit Ida Jovem.

Persæ autem cœnam natalem, (*g*) Titan, soliti erant appellare, solem autem seu Titanem salutare iidem in more habebant. Et meritò infantibus natis offertur Salve: cum apud omnes gentes usus receperit, hospitem de longè venientem & carum venerari Salve. Quis autem aut carior, aut remotioribus veniens de partibus hospes atque infans natus? Venit Patri hæres, matri corona, domui fulcrum, amicis radius, civis patriæ, & non carus? venit de regione Nihili longinqua, & de non existentium caligine, in lucem cœtumque existentum, & non de longè? venit de cœlo donum, de omnipotentiæ manu opus, & non procul? Jam verò cum felix Sanctissimæ Annæ uterus, desperante natura, prosperante divina gratia, expectationem seculorum enititur MARIAM mundo, profusis undique gaudiis cœlorum terrarumquè orbes exultant, & carissimæ infanti, bis victam per naturam gradienti & venienti, Salve, Salve, conclamant, S. Leo M. loquens de natali Dominico, *exultet* inquit (*h*) *Sanctus, quia appropinquat ad palmam, gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam, animetur gentilis, quia vocatur ad vitam.* Consimili modo exci-

(*f*) *Mart. l.* 4. *Epigr.* 1. (*g*) *Alex. in genial. Dier. l.* 4. *c.* 20. (*h*) Leo *M. ser.* 1. *de nat. Domin.*

excipienda eſt & Mater Salvatoris, iſti enim ipſi fines, eam ad nos traxerunt, & vexerunt. Salve igitur virgo virginum feliciter hominibus, Angelis, Deo nata.

§ 2.

PORrò in choro exultantium de virgine Nata mortalium, principem locum tenet, Magnus credentium (a) Pater Abraham: tanquam is, ad quem prima Dei hominis venturi facta fuerit promiſſio. Is ergo primus agitat & veneratur cunas ſuæ filiæ; is ante omnes maturius, Salve Salve modulatur. Vis noſſe cauſam? accipe paucis, expende multis: MARIA DITAVIT ARAHAM, At ditare Abraham quantam vim opum requirit? Occurrens victori Abrahæ poſt cædem V. regum Rex Sodomæ ait, (b) *da mihi animas, cætera tolle tibi.* Hic Abraham quaſi ingenti laceſſitus contumelia, *levo manum meam ad D. Deum poſſeſſorem cæli & terræ, quod à filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas, Ego DITAVI ABRAHAM.* Cur ſic Abraham locutus Sodomæo Regi? Procopius reſpondet (c) noluiſſe ideò ditari ab hoc Rege Abraham, *quia nolebat hominem ſuarum divitiarum cauſam profiteri, niſi unum DEUM.* Ambroſius autem, (d) quia nolebat triumphum ſuum obſcurari muneribus, *nam* inquit *minuit gratiam triumphi mercedis ſuſceptio*

(a) *Matth.* 1. 2. (b) *Geneſ.* 14. (c) *Procop. in c.* 14. *Gen.* (d) *Ambr. de Abrah. l.* 1. *c.* 3.

ptio, & beneficii arrodit gratiam. Pererius, (*e*) quia nolebat ex ſpoliis pauperum opulentari, ſed potius quibus reddebat animas, iisdem & ereptas à 5. regibus reſtituebat opes Alii, (*f*) ne à perituris brevi tempore ſulphureo igne peccatoribus, unde quaſi contaminaretur, accipere: ſiquidem quæ munera repudiat ara, repudiat & juſti dextera. Alii (*g*) ne munerum receptu obnoxium ſe ſervituti Sodomorum faceret, ſiquidem verum eſt, libertatem perdit, qui munera recipit Unde Caietanus, (*h*) homines inquit, qui muneribus corrumpuntur non in recta ratione, ſed in manibus habent cogitationes. Quomodo verò? reſpondet idem, ſi manus ſunt vacuæ, habent cogitationem unam: ſi manus ſunt plenæ, habent cogitationem aliam. Nempe, qui munera aſpernantur, ſemper unum & invariabile habent de rebus judicium: qui autem conſectantur, multiformes ſunt Polypi, & varii chameleontes. Quanquam munerum ſitientes, etiam cum plenas habent manus, non unam ſed aliam atqne aliam cogitationem habent. Manus enim impleri, arca donis onerari poteſt. Avara autem mens non poteſt, ſed congeſto pauper in auro eſt. Hujuſmodi porrò contemptu munerum prædæquè, oſtendit Patriarcha (*i*) ſe 9. regum victorem & Imperatorem. Nam 5. reges armis domuit: quatuor

(*e*) *Per. tom. 3. in c. 14. Gen. ad v. 23.* (*f*) *Gloſſa. in c. 14. Geneſ.* (*g*) *Liran. ibi.* (*h*) *Caiet. in pſal. 25. ad v. 10.* (*i*) *Geneſ. 14.*

tuor autem alios reges, reſtituens eis bello receptam à ſe ſubſtantiam, ſuperavit. Quis enim eorum tantam temperantiam habendi oſtendiſſet, ſi ſpolia ex prælio rapuiſſet? Non ſolùm autem Abraham 9 regum victor, ſed etiam bis, & de toto victor, & corpora enim manu forti ſtravit, & aurum ac argentum ſapientiſſimo contemptu calcavit. (*k*) In primo par heroibus terrarum, in ſecundo princeps inter principes Sanctorum. Extra Sodomam pugnans pro Sodoma 5. reges fregit, ad Sodomam autem, ipſam Sodomam, unus ſine vernaculis & ſociis vicit. Diſcite hinc populorum reges & greges, unde ditari, quomodo clareſcere, ut permixti heroibus videri poſſitis magni! (*i*) *Regem non faciunt opes, nou veſtis Tyriæ color, rex eſt, qui ſummo poſitus loco, infra ſe videt omnia.* Ergo & munera & ſpolia pauperum & prædas miſerorum (*k*) Maledictum incipit eſſe non munus inquit (*l*) Seneca, in quo vitium accipientis (nota, non dantis) agnoſcitur. Solida virtus, hoc eſt regia magnanimitas & ſublimitas, temnit pericula, propulſat bella, tolerat laborem, poſt quæ omnia, ait unus, (*m*) ipſa ſibi gazophilacium, ipſa theatrum, ipſa buccina eſt.

§ 3.

CÆterùm, ſicut rex Sodomæ non poterat gloriari ego ditavi Abraham, ita nec ullus alius,

(*k*) *Perer. in Gen. tom.* 3. *in c. l.* 4. *num.* 88.
(*i*) *Eclog.* 2. *Virg.* (*k*) *Senec in Thieſt. act.* 2. *in chor.*
(*l*) *Senec. l.* 1. *de benef. c.* 11. (*m*) *Necteric.*

alius, vis causam? Princeps Dei erat, ut agnoverunt in illo filii Heth, (a) sive ut græcus effert hunc locum, rex à Deo tu es in nobis; sive ut chaldæus, magnus coram Deo tu es. Ditare ergo tantum, non cujusvis opus erat regum. Hæc tamen gratia tibi servata est felix virgo, quæ Abraham ut mittam alios, tribus modis locupletâsti & ditavisti. Tibi gloriari in Domino datum, ditavi Abraham, quia quicquid boni in domo ejus inveni, auxi: ditavi Abraham, quoniam quicquid in familia ejus imperfecti reperi, supplevi: ditavi denique Abraham, etenim quod bonum in sinu ejus non deprehendi, nascendo advexi. Ordiendo à primo: in domo Abrahæ invenit virgo RISUM, & auxit. Videns Sara, se juxta Angeli prædictionem, supra suam spem, factam esse Matrem, (b) risum inquit mihi fecit Deus, quicunque audierit, corridebit mihi. Prolem se portare Sara sensit, & risum dixit; nam Sara ab Eva prorsus recedebat. *Eva* enim *cum Cain & Abel utero gestavit, lacrimas gestavit* inquit Augustinus, (c) *at Sara risum.* Et complacuit sibi in hocce risu vehementnr illa, nam filium natum Isaac, (d) hoc est risum nuncupavit, eò quod ipse conjugalis vitæ opprobrium & luctum diu sibi prædominans, solvisset. Myson quidam in solitudinem sese abdiderat, & repertus solus ac ridens, cur rideret quæsitus, (e) respondit, quia

(a) *Genes.* 23. 6. *Græc. Chald. text.* (b) *Genes.* 21. 6. (c) *Aug. Serm.* 18. *de SS.* (d) *Hier. in nom. hebr.* (e) *Bruson. l.* 5. *c.* 27.

quia solus sum. Sara autem accessu filii aucta item risit, quia olim sola, nunc cum maximè juxta cursum naturæ debebat esse, inventa est non sola, sed aucta prole. Porrò risus iste Saræ Sanctus fuit, & Deo gratus plusquam aliorum lacrymæ, namque à Deo factus. Cur homines in risum solvantur quærit Aristoteles, (f) & respondet, rident, qui verberantur in sede præcordiorum. Sara autem cur risit (g) ad promissionem filii? quia Deus tangebat ejus præcordia; cur item filium ut risum lactavit, ut risum in oculis habuit! quia Deus eam verberavit & permulsit: verberavit infœcunda viscera, & duos tortores ejus, scilicet sterilitatem & senectutem excussit: (h) permulsit autem præcordia, quæ tanta lactis copia nato Isaac implevit, ut non unum tantum Isaac, sed plures posset lactare infantes, ut colligunt aliqui ex verbis scripturæ. Ubi enim vulgata (i) effert quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, (k) Hebraicè est, quod Sara lactaret filios, in plurali. Dulcis verò & veritatis iste risus! quanquam multi suos risus cogantur reputare errores, & increpare gaudia & figere, ô gaudium cur ipsum deciperis, & me decipis? Risum Sanctum describens Philo Judæus, (l) *risus* inquit *est signum quo se profert occultum mentis gaudium*, qui inter omnes alios affe-

(f) *Arist. problem sect. 35. text. 6.* (g) *Gen. 28. 10.* (h) *Cajet. in c. 21. Genes. Lir.*
(i) *Genes. 21. 6.* (k) *Hebr. text.* (l) *Phil. libr. de præmiis.*

affectus honestissimus est, replens tranquillitate & securitate totam animam, lætam Deo. Et hoc affectu gravida risit Sara; nec risus inanis fuit. Nam referente veronensi (m) Zenone, risit Sara cum subitò frigens vulva materna, non instinctu libidinis, sed fomite virtutis incaluit. Tantum autem Dei donum fuit, ut Abraham stans illud ferre non posset. (n) Audiens enim ille sibi à Deo dici dabo tibi filium, & reges populorum orientur ex eo, cecidit, refert scriptura Abraham in faciem suam & risit.

§ 4.

JAm verò cum post aliquot annorum millia, non vetulo, sed consumpto in terræ pulvere Abraham, oritur S. MARIA, an risit ille fama nativitatis suæ ad inferos perlata! ita risit, ut omnem limbum quasi Nilus alveo suo digrediens lætitia impleret. Illa Salvatoris verba, Abraham exultavit (a) ut videret diem meum, vidit, & gavisus est, (b) interpretantur non pauci de die incarnationis & nativitatis Christi, Et bene, amici enim secreta inter se communicant, sicut subversionem Sodomæ revelavit ei Deus & multa alia. Quoniam autem Abraham à Deo amicus appellatus, etiam in limbo manebat amicus, tantum mysterium ab eo abscondisse non est credendus, quod ei in tristi carcere

(m) *Zeno veron. serm. de Isaac.* (n) *Genes.* 17. 16. 17. (a) *Joan.* 8. 56. (b) *Aug. tract in Joan.* *Cyril. Tir. in c.* 8. *Joan.*

carcere captivo, (c) ſolatio futurum erat maximo. Quod ipſum de natali virgine dici poteſt: ſicut enim nunc nativitas ejus univerſo mundo gaudium annuntiat, ſic & univerſam limbi captivitatem exhilarare potuit reſcita. Et verò & ortum Iſaac, (d) & nomen ejus expreſsè renuntiavit Angelus Abrahæ, ut habes in Geneſi, unde conſecutum eſt ingens Abrahæ gaudium. Audi Rupertum: (e) O virum æterno riſu verè dignum, & ſempiternæ jucunditati benè præparatum! qui ita cecidit in faciem ſuam ut rideret: ita riſit ut in faciem caderet; illius utique adorans omnipotentiam, cujus in promiſſione audierat ſingularem gratiam. (f) An verò non longe ſanctius gaudium habuiſſet & ipſe & ejus Societas, ſi intellexiſſet jam eſſe Matrem Meſſiæ natam? quomodo tunc adorâſſet omnipotentiam, cum riſiſſet ad exhibitam gratiam? (g) Reges terrarum in die natalis ſui primis principibus exhibent convivium, ut fecit Herodes Judæis, Xerxes Perſis, alii aliis, & rex cœlorum cum in matre nata prænaſcebatur, ſecretum Abrahæ revelando, non obtulit ſuis in limbo Principibus, lætum nuntium, quaſi juge convivium? Scribit Vincentius Belvacenſis, (h) Eremicolam quendam ſingulis noctibus annuatim recurrentibus, quæ natalem Deiparæ præcedunt ſolitum audire choros & Simpho-

(c) *Jacob.* 2. v. 23. (d) *Geneſ.* 17. 17.
(e) *Rupert. l.* 5. *in Geneſ. c.* 35 (f) *Marc.* 6.
(g) *Alex. dier. geni.* 4. *c.* 20. (h) *Vinc. Belu. in ſpec. hiſt. l.* 6. *c.* 65.

Simphoniam lætantium Angelorum & dicentium hæc eſt nox, quâ Domina noſtra Mater Dei nata eſt. Revelatum ergo fuit myſterium Natæ virginis Angelis, qui luce & gaudiis affluebant æternis, & credere quis poterit non eſſe, idem ſignificatum Abrahæ, cui filia oriebatur, & oriebatur ut lux in tenebris, ut gaudium in umbra ſedenti mortis? Naſcitur in magna domo Patrifamilias filius & feſtinat multitudo ſervorum eum nuncio præcurrere: & divina providentia quæ Mater, Matrem mundo, Abrahæ filiam & conſolatricem edidit, per nuncios ſuos tanti gaudii materiam ei ſubtraxit; Sit ergo extra dubii aleam, Abraham de riſu novo in ſua familia cum virgine nato, ſciviſſe, & riſiſſe, & in faciem cum choro SS. incidiſſe, & Deo laudes, Natæ filiæ autem, Salve, Salve, concinuiſſe. Nunc riſum cum riſu confer. Riſus Iſaac, ſed in tenebris, ſed in angulo: riſus MARIA, ſed in luce gentium & populorum, imò lux mundi ut eam S. Laur. (i) Juſtinianus appellat. Riſus Iſaac, ſed deficiens; cum MARIA autem fatur S. Methodius, (k) non deſinens lætitia venit. Riſus Iſaac, non de libidinis, ſed de fomite virtutis ut Zeno (l) nuper dixit, natus: riſus autem MARIA non ſolum de fomite, ſed cum fomite virtutis, ſine fomite ſceleris, imò ipſa virtus, editus. Nam ut Sapienter bonus Idiota (m) ait, *in Virgine præter Vir-*

(i) *Laur. Juſtin. ſer. de nat. B. V.* (k) *Meth orat. hipop.* (l) *Zeno ſer. de Iſaac.* (m) *Idiota de contemplat. B. V.*

virtutem nihil aliud fuit. Risus Isaac, cœlum & terram ad corridendum non provocavit, MARIA autem nascente Angeli in cœlis, homines in terris, Spiritus justorum in ergastulo Abrahæ corriserunt. Nunc ergo concinendum cum Abraha filiis Abrahæ est, Salve virgo nata, in tempore, nunquam interruptum seculorum gaudium & risus.

§ 5.

QUid verò virgo nata imperfecti in domo Patris sui Abrahæ invenit, & sustulit? nunc dico. Ipse quidem caput familiæ, vir perfectus erat, (a) & coram Deo in omni sphæra temporum atque actionum ambulabat: de eo (b) Ambrosius. tentatur ut fidelis, provocatur ut justus. Nondum nati tamen implevit sententiam Ecclesiastici, (c) noli esse in domo tua quasi leo: extra domum ostendit se 9 regibus leonem, quinque quidem ut ad nullius occursum paventem; quatuor autem, leonem minoribus feris prædam dividentem. Consors tamen ejus thori, quanquam Soror virtutis, Materfamilias fidelis mundi, aliquid leonini in domo sua ostendit: nescio an unguem, scio, quia fremitum leænæ habuit. Expulit à viro conjugem, (d) ab obsequio ancillam, de domo sustulit sepem: sit hoc parum. Ismaëlem, sanguinem Abrahæ & suum, in eas vitæ exiliique angustias compegit, ut nisi Angelus de cœlo

(a) *Genes.* 17. 1. (b) *Ambr. l. de Abr.* 1. c. 2.
(c) *Eccle.* 4. 35. (d) *Genes.* 16.

cœlo erranti ſuccurriſſet, fontemquè indicâſſet,
Sara aliquid Iſmaëli debuiſſet, quod ſolvere
nequaquam potuiſſet. *Centum viros*, aliquis
dixit, (e) *unum ſæpe tentorium capit, duas au-*
tem mulieres, nec regna. Res mira! in ordi-
nata domo Abrahæ, (f) trecenti verſaban-
tur vernaculi qui tamen omnes ſecum quaſi
unus agnus: duæ tamen mulieres in una domo
Abrahæ, ſine quiete erant. Origo, Agari
viro eidem nupta, ſed origine & forte domi-
nandi impar. De gratia Saræ, facta viri ejuſ-
dem coſta (g) levavit in Dominam ſuam cal-
cem ingratam, dentem mordentem, cervicem
contumacem. Ergo mulier Ægiptia, coacta
eſt ſentire Chaldæum (h) (ſcriptura autem
Chaldæam vocat amaram, hoc eſt cholericam
gentem) & dum non reveretur, nec diligit
Dominam ſuam, ut domus lucernam, experta
eſt Saram, quod nomine præferebat carbonem
urentem, & denigrantem. Saræ enim nomen,
S. (i) Bonaventura ait reſonare carbonem. Et
approbavit Deus exilium quod Sara Agaræ
contra viri voluntatem ſcripſit: & meritò. (k)
Non enim terra Domus Abrahæ, tremebat &
movebatur à Saræ dominantis, ſed ab Agaræ
Dominam ſuam ſterilem (l) deſpicientis Spi-
ritu atque impetu violento. Videte hic viri,
duo: alterum eſt, quam & qualem juratam
vitæ ſociam vobis eligatis. Ariſtotelis doctri-
na

(e) *Græcus Comic.* (f) *Geneſ.* 14. 14.
(g) *Geneſ.* 16. (h) *Abac.* 1. 6. (i) *Bonav. in ſpec. B.V.* (k) *Prov.* 30. 23. (l) *Geneſ.* 16. 4

na eſt: (m) *lac mulierum nigrarum melius eſſe, & majoris cibi quam albarum.* Certè etſi mulier interdum minus formæ aut dotis, plus tamen modeſtiæ, & humilium præferat morum, anteponenda eſt illi quam color & dos lautior commendat. (n) *Alba liguſtra cadunt vaccinia nigra leguntur:* Sic certè & inter homines, albæ ſæpe pudendo caſu cadunt, nigræ leguntur à Deo, & educant melius prolem, reguntquè domum: Plutarchus (o) conjugem api contulit, apis nigra & mellificat: ſic in cætu hominum illa præponenda, quæ ſuavitate morum non colorum prævalet. Alterum eſt: (p) quantas oportet Chriſtianus gratias DEO perſolvat, pro beneficio ſuæ vocationis Chriſtianæ, cujus Sanctitas vult, ut unus maſculus uni fœmininæ naſcatur, Multa paſſi vel ipſi SS. Patriarchæ propter polygamiam, ut enim poteſtas, (q) ſic amor impatiens eſt conſortis, hinc tumultus & duella & bella domeſtica, ut cogatur miſer conjux, ſimul uxoribus, ſimul litibus præeſſe vel potius ſubeſſe, & ubi aliorum ſanantur, ibi ipſe nova & quotidiana vulnera accipere. Obſervavit Tacitus (r) ſolerter, quando principes fæminæ ad ſecundas nuptias tranſeunt, magnum futuris ſucceſſoribus periculum creari. Si hoc una fæmina diſtinctis temporibus faciet, quid fiet ibi, ubi duæ vel plures ſimul uno tempore habentur.

Quod

(m) *Ariſt. l. 3. animal.* (n) *Eclog. 2. Virg.*
(o) *Plut. in mor.* (p) *Tertul. de monog.*
(q) *Claud. in laud. Stilic.* (r) *Tacit. in ann.*

Quod *si terra movetur*, juxta 70, (s) *concutitur* secundum Hebræos *tremit, ubi uxor & ancilla in una domo regnant*, quid fiet si duæ Vasthi unum (t) Ahasverum habeant? Ecce in domo Abrahæ Agar & Sara concurrunt, & domus nutat, & Abraham patitur. Unde Chrisostomus sic alloquitur Saram, (u) Persuasus & obtemperans mandato tuo Abraham ad ancillam ingressus est, quare igitur viro mulier tu injustitiam improperas? Et Ambrosius (w) in Sara ostendens latere leænam, accepit inquit Sara à viro potestatem irata, & immoderatius, ultione permissa utitur. Si hæc Sara, quid aliæ? Tribulationem carnis, agens Apostolus (x) de nuptis, prophetat, habebunt ejusmodi; addo & mentis.

§ 6.

ENimuerò hujusmodi defectum mititatis virgò filia Abrahæ nata sustulit, & novum oppositum ornamentum attulit, nempe Spiritum perpetuæ mansuetudinis & lenitatis. Audis in festis concini Marialibus, (a) ave maris stella, & intelligis, mundi mare turbidum, procellis ferox, periculorum ferax, & te in eo navigare conspiciens, horrore concuteris: attamen cum (b) ad Matrem Dei retorques cogita-

(s) *Prov. 30. 23.* (t) *Hester. 2.* (u) *Chrisost. in Genes.* (w) *Ambr. l. 1. c. 4. de Abrah:* (x) *1. Cor. 7. 28.* (a) *In hymn. Vesp. de B. V.* (b) *Bonav. in spec. B. V. c. 1.*

gitationem, & intueris eam ut ſtellam (c) vides eam pacificam & pacificare poſſe omnia, & conſolaris. Non vocat occulta cauſa cur virgini in eodem hymno ſic concinimus, virgo ſingularis, (d) inter omnes mitis? Singularis in virginitate, ſingularis in mititate: inter omnes caſtiſſima, inter omnes mitiſſima: non habet ſimilem in virginitate, (e) non habet parem in mititate. Quomodo autem? quia virginitati ejus copulata eſt glorioſiſſima maternitas: & mititati ejus ſociata eſt ſumma poſt Deum poteſtas. Sicut autem virginitas fœcunda eſt ſine ſocio, ita poteſtas mitisſima eſt ſine exemplo. (f) Sic autem omne regnum duplicis in homine Appetitus una cœpit & poſſedit, & quidem Appetitus concupiſcibilis ut virgo ſingularis: appetitus autem iraſcibilis, ut inter omnes mitis. (g) Ipſa à Sara longè recedens, Matris defectum ſupplevit: (h) Sara, Domina & carbo de nomine, graviter imperavit, non leviter aduſſit & denigravit at illa ancilla & lux, omnes ferè, colorat bene omnes. Atque hoc promiſit naſcendi locus, nata enim dicitur juxta traditionem (i) Patrum in ovili. Ergo mater Agni agna: mitis inter omnes, Conſueſce & mecum Chriſtiane, cum e turbidus corripuit Auſter, aliena malitia aut

 deſpi-

(c) *Bern. ſer. miſſus. virgo ſingularis* (d) *inter omnes mitis cur conjuncta?* (e) *Bonav. in ſpec. B. V. c. 4.* (f) *Idiota de contemplat. B. V.* (g) *Hier. in nom. hebr.* (h) *Bonav. in ſpec. Mari. c. 13.* (i) *Damaſc. de fide orth. l. 4. c. 15.*

despicientia violatum, inclamare, ave maris
stella: inter omnes mitis, salva me, impera
mari meo, dissipe tempestatem, & senties crede
experientiæ, dissipatam. Describens Rex
Propheta civitatis sanctæ in montibus sitæ le-
nitatem & capacitatem ac copiam charitatis.
Ecce inquit (k) *alienigenæ, & Tyrus & populus*
Æthiopum, hi fuerunt illic. (l: m) Sermo est de
Jerusalem nova, descendente de cœlo, scilicet
de Ecclesia, cujus pars est prima & maxima,
& hujus civitatis velut arx & templum virgo
nata, Abrahæ filia. (n) Hæc enim in mon-
tibus Sanctis, in privilegiis gratiarum fundata:
hujus partæ, (o) ortus & occasus, introitus &
exitus in mundum, super omnia tabernacula
Jacob, nempe super omnes vitas Sanctorum:
de ipsa gloriosa dicta per prophetas: ipsa alma,
& soli Deo habitata, quia semper sancta civi-
tas. Sara unam Agar in domo, (p) imò in
distincto tabernaculo pati non potuit. Maria-
næ autem Charitatis viscera, & Philistæos (ut
70 hunc locum extulerunt) & Tyrios ac Phæ-
nices, & Æthiopes orientales & occidentales,
& omnes gentes capiunt, ac stringunt chari-
tate. Rectè cum S. Cyrillo (q) salutanda,
Salve quæ incomprehensibilem in utero virgi-
nali comprehendisti: per quam S. Trinitas per
universam orbem odoratur & glorificatur & uni-
versa

(k) *Psal.* 88. 4. (l) *Aug. Hier.* (m) *Lor. ibi.*
(n) *Greg. in* 1. *Reg.* (o) *Bonav. in spec. B. V. c.* 6.
(p) *Ansel. de laud. B. V.* 70. *in Ps.* 86. *ad v.* 4.
(q) *Cyril. Alex. hom.* 6. *contra Nestor.*

versa creatura ad agnitionem Dei veri venit, Hi fuerunt illic. Qui verò? Chaldæus extulit, (r) commemorare faciam laudes tuas Ægiptios, Babilonios, qui sciunt te. Quomodo verò sciunt? quia tu prædicas & concionaris eis miraculis & gratiis. Hi fuerunt illic. Ubi autem antequam in te essent, erant? heu! non in montibus Sanctis, sed in vallibus & gurgitibus profundis! Hi fuerunt illic. Quales & qualiter compositi? oppositi elementis & humoribus, divisi studiis & moribus, discreti statibus & gradibus, attamen in te quasi unus. Tu illis arca Noë, (s) illa tibi obsequentia animalia: tu mitis inter omnes Arca Noë, & Philistæos & Tyrios, & Æthiopes, omnes in te facis mites & concordes. Hi fuerunt illic, & quid fecerunt? O civitas Dei! ô melior Sara! ô decus Abrahæ! ô refugium peccatorum, ô præsidium omnium! Isti qui in te fuerunt, qui sunt, qui erunt, fuerunt, sunt erunt, inhabitantes lætitiam, & carmen dulce personantes.

§ 7

Jam verò, quomodo ditavit virgo Abraham perfectionem addendo ad perfectionem? Descripturus omni Ambrosia (a) suavior Doctor Abrahæ perfectiones: *magnus* inquit *planè vir Abraham & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis Philosophia æquare non potuit.*

(r) *Chald. in Psal. 86. ad v. 4.* (s) *Damian. de B. V.* (a) *Ambr. l. 1. c. 2. de Abrah.*

tuit. Quæ autem vota Philisophiæ fuêre! paupertate mures vincere, (*b*) de dolio oracula tonare, (*c*) tonitrua verborum & imbres injuriarum patientia eludere, mala mundi gaudia (*d*) risu refutare, calamitates mortalium composito fletu Heraclitus lugere, aurum in mare se in gloriæ inanis paludem mergere, modestiam vultus vestisquè instrumento sonare, (*e*) imagines virtutis vulgo suis actionibus pingere & projicere, Cathedras Magisterii, tanquam recti honestique instructores, ambire. Cæterum hæc omnia Philosophiæ Gentilis (*f*) insignia, non fuêre solida opera, sed cassa vita. Tàm enim aberant â vera integritatis disciplina, quàm à cognitione æternæ Sapientiæ. Itaque (*g*) Philosophia tota desiit in spumam sputumque veneris nefariæ: & Philosophi, ut dixit Tertullianus, (*h*) transierunt in Patriarchas, non ut Abraham Sanctorum, sed ut animalia gloriæ in capita (*i*) Hæreticorum. Quare & succincto elogio citatus S. Ambrosius (*k*) eas perstrinxit, dum subjecit: *minus est quod Philosophia finxit, quàm quod Abraham gessit.* Vis ergo nosse quomodo perfectio Abrahæ à perfectione Philosophorum gentilium sese diviserit! sic quomodo homo pictus & verus. Vidit hoc discrimen rex, Sacerdos, Propheta Melchi-

(*b*) *Diog. Cinicus* (*c*) *Socrates.* (*d*) *Democritus.* (*e*) *Zeno & Crates.* (*f*) *Sophi.* (*g*) *Roman.* 1. 24. (*h*) *Tertul. adv. Hermagen.* (*i*) *Tertul. de præscript.* (*k*) *Amb. ubi supr.*

Melchiſedech, (*l*) cum de cæde 5 regum reverſo occurrit, & dixit Abrahæ: benedictus Abraham Deo excelſo, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Hæ ſunt hederæ, vinum perfectæ virtutis in Abraham oſtendentes: altera, quia Abraham ut verè juſtus in protegente manu Dei latebat: altera, quia hoſtes ſuos ſic cæpit & tenebat, quomodo nidum avis dextera aucupis. Unde Chriſoſtomus, (*m*) *dextera* ait Dei *protegente, infirmi facti ſunt fortes, & inermes dejecerunt armatos.* Itaque Abraham Princeps & Imperator fuit dexteræ, & dexteræ divinæ, idquè geminæ, alterius quâ ab hoſte protectus eſt, & alterius quâ victores vicit, Grandis verò felicitas, & omnibus non ſolum votis ſed & nervis operum quærenda, ut hujuſmodi manu Dei potiamur. Sed non potitur illá, niſi is qui ad eminentem perfectionis gradum per multa adverſa tandem eluctatus eſt. Promittit Pſaltes (*n*) juſto patienti, *Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam*: Hebræus legit, *Deus umbraculum tenens ſuper dexteram tuam*, alii *Dominus ſcutum tuum.* Nomine dexteræ inquit Bellarminus (*o*) intelligitur, proſperitas ſeculi, quæ quando juſtum non vulnerat, ideò non vulnerat, (*p*) quia Dominus dextram ejus ut ſcuto protegit, & quando ſerenitate meridiana non urit, non urit idcircò, quia Dominus ob-

 tendit

(*l*) *Geneſ.* 14. 18. 19. (*m*) *Chriſoſt. in Gen.*
(*n*) *Pſal.* 120. 6. *Hebr. ibi tex. Chal- item.*
(*o*) *Bell. in pſ.* 120. (*p*) *Aug. ibid.*

tendit illi umbraculum. Abrahæ autem ut vi-
ro plenè perfecto, Dominus fuit ſcutum ſuper
ſiniſtram (per quam indicatur aſpera & rigens
fortuna) & umbraculum ſuper dexteram, ſci-
licet non adverſam ſortem. Unde nec in
Ægipto læſus, nec à Rege Paleſtino violatus,
ivit à dextris & à ſiniſtris, per aſpera & mollia
ubique victor & benedictus Deo excelſo. Qua-
re & meruit poſt benedictionem victoriæ, be-
nedictionem gratiæ. Nam ut benè notavit
Cajetanus, (q) Melchiſedech Abrahæ benedi-
xit vice Dei, oſtendens eum excelſum factum
ab excelſo, non ad ſuam ſed ad Dei gloriam.

§ 8.

Abrahæ perfectionem tota Philoſophia ſuis
æquare non potuit: (a) Filiæ autem A-
bramiticæ Sanctitatem nec omnis Chriſtianitas,
nec tota Angelorum collectio attingere valet.
Sub pedibus Abrahæ tota honeſtas ac Sapien-
tia Philoſophica, cum Pythagora & Socrate,
cum Platone & Stagirita, cum Zenone & æpicte-
to jacuit, ſub plantis autem MARIÆ omnis
mundus cum ſuis legislatoribus & Judicibus &
Sapientibus concidit, (b) unde Luna pedibus
ejus ſeſe appendit. Hæc igitur, Abrahamum
quando in domum ejus Nata venit, ditavit.
In dextera Abrahæ hoſtes divinitus concluſi hæ-
ſerunt. (c) MARIÆ autem dextera quos hoſ-
tes

(q) *Cajet. in c.* 14. *Geneſ. ad v.* 18. (a) *Bo-naſ. in ſpec. B. V. c.* 7. (b) *Apoc.* 12. 1.

(c) *Geneſ.* 14. 18.

tes tangit, hos Dei amicos reddit, ſive de filiis ſiniſtræ filios dexteræ efficit. Abraham (*d*) ut invulnerabilis inimicis, invincibilis proſperæ fortunæ eſſet, Dei dextera tenebat, MARIA autem & hoc habuit, & aliud accepit, ut ſuæ manus virtute Deum teneret. Doctor Seraphicus (*e*) ad illa Iſaiæ verba, non eſt qui teneat te, fatetur ante MARIAM non erat qui ſic Dominum detinere auderet, atteſtante Iſaia, (*f*) non eſt qui invocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te. Detinet virtutes, ne fugiant, detinet merita ne pereant, detinet Dæmones ne noceant, detinet filium, ne peccatores percutiat. Abraham quinque reges contudit, (*g*) eorumque vires & exultationem frangens, ſpoliis exuit, præda ſpoliavit, ſed non ſerpentis antiqui caput. Sic illi dextera Domini non adfuit: (*h*) unde & coactus eſt in atrio Fortis armati, una cum reliqua Sanctorum multitudine, captivus per annorum 2000 ferè morari. Filia verò Adæ, non ſolum ab uſu rationis nec tantum nata, ſed etiam in utero ſuæ Genitricis, denique in primo conceptionis ſuæ momento, ejus dirum ac triſte caput obtrivit. Pulchrè Guilhelmus. (*i*) *Virgo MARIA in ſua SS. conceptione, dono divinæ gratiæ, caput ſerpentis contrivit, ut eam non tangeret,*

(*d*) *Arnol. carm. de laud. B. V.* (*e*) *Bonav. in ſpec. B. V. c.* 7. (*f*) *Iſai.* 64. 7. (*g*) *Geneſ.* 14. (*h*) Luc. 11. 21. *ex Mart. Roman. in* 25. *Dec.* (*i*) *Guilhel. ſerm.* 1. *de ſecretis ſecretorum.*

ret, nec morderet per originalem culpam, neque, ex consequenti per actualem. Ipsi uni datum cantare, (*k*) leva ejus sub capite meo & dextera illius amplexabitur me. In leva inquit Cassianus (*l*) scribuntur & conduntur peccata, proinde subjungo & centuriæ pœnarum: leva Dei triste quid & infaustum sonat & signat. Ad dexteram enim vocantur oves, hoc est electi, (*m*) ad levam statuuntur hædi petulci, peccatores scilicet impœnitentes. Dextera Dei facit virtutem, (*n*) dextera exaltat ad gloriam, portat ad vitam: sinistra autem ferream virgam rapit, (*o*) & omne vas figlinum malis odoribus humoribusquè imbutum, frangit ac contexit. Sit ergo leva Dei supra caput aliorum, quæ conceptos natosque iræ filios odit & aversatur: at Caput virginis, conceptio virginis, dexterâ protegitur amplexu amoris stringitur, & Deo unitur. S. Bernardus (*p*) nomine Dexteræ divinæ, Divinitatem, vocabulo autem sinistræ, humanitatem Christi interpretatur, quarum utraque virginem protexit, atque inaccessam serpenti & primo ejus morsui ac veneno reddidit. (*q*) Si justorum animæ, quia in manu Dei sunt, habent privilegium ac munimentum, ut tormentum mortis eas non tangat: quantò magis virgo, Patri æterno affinis, Filio Mater, Spiritus S. ut viro juncta, impenetra-

(*k*) *Cant.* 2. 6. (*l*) *Caff. in PP. coll. l.* 6. *c.* 10.
(*m*) *Matth.* 25. 33. (*n*) *Psal.* 117. 16.
(*o*) *Psal.* 2. 9. (*p*) *Bern. in Cant. Ser.* 51.
(*q*) *Sapient.* 3. 1.

netrabilis mortis morſui primogenitæ extitit? (r) veteres Theologi, ut videre eſt apud Valer: Pierium, dexteram DEI Archangelum Michaëlem, Siniſtram autem Arch. Gabrielem vocabant, eò quod horum ſe & Principum Spirituum operâ, quaſi manibus ſuis Deus utatur, jam pœnas ad correctionem, jam ſolatia ad excutiendum mærorem ordinando & applicando. Et verò plurium authorum (s) & verus eſt ſenſus, Virginem Abrahæ filiam, perpetua Angelorum cuſtodia (t) ac directione munitam fuiſſe, & quaſi in manibus eorum geſtatum, quo factum eſt ut ad petram ſcandali ſeu peccati vel minutiſſimam, pedes affectuum minimè offendere. Cæterum MARIAM à labe primævi peccati ſervare illæſam, excedebat Michaëlis & Gabrielis poteſtatem. Sicut ergo in providentia extraordinaria, ubi deficit vis conſeruatrix Angelica, exurgit protectio divina. ita in ortu MARIÆ adfuit caritas defenſatrix, virtus redemptrix, & fides conjugalis. Unde & victrix peccati, ac Serpentis debellatrix cantat. leva ejus ſub capite meo (non in capite, non ſupra,) & dextera ſupra caput amplexans & cingens me.

§ 9.

ITa ergo virgo feliciter in domum Abrahæ venit, eumque ditavit, meruitque non unum

(r) *Pier. lib. 35. hierogl. verbo liberalitas.* (s) *Bonav. in ſpec. B. V. c. 8.* (t) *Bernardin. tom. 1. Ser. 61. ar. 3. c. 6.*

nec populare Salve. An etiam ab universo mundo non meretur Virgo festivum recipere Salve, quæ eum gaudio refecit, thesauro ditavit? Risum fecit illa Abrahæ, quando venit, an & nobis item factura est? Hugoni, (a) stupidi ingenii puero impetravit illa sublime & capax omnium scientiarum ingenium, ob quod deinde in Marieburgensem provectus est Episcopatum. Isti fecit risum naturæ, sed cum ille dissolutè viveret, & filios Heli imitaretur, monuit aliquoties, Satis lusisti Hugo, cessa jam de ludo (b) cum autem ille non cessaret, de lecto raptus, ante altare occisus, & in fletum æternum missus est. Isti volebat virgo risum æternum monendo parare, sed quia temporalia gaudia prætulit sempiternis, Hugo sibi de Ludo fecit longum planctum: Mater Dei ad morem Dei se componit: Deus (c) non projicit simplicem, donec impleatur os ejus risu, & labia jubilo. S. Gregorius ad hæc verba, *os* inquit (d) *justi tunc risu replebitur, cum piorum corda finitis peregrinationum fletibus æternæ lætitiæ exultatione saturabuntur.* Sic omninò & virgo, quos simpliciter in via Dei, & in suo obsequio pergere videt, eis ita suam curam applicat, ut non cesset priusquam os mentis eorum securitate possessi gaudii repleatur & saturetur. At quemadmodum Deus non porrigit manum malignis, eos æterno fœdere sibi copulando,

(a) *In spec. exempl. verbo. MARIA.* (b) *1. Reg. 2. 22.* (c) *Job. 8. 20.* (d) *Greg. lib. 8. c. 3. morali in Job.*

pulando, nec risum communicat qui cor ad thronum ejus exultat: (e) Sic & virgo, maligni autem censentur, (f) qui bona non benè faciunt: usurpant Sacramenta vitalia, (h) sed non simplici & sincera anima, fundunt eleemosinam propter vacuam gloriam, *ostendunt*, inquit Gregorius, (i) *exterius benignitatem, & dolos iniquitatis interius abscondunt.* Hic sese unusquisque fodiat, quomodo se ad risum Dei, & MARIÆ tutelam disponat. Et si sentit se de cohorte hujusmodi malignorum, imitetur Abraham Patrem virginis & suum. Is enim postea quam audivit (k) Lothum suum captum, actutum sine mora, cœgit exercitum, suscepit bellum, inuasit victores, & recepit omnia. Sic & nos ubi adverterimus Deum abesse à tabernaculo cordis nostri, maturè contra nos, & Sathanam bellum suscitemus. Felix quicum Davide gloriari in Domino poterit, (l) *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de Civitate Domini omnes qui operantur iniquitatem.* Ubi Genebrardus. (m) Summo mane, maxima diligentia & studio, antequam invalescerent, nulla interposita mora. purgabam Jerusalem à sceleratis. Si nescis Christiane, & tu parua Jerusalem es, (n) grandis deinde & nimium alta & sublimis, & opu-

(e) *Pineda in c.* 8. (f) *Job. ad v.* 20. *n.* 1. (h) *Greg. ubi supr.* (i) *Idem ut supr.* (k) *Genes.* 14. 14. (l) *Psal.* 100. 8. (m) *Genebr. in Ps.* 100. *ad v.* 8. (n) *Rupert. in Cant.*

lenta futura, tolle ergo & purga malum de medio tui. Parata eſt virgo quæ ditavit Abraham, & te ditare, modo inveniaris filius Abrahæ, & in quo ſint repoſitæ veræ opes ſcias. Audi (o) Ambroſium dulcem, & ſublimem. Verè dives eſt, qui in conſpectu Dei dives poteſt videri, in cujus conſpectu terra exigua, & mundus anguſtus. Solum illum Deus divitem novit, qui ſit dives æternitate. Eſto ergo Chriſtiane non Abel ſed Iſaac: (p) Abel inanem ſonat, Iſaac riſum Dei, ut autem ſis riſus Dei, eſto fletus mundi: expectat te virgo, os aperi æternitati, & implebit os animæ tuæ infinitum, JESU ſuo, riſu tuo.

ARTICULUS III.

SALVE SINGULARITER ANNUNTIATA.

§ 1.

AQua frigida animæ ſitienti, bonus nuntius de terra longinqua ait (a) Proverbiaſtes. Qua ſua docet ſententia, (b) bona quæ ſcimus communicanda eſſe aliis, præſertim iis qui à patria loco diſiuncti, expectatione ſciendi, quid ibi boni agatur, tenentur. (c) Ven. Beda, hæc verba SS. accommodat Angelis, qui inquit quotidie de terra longinqua deſcendentes, hoc eſt

(o) *Ambr. l. 3. ep. 1.* (p) *Hier. in nomin. Hebr.*
(a) *Prov. 25. 25.* (b) *Salas. in c. 25. prov. num. 15.* (c) *Ven. Beda. in c. 25. prov.*

est de patria cœlesti, justos, vel in tentatione spe cœlestium roborant, vel finitis tentationum certaminibus ad palmam perpetuæ retributionis inducunt. Hujus Ven. Patris nos secuti filum, Archangelum Gabrielem ad virginem primiceriam missum vocemus. Nuntium de terra longinqua, quia de cœlo ad Nazareth: imò dicamus Magnum Nuncium quia Archangelum; bonum, nuncium, quia cum Verbo Salutis creato atque increato: nuncium cum fonte frigidæ aquæ, quia plenum refrigerii quo æstus desideriorum temperantur: nuncium ad animam sitientem, quia ad Virginem amore reparationis humanæ calentem. Venitnè verò bonus Nuncius cum bono Salve? Audi Evangelistam: ingressus Angelus ad eam dixit, (d) *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta in mulieribus.* Bonum hoc Ave, bonum Salve probant sæcula & regna quæ virgini perpetuò concinunt. An tamen virgini bonum, nescio. *Turbata est* inquit idem S. Scriptor, (e) *in Sermone ejus, & cogitabat qualis esset Salutatio ista.*

§ 2.

QUid rerum vertitur? pacem & peccatum Ave Nuntius bonus apportat virgini & illa turbatur benedictam nominat, & illa suspendit verbum, examinat AVE. Ave quatuor significata apud authores habet. Primum quidem idem sonat quod gaude: sic Basilius M. (a) *Maria*

(d) *Luc.* 1. 28. (e) *Luc.* 1. 29.
(a) *Basil. hom. de generat. Christi.*

Maria inquit *edocta & jussa est ab Angelo gaudere*: deinde idem sonat, quod Salve; ita Gregorius Nissenus: (*b*) *tu Salutis principium, sicut Eva mortis: in illa serpens venenum quod omnes perdidit, in te Deus medicinam quæ cunctos sanavit, deposuit.* Tertiò, ave, vox gratulationis est, sic (*c*) Augustinus, q. d. Angelus, gratulor tibi tam de bono privato, quia super omnes creaturas es exaltanda: quam de bono communi, quia fructus uteri tui, pretium futurus est redimendi mundi. Denique, ave apud Hebræos idem resonat, quod pax tibi, ita (*d*) Hieronymus. Sicut autem exercitus Angelorum, præeunte eodem Gabriele, nato Domino cecinit, (*e*) pax hominibus, sic ante conceptum Dei verbi, idem Angelus, (*f*) dulci salutatione pacis, animam virginis sitientem refecit. Gaude igitur virgo, quia gratia plena: Salve, quia Dominus tecum: gratulor, quia benedicta: pax tibi, quia inter omnes mulieres benedicta: Prima enim ut tuba Diaboli bellum cecinit & invexit mundo, tu bellum terminas, & nos in pace fundas. In hoc autem multiplici Salutationis Angelicæ intellectu, quid triste, quid terribile? Et tamen virgo turbatur. Quomodo verò turbatur? respondet doctè (*g*) Toletus, *affectu animi insolito commovetur, cum qua-*

(*b*) *Nissen. orat. de natali Domini.* (*c*) *Aug. Ser. 15. de nativ. Dom.* (*d*) *Hieron. Ser. de laud. B. V.* (*e*) *Cypr. orat. de nat. Dom.* (*f*) *Ambr. l. 1. in Luc.* (*g*) *Tolet. in c. 1. Luc. annot. 74.*

quadam corporis alteratione. Ad mentem Augustini, (*h*) qui animi affectus, seu passiones, ut sunt, dolor & gaudium, timor & audacia, turbationes vocavit. Quo veró affectu movetur? timore agitur & trepidat, Ambrosius explicat: (*i*) consternata respondere non potest, elucidat (*k*) Hieronymus? non solum animo concepit timorem inquit Card. Toletus, (*l*) sed ex timore sacratissimum ejus corpus commotum & alteratum est. Turbata tamen virgo timore, non est perturbata, docente (*m*) Bernardo, quomodo Zacharias turbatus metu perturbatam habens rationem, ad incredulitatem defecit. (*n*) In virgine autem Sol & Luna steterunt in ordine, ratio rectè discurrendo, voluntas, rectè volendo. Ad imitationem Filii venturi, composita erat mater. Ille turbavit seipsum, sine diminutione internæ suæ tranquillitatis: (*o*) ista turbata est ab Angelo, ante descensum in suum uterum magni consilii Angeli. Ut autem piscina probatica, turbabatur descendente & movente Angelo (*p*) nec tamen extra ripas suas quibus circumscripta fuit, prodibat: ita hæc Sacratior & grandior Piscina, in qua salus mundi natabat (*q*) (piscinam eam vocant probaticam Patres) ad Salve Angelicum turbata

(*h*) *Aug. trac.* 60. *in Joan.* (*i*) *Ambr. l.* 2. *de Virgi.* (*k*) *Hyer. ad Eust. epist.* (*l*) *Tolet. in c.* 1. *Lucæ ann.* 74. *n.* 2. (*m*) *Bern. sup. Missus. hom.* (*n*) *Luc.* 1. 12. (*o*) *Joan.* 11. 34. *Hieron. in c.* 26. *Matth.* (*p*) *Joan.* 5. 4. (*q*) *Pet. Blesen. ser.* 1. *de Virg.*

turbata eſt timore, non everſa ratione, non affectibus vitiosè emota. Unde autem timor in Virgine? An quia Angelum ſalutantem in ſpecie viri conſpexit ut aſſerit Ambroſius, (r) idque nocte profunda? an quia inſolita claritate eum effulgentem obſtupuit ut vult Auguſtinus, (s) & Eccleſia, expaveſcit inquiens Virgo de lumine? An quia ipſam Angeli eſſentiam divinitus elevata penetravit, ut ſcribit Athanaſius? (t) An quia inſolitum ſalutandi modum audivit, ut docent (u) Origenes & Hyeronimus? Non primum certè, nam virgo aſſueta erat alloquio Angelico: non ſecundum, quia claritas Dei non ſemel eam circumfulſit: non tertium: quia qui elevavit, ſic elevavit, ejus mentem ad videndam Angeli eſſentiam, cor ejus confirmavit, ut poſſet ſuſtinere Spiritualis lucis naturam, Non quartum, ſi enim magnitudinem ſublimis mirata fuiſſet ſalutationis, utique Evaugeliſta ſcripſiſſet, (w) cogitabat, quanta eſſet iſta ſalutatio, non autem qualis, ut nunc ſcripſit! Nec demum hæſit timida, Spiritum bonum à malo diſcernendo, quæ gratia plena, donum diſcernendi Spiritus præhabeat.

§ 5. Cur

(r) *Ambr. l. 1. offic. c. 18.* (s) *Aug. ſer. 14. de nat. Dom. 1. adv. in 1. noct. reſpon. 3.*
(t) *Athan. qu. 12. in qq. ad Antiochum.* (u) *Orig. hom. 6. in Luc. Hier. ep. ad Euſtoch. Ambr. Hier. Sophr.* (w) *Tolet. in c. 1. Luc. annot. 75.* (x) *Tolet in c. 1. Luc. annot. 67. et. 73.*

§ 3.

CUr ergo ab Angelo ſalutata, facta eſt turbata? Unde iſte vehemens tremoris ventus concuſſit totam domum? Sententia eſt S. Petri Chriſologi, (a) *qui invenit gratiam, neſcit timere, timet qui non invenit, ſed perdit.* Certo & limitato ſenſu, hæc ſententia habet gratiam: cæterum etiam ille timet, qui gratiam invenit, ne perdat. *In timore Domini eſto tota die*, (b) monemur à Sacro proverbio. Dies noſtra, ætas noſtra: tota die tota ætate, etiam ſtando in juſtificatione, oportet in timore Dei non nutare. Græcus legit, *in timore Dei ſtatuæ aut columnæ inſtar perſta.* (c) Ut ſtatua in baſi ſua rite conſtituta, ſtat die. ſtat nocte: ita inquit Ambroſius, (d) Eccleſiarum viri probati, ſunt quidem columnæ, ſed eorum baſis, Dei timor, in quo veteraſcunt. Ultra aſcendendo, etiam timet qui invenit gratiam Dei, nec eam amplius perdere poteſt. Timor Domini Sanctus permanens in ſeculum ſeculi, (e) hoc eſt ut explicat Genebrardus, (f) in æternitatem omnem, quæ inquit nihil aliud eſt quàm ſeculorum perpetuatus ordo & ſeries. Et addit, timor Domini, durat in cœlo, & migrantem è corpore hominem ſequitur. Unde etiam titulus

(a) *Chriſol. ſer. 3. de annu. B. V.* (b) *Prov.* 23. 18. *Ven. Beda ibi.* (c) *Græcus textus Salas. ibi. n.* 92. (d) *Ambr. in pſ.* 118. (e) *Pſal.* 18. v. 11. (f) *Genebr. ibi.*

tulus ei adjungitur, (g) in latino quidem Sanctus, in græco autem textu castus, Sanctus apud Græcos dicitur agios, (h) hoc est, sine terra: timor autem Domini probatos Deo viros possidet, non tantum quando illi terram carnis circumferunt, sed etiam quando feliciter eam exuerunt. Et iste timor castus, & sponsalitius, ac amabilis sive æternus est? Quia alius timor qui cæpit & non permanet: qui natus in Sacro Pœnitentiæ tribunali non durat immutatus, ad tribunal ultimæ Justitiæ, suspectus est, de sponsæ fide. Scit ergo timere qui gratiam invenit, & eam perpetuò possidet: quanquam nescit timere, qui perfecta impletur charitate, ista enim foras mittit timorem, servilem, non sponsalem. Hic quærit prædictus Chrisologus, (i) *quid timet, quæ securitatem rerum concipit? parit gaudia seculorum? quid timet quæ suscipit eum, quem timent omnia quæ timentur?* Respondet S. Ambrosius, (gg) quia *benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nunquam lecta est, nunquam antè comperta, soli MARIÆ hæc salutatio debebatur.*

§ 4.

Ex hoc autem instrui potest nostra imprudentia, quomodo nobis item timendum est cum nos Deus Salutet suis donis & gratia. Si ille nova benedictionis formula nos honorare dignatur, nobis cognitione humilitatis nostræ, &

(g) *Athanas. conct. Arian.* (h) *Chrisost. ser. 3. de Ann. B. V.* (i) *Ambr. l. 1. in Luc.*

& grandi æſtimatione ſuæ gratiæ, reſpondendum eſſe. Ritè Chriſoſtomus: (a) *Ubi eſt plenitudo gratiæ, ibi ſe ipſum homo in omnibus cognoſcit, neque novit res altas ſibi attribuere.* Vide Matrem Virginem, quæ ab Angelo, quid apud Deum, (ſive de Dei gratia) eſſet, declarata, extimuit & turbata eſt, non de apparitione inquit Lira: (b) Angeli, ſed de ſalutatione: quia nihil mirabilius eſt vere humili, quam exaltatio ſui. Certum eſt autem, neminem hominum dari, quem Deus non impleat ſua gratia, non ſalutet bona fortunâ, non exhilaret benedictione. (c) Quare unicuique imitanda eſt virgo, & de gratiæ communicatione, ac de ſalutatione divina timendum Cur ita? Nulli hominum Deus ſuam impartitur gratiam, niſi propter ſuam, ejuſquè, id eſt hominis gratiam recipientis, gloriam. Indubitatum enim eſt, hominem non alio fine à Deo creatum eſſe, niſi ut poſt emenſum laudabiliter mortalitatis curſum, ad metam æternæ gloriæ perveniat. Quare, & gratiæ quibus Deus nunc ſalutat atque honorat mortales, ejuſdem gloriæ ſcopum reſpiciunt. Per gratiam igitur eundum eſt ad gloriam. Baptiſta Sanctiſſimus, (d) loquens de verbi æterni, & incarnati excellentia, de plenitudine inquit ejus accepimus omnes, & gratiam pro gratia. Quomodo verò, gratiam pro gratia? Non unam homines ex meritis

(a) *Chriſoſt. tomo* 1. *ſuper. quis ego ſum.*
(b) *Lira in c.* 1. *Lucæ.* (c) *Gloſſa. in pſal.* 16.
(d) *Joan.* 1. 16.

ritis D. Christi accipiunt gratiam, gratiam ad fidem, gratiam ad pœnitentiam, gratiam vocationis sive status sui: gratiam item pinguioris fortunæ, altioris honoris, claritatem nascendi, talentorum multiplicitatem: gratiam inveniendi & loquendi, bellandi & pacificandi. (e) Hæ omnes & singulæ gratiæ, qua intentione à Deo homini dantur, nisi pro gratia? Quali verò? explicant authores, (f) pro æterna gloria & vita. Quomodo verò æterna gloria, gratia? quia Deus ut non semel repetit Augustinus (g) nunc dona sua seminat, ut post bonum eorum usum, eadem in æternitate coronet. Verum Augustini sensum phrasis doctoris gentium ostendit, is enim nos prædestinari docet, in laudem gloriæ gratiæ suæ: (h) hoc est quemadmodum S. Ambrosins, aliique exponunt, ut laudetur gloria, splendor, claritas gratiæ ejus: laudetur autem non in hoc tantum, sed magis in futuro seculo, ubi prædestinatio, non inchoata, perficitur. Nunc vide, quomodo tu procedas cum gratia Dei te honorante, te salutante: dico salutante, nam pleræque gratiæ, maximè temporales & corporales à nobis in morte recedent, nobisquè valedicent. Vide & time: an gratia impletus, eam non evacues, non solum in vanum sed & turpiter. Stat tibi gratia divina in agris, in & hortis,

(e) *Aug. tract. in Joan.* 3. (f) *Glossa in c.1. Joan Sa. ibi. Tir. Corn.* (g) *Aug. tract.* 3. *in Joan* (h) *Ephes.* 1. 5. *Ambr. ibi. Corn. ibi. n.* 19. *Justin ibi.*

hortis, in prædiis & villis, in armentis & gregibus, in ciſtis & fornicibus, an autem gratiam tractas ut gratiam? an gratiam acceptam habes pro gratia? an per gratiam tendas ad gloriam? Deus in ſuo judicio, gratiam, ſive dona ſua coronat, (i) an tu ita uteris donis Dei naturalibus & ſupernaturalibus, ut tibi illa vertantur in coronam? (k) Si non cognoſcis te ipſum ex Dei donis, ſi illa, ut res altas non æſtimas, ſi illa non Deo ſed tibi attribuis, ſi de iis nihil ara, nihil neceſſitas fratris accipit, ſed tua horrea & opes anni, abliguriunt canes & equi, amicæ & amici, tunc per gratiam tendis ad gloriam? tunc de tot floribus donorum Dei, nectis tibi ſertum exultationis & vitæ? Time, & vehementer time: ne tibi, cui nunc dicitur gratia plenus, adeſt illi Dominus, coronat eum benedictionis annus, injiciatur corona ſtraminea pro vano uſu, ſpinea, pro curis moleſtis: urticarum, urens & ardibus exercens, pro floribus voluptatum.

§ 5.

CÆterum cur turbata fuerit virgo ad vocem Angeli, mihi videtur Toletus veroſimilem attigiſſe cauſam, cujus do verba. (a) *Mihi* inquit *ille, probabilius videtur, timorem B. Viginis à ratione incæpiſſe, & ad partem ſenſitivam perveniſſe: cujus cauſa fuit inſignis amor Virginitatis. Cum enim in Angeli verbis, aliquid quod prolem*

(i) *Aug. ubi ſupra.* (k) *Chriſoſt. ubi ſupra.*
(a) *Tolet. in c. 1. Luc. annot.* 75.

prolem & conceptionem redoleret, apprehendisset, & modum adhuc ignorasset, timuit dubitans virginitatem se conservare non posse. Quamuis enim Angelum agnosceret Dei, & quod futurum erat, Dei voluntatem esse non dubitaret, ipsique in omnibus se conformen exhiberet, Virginitatem tamen conservare summopere cupiebat. Sic Cardinalis. Quod autem ait, B. Matrem ex verbis Angeli aliquid quod prolem redolebat, apprehendisse, (c) videtur ex illis verbis, benedicta tu in mulieribus, colligi. Constat enim benedictonem illius temporis mulierum, in fœcunditate sitam fuisse, nec innuptam fæminarum sortem floruisse. Porrò eandem ante Toletum rationem, Patres SS. tetigêre: ex quibus Greg. Nissenus, (d) *Angelus*, ait *partum denunciat, illa virginitatem complectitur: non quod non esset obediens, divinæ voluntati, sed quod vellet si posset, virginitatem conservare.* S. item Augustinus (e) eandem causam insinuat explicans illa Archangeli verba, ne timeas, invenisti gratiam apud Deum: ne à conspectu meo terrearis mater Domini mei, ego conceptionis tuæ minister adveni, non ut virginitatem amitteres, interveni. Dormit Jacob (f) opulenti Patris filius pauper peregrinus in cervicali saxeo, & aperit sese cœlum, & explicat ingens scala de terra in cœlos pertingens, cujus imum capite suo Jacob attingebat, cujus summo Deus incubabat, cujus medium

(c) *Luc.* 1. 28. (d) *Greg. niss. orat. de Christ. natur.* (e) *Aug. Ser. 2. de Annunc.*
(f) *Genes.* 28.

dium & gradus, aſcendentes & deſcendentes Angeli implebat, & evigilat de ſomno turbatus & pavidus, & exclamat. (g) non eſt hic aliud niſi domus Dei! Hac verò ſcalâ providentiam Dei circa Jacob non defuturam, (h) principaliter figurabatur quanquam autem in omnibus, præcipuè tamen in domo ſeu familia, illi ædificanda per ſeriem generationis, adeò, ut (quemadmodum tunc Deus illi dixit) in ſemine ejus eſſent benedicendæ omnes gentes, (i) hoc autem ſemen non fuit aliud, niſi Dei & MARIÆ filius. Quod ſi Jacob audiens, domum ſibi, & progeniem Dei gratia dandam extimuit, quantò magis virgo turbata eſt & metu concuſſa; cum ex verbis ſalutantis Angeli cogitare cæpit, ad domum conſtruendam, ad prolem egregiam concipiendam ſe invitari, ſed fortè, cum jactura dilectæ, & cultæ, votæque Caſtimoniæ.

§ 6.

HIc tibi facem præfert, quomodo vigilare cum timore & tremore pro caſtitate Chriſtianâ debeas, orbis terrarum. Sacraverat ſe illa religione concepti voti in caſtam & mundam Deo domum, in templum S. domino, & mox ubi aliquid quod ejus nitori & munditiei officere poterat, ſuſpicata eſt, ſacro metu ſemet ipſam turbavit & inhorruit: tu quoque Chriſtiane orbis in Caſtimoniæ conſervanda glo-

(g) *Theodor. qu. 82. in Geneſ.* (h) *Perer. tom. 4. in Gen. diſp. 3.* (i) *Geneſ. 28. 14.*

gloria vigila, & attende tibi. Nam tu quoque quot fidelibus, tot templis Sanctis & dicatis Deo constas. Virgo ferè intra se dixit, nolo filium si perdo lilium: tu dicere tibi memento cum S. Casimiro Poloniæ Principe, citius vitam quàm lilium amittam. (a) Domus Dei sum in baptismatis Sacramento illi consecrata, in aliis Sacramentis inscripta, (b) domum Dei decet Sanctitudo in longitudinem dierum: non ad horam, non ad diem, non ad mensem Quadragesimæ, sed, in longitudinem dierum. Considerans S. Chrisostomus, (c) quomodo Magister gentium familiam Priscæ & Aquilæ vocaverit Ecclesiam domesticam, domus inquit, priscis temporibus Ecclesiæ erant, nunc etiam ipsa Ecclesia, in domum redacta est. Sed fortassis eadem querela tangit nostra tempora, in quibus, & Ecclesia ipsa, & templum corporis nostri, non tractatur ut Ecclesia, non curatur ut templum Domino Sanctum, Horrendum fuit spectaculum Judæis, (d) cum Pilatus Cæsaris imaginem in templo collocavit: horrendum cum equestris Adriani statua in Sanctis Sanctorum stetit: sed maximè omnium horrendum videbitur, cum Antichristus, quasi Deus in altari sacro considebit. (e) Hæc erat abominatio desolationis. (f) Tu Christiane quando in corpus tuum peccas, vide quid in templo

(a) *Sur. in 4. Mart. in vita S. Casim.* (b) *Psal. 92. v. 7.* (c) *Chrisost, in epist. ad Rom. c. 6,* (d) *Hyeron. in c. 24. Matth.* (e) *Dan. 9, 27.* (f) *Matth. 24. 15, 1, Cor. 6. 18.*

templo DEI agas, cujus imaginem, ſtatuam, idolum ibi colloces. Crede, vel non crede, in tui cordis Sacratiſſima quondam ara Antichriſtus ſedet. Deteſtaris (g) Judæum, qui in contemptum Salvatoris, ad tollendam paſſionis ejus memoriam in loco crucis, marmoream ſtatuam veneris collocari curavit. Tibi autem cum violas Dei templum, crux ſub planta, venus in capitis calvaria. O abominatio deſolationis quomodo te ſtantem in loco ſacro, in corpore Chriſtiano, is patitur qui virgini dicit Salve? Bonus Mathathias ſuorum calamitatem deplorans temporum, (h) væ mihi ajebat ut quid natus ſum videre contritionem populi mei? Sancta in manu extraneorum facta ſunt, templum ejus ſicut homo ignobilis! Et tamen hoc templum, igni in cibum, ſeculis in ſibilum datum eſt. Quomodo verò rugiendum, cum templum carnis Chriſtianæ datur in manus extranearum (i) (ſic meretricem vocat Scriptura) & quaſi ruſticum quid piam, & mancipium viliſſimum tractatur? templum autem illud cœlum ſuſcepturum erat, & æternitas in honore habitura? (k) Audituri ſunt quidam ante fores cœli ſtantes, foris canes. Qui autem iſti omnes? omnes conſentiunt interpretes, impudici & impuri. (l) Eheu! adhæſerunt viventes extraneæ, & facti ſunt quoties

 extra

(g) *Brev. Rom. in lect. 2. nocturni invent. S. Crucis.*
(h) 1. *Mach.* 2. 7. 8. (i) *Prov.* 7. 5. (k) *Apoc.* 22. 15. (l) *Corn. à Lapid. Ribera. Tiriv. Menoch. ibi.*

extra? Extra se, nam facti sunt canes: extra communionem Sanctorum, nam ab eorum parte aascinduntur: extra cœlum, nam foris canes mittuntur. Imitandi sunt in cura templi, Machabæi, & eorum sequaces, de quibus S. litera: (m) Statuerunt dimicare & confligere fortiter. Erat enim pro uxoribus, & filiis, itemque pro fratribus, & cognatis minor sollicitudo: maximus verò & primus pro Sanctitate timor erat templi. Nec nos aliter sollicitudo apprehendere debet: pro rebus temporalibus cura minor, pro Sanctitate templi vivi timor primus, & maximus. Ecce & mater Dei, mater nostra, pro honore templi sui timet, & turbatur.

§ 7.

Virgo ad salutationem Gabrielis turbata, cogitabat qualis esset ista salutatio. Nos quoque sæpe & diligenter cogitemus, qualis & quanta sit ista Archangeli Salutatio qualis in effectu, quanta in excellentia Salutationem Angelicam quis consecutus sit effectus, rectè expressit Petrus Blesensis: (a) *admirabiliter*, inquit ille, *Virgo affecta fuit, in separatione carnis, in remotione fomitis, in virtute benedictionis.* In separatione carnis: nam caro Virginis, gratia S. Spiritus, non solum facta est caro Angelificata, quod dixit Septimus de carne Virginum, (b) sed etiam facta est caro deificata, utpote quæ Deo

(m) 2. *Mach.* 15 à 6. 17. ad 20. (a) *Blesen.* *Ser.* 1. *de* B. *V.* (b) *Tertul. de resur. carnis.*

Deo verbo materiem concipiendo dignè ministravit. In remotione fomitis. M. & S. Leonis vox est, (c) *immaculata Virginitas concupiscentiam nescivit.* Quem secutus noster Toletus dixit: (d) *quam antiqua Virginitas fuit in MARIA, ita antiquitus concupiscentiam quæ est fomes peccati, Virgo ignoravit.* Ad mentem S. Oecumenici Concilii Tridentini, (e) quod Virginem ab omni peccato veniali immunem extitisse declaravit, tota vita. Si autem Virgo ante filii conceptionem, habuisset in se peccati fomitem, iste in aliquo veniali sese prodidisset. Richardus (f) tamen & nonnulli, ablatum censent fomitem, cum concepit Salvatorem. In virtute benedictionis. Quia in uterum Virginis, verbo Angeli consentientis non solum verbum Deus, sed ut ait unus, (g) tota prædestinatorum Ecclesia descendit, & cum concepto capite, totum Ecclesiæ corpus formatum est. Similes porrò effectus, Angelicum Ave sive Salve pronuntiatum formavit & format in compluribus: separat enim eos à carne, extinguit aut mitigat concupiscentiæ fomitem, & virtutem benedictionis, hoc est facultatem sanctæ operationis ad colligendam fœcunditatem meritorum operatur. In partibus Hannoniæ Comes Goseguinus, (h) ut divitiis plenam ita vitiis

(c) *Leo ser. 2. de nativ.* (d) *Toletus. in c. 1. Luc. annot. 67.* (e) *Trid. ses. 6. c. 23.* (f) *Rich. des. vict. l. 2. c. 28. de Emanu.* (g) *Hesich. Orat. de Dei par.* (h) *Annal. Hannon. tert. volum in c. 19.*

oneratam ducebat vitam: qui tamen cum omnium admiratione, facultatibus suis sese exuens, disciplinam complexus est monasticam. Is deinde rogatus, unde sibi morum provenisset mutatio? dietim inquit Salutationem Angelicam virgini semper persolvi: hæc autem mater salutis, Spiritum salutis, & pro Salve, Salve suum mihi refudit.

§ 8.

JAm verò si cogites, quanta sit ista salutatio, credo turbabere, & mecum expavesces. In cœlis resonat, in terris regna coercet, in inferis justitiam Dei ligat. Magnus Athanasius affirmat (a) Angelicas hierarchias in cœlis hisce verbis affari Virginem, ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Circa annum D. 1356. (b) Amadæus Dux Allobrogum Sodalitatem Equitum sub titulo Annunciatæ VIRGINIS instituit, quibus torquem aureum Viritim concessit, habentem, imaginem ab Archangelo salutatæ, & quatuor literas, F. E. R. T. in memoriam M. illius Amadæi, cujus Virtute Rhodus Mahumetanis erepta fuit. Illæ enim literæ, quatuor verba inchoabant, nempe, fortitudo, ejus, Rhodum tenuit. Laudandus Senior Amadæus, cujus virtus Rhodum tenuit: nec minus celebrandus alter & junior Amadæus, cujus pietas Sapiens Rhodum quam sui equites

(a) *Athan. Ser. de Deipar.* (b) *Ephemerides Marian, 25. Mar.*

equites tenere, imò & Christiani omnes deberent, indicavit. Rhodus nostra virgo Maria est, (c) est enim illa, inter humani generis spinetum unica Rosa, est quæ protulit vivum Solis colossum, Christum Deum: est quæ imperat mari mundiali, est in qua, non semel, sed semper pluit aurum: est in qua nulla dies ita nubila, ut splendor Solis non fulgeat. (d) Hæc Rhodus regna continet inverso modo. *Transeunt* inquit Rupertus, *fines regnorum, sed Virgo regna custodit, ipsa se ferentes fert, & effert ad cœlestia regna, ipsa se tenentes continet in gratia, retinet à ruina.* Quis autem explicare poterit, quoties virgo Salutata ignes emendatorios mitigat, & vento roris afflat? Stat quasi incantata justitia, & tenerescit dum MARIÆ fidelis misericordia, pro Salve, vale dicit purgatorio. Gaudet cœlum, tremit infernus, evacuatur purgatorium cum dico Ave MARIA, ait unus. (e) Hic restat, ut duo videamus, quale à nobis & quantum procedat ad virginem Ave, sive Salve, qualis nostra & quanta salutatio? *Locutus est dives, & verbum ejus ad nubes perducunt*: nos autem cum nostro sono, angeli verbo, Dei sensu Virginem Salutamus, verè ut divites loqui possumus: scimus enim etiam hodierna die, multorum Salutationes intrare & lætificare sidera, an autem & nostræ? Recedunt

(c) *Rhodus. rosa. Diodor. l. 6.* (d) *Pindarus. Solin. in Rhodo. Rupert. in Cant.* (e) *Thomas à Kem. Ser. super Ave MARIA. Soliloqu. c. 23. Eccles. 13. v. 28.*

dunt à carne, minuuntur in fomite, augenturu in benedictionis virtute, qui fideliter Virgini reddunt ave, & Salve, cur non & nos iisdem donis ornamur qui idem carmen modulamur? Lego in historiis Indianis, unum qui ire ad SALVE REGINA dicendum recusavit, à Crocodilo interemptum. (f) Quid si, ubi nullum sonat Virginis Ave, nullum Salve, ibi contingat dum non timetur infelix vitæ, vale? & Crocodilo bolus & jocus

ARTICULUS IV.

SALVE HUMILITER VISITANS.

§ I.

INvitat Psaltes Regius, (a) *regna terræ cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem.* Quare autem cantandum ascendenti versus orientem? quid illustre, quid admirabile efficit ascensu versus Orientem? (b) *Ecce* inquit *dabit voci suæ, vocem virtutis.* Quæ verba Ascendenti Domino in cœlos, principali sensu competunt: nihil autem obstat quin eidem super montana Judeæ ascendenti corporaliter, & super Joannem in utero matris, ascendenti per virtutem Sanctificandi Spiritualiter, accipi queant? An enim non ad orientem ascendit, qui mirabilis & gloriosus super Joan-

(f) *Annales Insul. Philip.* 1601. *F. Franc. Verret.*
(a) *Psal.* 67. 33. 18. (b) *Psal.* 67. 35. *Aug. Hyer. Lor. Bellar. in Ps.* 67.

Joannem sex mensium apparuit? Certè cum senes Deus Sanctificat, ad occidentem ascendit, cum viros, ad meridiem, cum moribundos ut latronem in cruce, ascendit super Aquilonem, & noctis regnum. At ubi vox virtutis? Vox Matris ejus Sacratissimæ Elisabetham salutantis, vox planè, intimè, propriè vox ejus, quia vox virtutis. Euthimius (c) istum locum versans psalmi, vocem virtutis explicuit ipsum Spiritum Sanctum, eo quod ille efficiat linguas mutas disertas, & ora tacentia vertat in ora magnalia Dei loquentia, & infirmas arundineasque voces, in voces fortes & virtutis, in voces ferreas, quibus nulla ora resistere possint vel gladiorum, vel Philosophorum. Sic Apostolis & discipulis præ metu Judæorum silentium altum tenentibus silentium abrupit, (d) & eorum voces in omnem terram exire fecit, & in fines orbis terræ eorum verba perduxit ac propagavit. (e) Neque verò post Apostolos, desiit facere virtutis voces & sonos: sicut patres sic filios implevit dono fortitudinis loquentis. Et nunc, quisquis quod aliis suadet, sibi prius persuasit, & ante verbum posuit opus, vocem virtutis inquit Bernardus (f) à Spiritu S. accepit. Cæterùm cum DEUS incarnatus ad orientem Joannis ascendit, ubi cœlum cœli, quod illum vexit? Advertit & doctè Lorinus (g) cœlum cœli, dici summum & excellentissi-

 mum

(c) *Euthim. in Ps. 67.* (d) *Act. 2. 11.* (e) *Ps. 18. 5.* (f) *Bern. Serm. 59. in Cant.*
(g) *Lorin. in Ps. 67. circa finem.*

mum cœlum, quale eſt empireum ſedes Dei, ſicut Sanctum Sanctorum, dicitur locus templi Sanctiſſimus, & canticum canticorum, canticum nobiliſſimum. Cœlum ergo cœli, cœlum excellentiſſimum cum Dominus ad orientem Joannis feſtinaret, erat Virgo mater: ipſa enim eum tunc in utero portabat, quem cœli cœlorum continere non poterat. (h) Ipſius item vox Salutantis, vox virtutis. Ecce inquit Eliſabeth, ut facta eſt vox Salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Dicere Salve, (i) & infantem in Prophetam erigere, & matrem infantis, Spiritu S. replere, non erat uti voce virtutis? Regna igitur terræ cantate etiam Dominæ, pſallite Deiparenti: & pro Salve ejus Joanni dato, congeminate, Sâlve, Salve.

§ 2.

HOminum SALVE, quod ſibi mutuò dicunt, vix meretur dici Salve. Salve enim ſalutem reſpicit: hominum autem Salve, ſæpiſſimè otioſum, Populus Iſraëlis ſecutus ſuum Abſolonem conclamat illi *Salve Rex*, (k) & ecce Rex Salutatus, de quercu ſuſpenſus pendet & riget, & tres lanceas portat. Hominum SALVE doloſum: Judas in horto accedens Salvatori, ore ait, (l) ave Rabbi, & digito loquitur turbæ, tenete eum. Vox amici, digitus inimici. Hominum SALVE non rarò pernicioſum:

(h) *Luc.* 1. *v.* 44. (i) *Ambr. l.* 1. *in Luc.*
(k) 2. *Reg.* 16. (l) *Matth.* 26. 48.

osum : favum verbis distillant, absinthium mortis manu parant. Joab Abner & Amasæ, Salve frater comprecatur, (*m*) & ore gladii latera fodicans animam de corpore furatur. Vox igitur hominum vox infirma & infirmans. Illis dicas, quod lusciniæ adversaria avis, vox est prætereaquè nihil. Vox in Salutando, vox in promittendo, vox in orando, vox in offerendo, vox in laudando, hoc est adulando: præterea verò nihil. Non sic verò non sic vox Genitricis divinæ, ~~vox~~ ejus vox virtutis. Exclamat Card. Toletus. (*n*) Attende Salutationem B.V. Verbaque ipsa non tantum significativa, sed etiam effectiva fuisse, velut instrumenta quædam, per quæ divina omnipotentia operata est in Joanne & Elisabeth. (*o*) Observarunt docti linguæ Sanctæ formulum Salutandi hebræis fuisse hanc, *Schalom lach*, seu *Schalom lecha*, quod sonat, pax tibi. Credibile est autem quemadmodum Mater Salutis, prævenit Elisabeth Salutando, morem communem secuta, sic in formula salutandi à ritu suæ gentis non discesserit. An autem cum Cognatæ suæ uterum ferenti illa dixit, Pax tibi, pax accessit sibi? Omninò. Non enim solum significans, sed etiam efficax verbum Salutando protulit pacem ergo MARIÆ de ore prodeuntem, pax in anima tunc Sanctificati Joannis excepit, & pacis fluvio

(*m*) 2. *Reg.* 20. 9. 2. *Reg.* 3. (*n*) *Tolet. in c.* 1. *Luc. annot.* 117. (*o*) *Jansen. in c.* 1. *Luc. Barrad. tom.* 1. *l.* 7. *c.* 7. *super ave gratia,*

in se defuso, purus constitit, gaudio præterea inundavit. Inundavit inquam, nam illud velut ripis suis egressum, matrem perfudit, & per os matris in aures Ecclesiarum & seculorum diffluxit ac diffluit. Pro magno Salvator privilegio suis concedens, & ut pacem domui quam ingrederentur, darent (p) jubens: *Si fuerit* inquit *filius pacis, requiescet pax vestra supra illum.* Filius pacis vocatur justus, interprete S. Remigio: (q) Emmanuel Sa, comprecatione pacis vestræ dignus. (r) Verùm si magnum est, filio pacis, ave pacis, Salve tranquillitatis dare, certè longè augustius est, & planè Matre Matrum dignum, filio non pacis, beneficium pacis impartiri. Si magnum est, gaudenti addere gaudium, quantum est sub primi peccati tristitiâ gementi, ut erat Joaenes, bonum divini gaudii conferre?

§ 3.

EXultavit in gaudio infans, (s) ut facta est vox Salutationis tuæ in auribus meis. Advertere nobiliores interpretes, (t) ad vocem salutantis Virginis, duo consecuta esse miracula, idquè eo ordine, primum ut Joannes Sanctificatus & ab originali peccato exolutus, impleretur Spiritu S. & gaudio gestiret: (u) deinde autem & posterius, Elisabeth, augmentum San-

(p) *Luc.* 10. 6. (q) *Remig. in c.* 10. *Matth.* 10. (r) *Sa. in c.* 10. *Luc.* (s) Luc. 1. 44. (t) *Corn. à Lap. Tir. Menoch. in c.* 1. *Lucæ.* (u) *Tolet. in c.* 1. *Luc. comment. in vers.* 41.

Sanctitatis perciperet, & Spiritu S. impleretur. Huic sententiæ & ordini favet Evangelica historia, (w) quæ sic ea miracula refert, ut audivit Salutationem MARIÆ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu S. Elisabeth: favent & SS. Patres. Quos inter Ambrosius, (x) vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Non prius mater repleta sest Spiritu S. quam filius. Ex hoc autem prius peccator, deinde justus sumat occasionem gaudendi in Domino: nam Virginis miraculosa & præpotens divini operis vox, prius peccatori Joanni, deinde justæ ac Sanctæ matri ejus gaudium excitavit, ubi vulgata habet, (z) impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me, Chaldæus & Genebrardus extulit: impulsione impulit me peccatum, ut caderem, sed verbum Domini adiuvit me. Hæc certè verba optimé canere potuit, gaudio de voce Matris divinæ descendente perfusus Joannes (aa) O peccatum primi parentis impulisti me ut caderem, dejecisti me ut in sorte fortunatæ innocentiæ non subsisterem, sed verbum DEUS, ipse tacens, at matris ore clamans, me dejectum erexit me impulsum, ut amplius non nutarem voce matris suæ tanquam organo potentiæ & gratiæ suæ roboravit, (bb) vox ergo exultationis & salutis, supressa & conticescens in eversis peccatorum tentoriis, nunc re-

 sonet,

(w) *Luc. 1. 41.* (x) *Ambr. l. 2. in Lucam.*
(z) *Psal. 117. 13. Chaldæus tex.* (aa) *Genebr. in Psal. 117.* (bb) *Psal. 117. v. 15.*

onet, & hilarescat in tabernaculis justorum. Quod si & tu quem peccatum personale impulit in ruinam, dejecit in puteum tristitiæ, vis exultare in tabernaculis justorum Domini, & reddi tibi lætitiam Salutaris divini, curre ad Matrem Salvatoris, & pete ut ipsa pro te os aperiat: vox ejus exultare facit peccatores. (cc) Cœlum cœlorum est MARIA: de cœlo fugiet dolor & gemitus, non tamen sonante cœlo fugit à peccatore dolor & gemitus. Ad MARIÆ tamen unum SALVE, diffugiunt dolores inferni, nec subsistunt desperantis atque absorbentis tristitiæ abyssi. (dd) Verè & benè nova Eva Patribus dicta, illa lachrimas inquit Augustinus, (ee) ista gaudium, quando Salvatorem, in utero portavit. De lachrimis Evæ, quas illa de Serpente concepit, natæ sunt & nascuntum mentis lachrimæ filii carnis. Lachrima fuit Cain, lachryma Abel, lachryma Seth, & omne genus nepotum ejus. Quin etiam non contenti, in peccatis concipi, lachrimæ nasci, sicut uxor Loth in salem, sic ipsi transeunt (ff) in vivam lachrimarum statuam. Attamen istæ vivæ Spirantes, ambulantes lachrimæ, si Matri divinæ dicunt Salve, resalutati ab illa, & Salvati per ipsam, migrant in risum Deo, gaudium Angelis, cœlo plausum. Cantus MARIÆ, Evæ planctum exclusit (gg) ita vox virtutis, vox intercedentis MARIÆ, planctum peccatoris, mutat

---

(cc) *Apoc. 21. 4. Bonav. in Spec. c. 5.* (dd) *Bern. ser. signum magnu.* (ee) *Aug. ser. 18. de SS.* (ff) *Gen. 19. 26.* (gg) *Aug. ubi supra.*

mutat in affectum exultationis: Fuit, & jam non eſt Judith lætitia Iſraëlis: (bb) eſt & erit MARIA, lætitia, Deum quærentis peccatoris omnis.

§ 4.

Refert in ſua hiſtoria Hector Boëtius, (a) cum Saxones ea tempeſtate adhuc gentiles, in Britannos ad fidem reductos, impia arma moviſſent, Britannos omni auxilio humano deſtitutos ad Sanctos Antiſtites Germanum & Severum confugiſſe Illi verò Utero Regi Britonum perſuaſerunt, ut exercitum qualem tunc poſſet cogeret, & inermes ad militandum contraheret. Dictum, factum. Procedunt ergo Chriſtiani ad pugnam Deo armati, juſtitia loricati, & ante eos Germanus veluti Dux & Signifer, cætum Clericorum ducens vadit, unum admonens omnes, ut voci ſuæ quam elevaturus in hoſtes erat, uno clamore reſponderent. Procedunt & Saxones feſtini, armis fidentes, inermes autem Britannos ridentes. Ergo ubi acies in mutuum conſpectum ſibi convenere, globus Sacerdotum docente & præeunte Germano, Alleluja, alleluja, alleluja ter conclamat: & Deus voci eorum dans vocem virtutis, adeò timore hoſtes percuſſit, ut abjectis armis, & animis, deſertis caſtris, & ſuis rebus, paſſim fugerent, in flumen vicinum intrarent, ſeque demergerent: cum interim Britanni, alleluja

a S.

(bb) *Judith*. 15 10. (a) *Hect*. Boët. *lib*. 9. *hiſt. Scot.*

à S. Germano inchoatum repeterent, & terrorem, veluti Gedeonis milites tubis, vehementer hoſtibus angerent. (b) Hi deinde quæſiti, cur Salutem ab armis & manibus, in pedes & fugam tranſtuliſſent, reſponderunt, veſtris Sacerdotibus, vobisquè alleluja conclamantibus, tantus fragor & ſtrepitus aures noſtras implevit, ut crederemus, non vicinas modo rupes & montes inter ſe collidi, inquè capita noſtra ruere, ſed ipſam cœli machinam cum tonitrubus & fulminibus convulſam & concuſſam in nos deſcendere. Ita ergo ad lætam vocem Germani, hoſtes fugerunt, Britanni triumphârunt. An verò tu minus voce tua potes ô Sanctiſſima Cœli terræquè Regina? nunquid non tu in tuo Germano & Britanno clamabas alleluja mater & auxilium Chriſtianorum? Cantant & ſine fine iterant ad thronum divinitatis conſiſtentes turbæ Electorum palmi virentes, (c) ſtolis candentes, felix & dulce alleluja. At tu, prior illis inchoas, & clarius cæteris audiris. In tres claſſes dividuntur in cœlis Sanctorum voces: (d) reſonant quidam ut aquæ certantes cum aquis, alii ut tonitrua magnifica & acuta audiuntur, alii denique ſonant ut dulces cytharæ. In te autem vox omnium Sanctorum habet locum & virtutem. Cum loqueris peccatori, ut aqua abluis & mundas, & diſpellis peccatum: cum alloqueris Deum, omnes tibi ſe ſubmittunt cytharæ Seniorum, quoniam potentiſſimè interce-

(b) *Judic.* 7. 21. (c) *Apocal.* 19.
(d) *Apocal.* 19, 6.

tercedis: at in hoſtes noſtros viſibiles & inviſibiles, vox tua tonitru, tu fulmen. Dulcis & verax tua vox apud tuum Thomam: (e) *ecce ego ſto inter cœlum & terram, inter Deum & peccatorem, & ne mundus iſte pereat, precibus meis obtineo.*

§ 5.

JAm verò qui Magnæ Matris, vocem ſalutantis laudamus, ad ejus vocem, noſtram oportet conformemus. Adſtat ſuper nos Deus qui luce prima ad veſperum actus noſtros proſpicit: (a) ſed & ejuſdem aures, in omnem ſonum cordis & oris, morum ac operum intendunt. *Quis putas* quærit Origenes (b) *ita canoræ vocis eſt & ita Spiritus puræ mentis, qui ſincere canat, ut cantilena ejus divinum poſſit oblectare auditum?* & reſpondet, *ille qui nullum peccati raucum habet ſonum.* Et talis cantilena fuit Virginis Beatæ vita, nullus enim peccati ſonus, totam omnium morum ejus, motuumquè ſimphoniam corrupit. Nunc tuam vitam, ô cultor Virginis inſpice, & in quo choro canentium verſeris, liquida ne voce virtutis, an rauco peccati ſtrepitu reſonantium, attende. Salutas Virginem, laudas Deum tua voce, quali verò? Cum tua curas & non quæ ſunt JESU Chriſti, quali voce cantas, columbæ an corvi? reſpondet Auguſtinus, (c) *qui ſua quærunt & non quæ Chriſti,*

(e) *Thomas à Kemp. ſoliloq. c.* 24. (a) *Hymnus in laud. feriæ V.* (b) *Orig. h. 6. in lib. Judic.* (c) *Aug. tract. in Joan. 6.*

Christi, corvi sunt & non columbæ: raucus igitur & ingratus de te prodit peccati sonus. Tibi debita petis dimitti, nec debitori tuo ea dimittis, quali voce resonas? rauca & ingrata, inutili ac infructuosa cornix: Cornix garrit, & nullum fructum parit: ita, qua spe inquit S. Cyprianus orat (*d*) qui inimicitiam servat? respondet interlinearis glossa, talis orationis nullus fructus. Rapuisti alteri nec restituisti, & tamen tibi dari à Deo oras, sed qua voce? vox quidem vox Jacob, manus autem manus Esau: vox quasi liquida, sed manus raucum nimis peccati sonum edunt. *Noli*, monet Hipponensis Antistes (*e*) *bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis.* Mater Dei semper dulcem & efficacem sonum Deo edidit, tu qualem? Accipe consilium sed necessarium M. Augustini: (*f*) cum laudatis Deum toti laudate: cantet vox, cantet vita. Tu intra mecum in viscera, & dum aliorum tota vita cantat, tu quære, an & quis annus totus Deo cantârit? an mentis? an hebdomadas? an minimum dies, an hora? Vitâ sic canta (cantare nobis pergit vox Augustini, verbum Dei (*g*)) vitâ sic canta, ut nunquam sileas. Si quiescit, subdo, Deus à benefaciendo, tu item conquiesce ab eo laudando: quod si ille semper beneficiis suis, nimium sonoris me provocat, cur ego carmine perpetuæ

(*d*) *Cypr. Serm. de orat. dom. Interl. in c. 5. Matt.* (*e*) *Aug. in Ps. 146.* (*f*) *Idem ibid.* (*g*) *Aug. in Ps. 146.*

tuæ laudis & gratiarum non illi respondeam? Super muros Jerusalem constituit custodes, (h) tota nocte ac die non tacent laudare nomen Domini: cur ego inter muros Jerusalem, hoc est Ecclesiæ, insertus lapillus vel laterculus, cum Smaragdis & adamantibus vivis mihi consertis, item cum custodibus Angelis non pango laudes? Denique SALVE virginis Matris, ut ignis, exussit peccatum, lucem attulit, flammam charitatis accendit Joanni: meum autem Salve quot toties Dominæ Angelorum repeto, quam lucem menti, quam scintillam cordi, quam vim adfert crimini? Clamandum cum devotissimo Thoma, (i) *utinam ad satisfaciendam desiderio honorandi & salutandi te ô virgo, omnia membra mea verterentur in linguas, & linguæ in igneas voces.*

§ 6.

ALter effectus ex voce salutantis virginis resultans, fuit Baptistæ saltus. (a) Sic de illo mater, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans: hoc est ut græcus textus expressit, (b) saliit, exiliit, subsultavit infans. Ut cum Spiritus potens per cavernas terræ in viscera ejus sese immisit, aut ibi coalitus, dilatatur & convalescit, exitum inde quærens, terram concutit & subsilire facit: ita vocis virgineæ divinus & vehemens Spiritus dum Joannem afflavit, ad saltum excitavit. (c)

Cæte-

(h) *Isai. 62. v. 6.* (i) *Thom. à Kemp. solil. c. 23.*
(a) *Luc. 1. 44.* (b) *Græc. text.* (c) *Saltus Joannis in Spiritu.*

Cætèrum hic ſenſibilis ſurſum aſcendentis, & deorſum ſeſe deprimentis motus, alium occultum, eumquè altiſſimum ejuſdem pueri indicavit Saltum. Unde autem & quo? Saliit Joannes à non intelligentia ſui, ad intelligentiam ſummi: Saliit à Vacuo gratiæ, ad plenitudinem Spiritus S. Saliit denique à ſe muto, ſurdo, nil ſciente ad ſublimitatem, incerta & occulta & ſupercœleſtia, videntis, audientis, loquentis Prophetæ. (d) Primum, plurimi Patrum detulére Joanni, ſed nominatim Chriſoſtomus (e) qui ſic eum loquentem inducit: *exulto, quia univerſi effectorem video formam hominis ſuſcipere: exilio, quoniam mundi Redemptorem Cogito incorporatum.* Item Cyrillus Hieroſolimitanus, *Solus* inquit *Joannes corporeis oculis nihil videns, Spiritu Dominum cognovit in utero existens.* Pro ſecundo ſtant verba Angeli ad Zachariam dicentis, *replebitur Spiritu Sancto adhuc ex utero matris ſuæ.* (f) Quando autem hoc impletum, gloſſa explicuit, (g) quando inquit intrante Virgine exultavit in utero genitricis. Nervoſe & ſublimiter S. Ambroſius? (h) *cum filius eſſet repletus Spiritu Sancto, replevit & matrem.* Cave autem ſentire, quaſi hoc loquendi modo imminuatur gloria vocis Salutantis Virgineæ, imò hinc creſcit. Nam verbum per vocem Matris tantam abundantiam in Joannem effudit gratiæ, ut

(d) *Vide Tolet. in c. 1. Luc. annot. 118.* (e) *Chriſoſt. apud Metaph. in Julio Ciril. cath. 3.*
(f) *Luc. 1. 15.* (g) *Gloſſa ibi ad ver. 15.*
(h) *Ambr. l. 2. in Luc.*

ut is Spiritu S. dominante superfusus inquit Bernardus, (*i*) & purgatus exeat, & repletus. Addo verò, ut is in utero matris fieret Spiritu repletus & replens. Tantum enim per os MARIÆ accepit gratiæ, ut communicans eam matri, ipse sufficientem & uberem adhuc pro se retineret. Sicut cum fluvius manens in sua magnitudine fluvius, intrat in aquæ ductus, & foveas profundas, & inde exit. Denique vox virginis Joanni contulit dignitatem vatis. Audi M. Leonem: (*k*) nondum natus Joannes, prophetica exultatione commotus est; quasi etiam intra matris viscera jam clamaret, ecce agnus Dei. Præclarissimè Chrisostomus (*l*) omnes prophetæ proprietates eum habentem inducit. Prophetæ est audire recondita, auribus percipio inquit misteria, quoniam nascor vox magni verbi. Prophetæ est futura, aut involuta videre: (*m*) video, inquit Dominum qui naturæ imposuit terminos: in utero gestari Solem justitiæ video. Prophetæ est, canere occulta Dei populo: sum tuba inquit, (*n*) proferam filii Dei in carne dispensationem. Ecce adquos quamque altos ac admirabiles saltus, vox virginea SALVE suum detonans provexerit!

§ 7.

QUod si non salutata, nec rogata Virgo, tantum Joanni ad saltum mentis, Saltum divinum

(*i*) *Bern. Serm. de S. Joan. Bapt.* (*k*) Leo *ser. 4. in Epiph.* (*l*) *Chrisost. apud Metaphr. mense Julii.* (*m*) *Ibid.* (*n*) *Idem ibid.*

divinum adjuvit, quid faciet salutata pie, orata sæpe? Salit Joannes saltum intelligentiæ, & quidem hujusmodi, ut intelligendi, rectè: que volendi usum non ad momentum acceperit, nec Solum in carcere uterino conclusus exercuerit, sed eum natus secum extulerit in lucem, totoque pueritiæ tempore retinuerit. Vox est Ambrosii (a) B. Matrem tribus mensibus apud Elisabeth mansisse ad profectum Joannis. Infert inde Car. Toletus, (b) non autem proficere potuisset, nisi arbitrio usus esset, Porrò is usus qui ad nativitatem perseveravit, extra uterum positum Joannem non destituit. Nunc mihi numera stellas si potes, quibus lucem ingenii, memoriæ, artium, scientiarum virgo Salutata fideliter accendit? Sint hæc minora. Numera si potes, quantis clientibus prudentiam justorum, scientiam salutis contulit? Septem inter candelabra luce cœlesti radiantia, vidit Jesum alter Joannes ambulantem: (c) millia verò millium circumstant virginem in cœlis candelabrorum vivorum, quæ in terris jubar intelligentiæ secretioris ac divinioris acceperunt, & templo Gloriæ intulerunt. Quis SS. Doctorum non magnificè de illa locutus? quis sapientia de cœlis hausta post illos fulsit, & virgini animo prius non cohæsit? Nimirum, de qua Joannes initium Sapientiæ, de ipsa omnes alii qui in Sapientia non evanuêre vim ejus, sumpserunt. Loquens Chrisologus (d) de Joannis infantis scientia,

(a) *Ambr. lib. 2. in Luc.* (b) *Tol. in c. 1. Luc. annot. 118.* (c) *Apoc. 1, 13.* (d) *Chrisol. ser. 88.*

ſcientia, prius inquit meruit cœlum ſcire, quàm terram. Inter homines autem quanti prius ſciunt terram, & cœlum poſterius? quanti ſciunt terram, & cœlum etiam poſterius, cum vitam nempe concludunt, neſciunt? Qui tamen ſi (ut poſſunt) virginem ſuo SALVE ſollicitant, de gratia ejus ſciunt prius cœlum & poſterius terram? cœlum, ut docet Auguſtinus, (e) tanquam bonum ſuum, & terram tanquam ad tempus, quiddam neceſſarium. Nec pauci de gratia virginis gratiam acceperunt, ut prius & poſterius ſcirent cœlum, & terram neſcirent ſemper. Nec illi rari, qui nimium prius terram ſcientes, terrena ſapientes, tandem ex dono virginis, poſterius, (poſt quod in terris non eſt aliud poſterius) hoc eſt in vitæ receſſu, cœlum ſcire, & à cœlo ſciri meruerunt. Referunt authores (f) apud Syros ab ipſis Apoſtolis inſtitutos, hunc morem Salutandi Virginem viguiſſe: pax tibi MARIA, gratia plena, Dominus noſter tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus qui eſt in utero tuo JEſus Chriſtus. Sancta MARIA mater Dei ora pro nobis, pro nobis inquam peccatoribus. Amen. Circa annum verò 431. (g) poſt damnatum hæreſin impiiſſimi Neſtorii, additæ fuerunt illæ particulæ, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen? Cur verò additum ora pro nobis in hora mortis? præter alias,

(e) *Aug. homil. in ſerm. de monte.* (f) *Petr. Can. in ſuo Marial. l. 5. c. 30.* (g) *Baron. tom. 5. anno 431.*

alias, quas nunc referre non vacat, indicat Ec-
clesia, habere se tantam in Virginis intercessi-
one fiduciam, ut etiam, ii qui totâ vitâ cœlum
nesciunt, terram discentes ac docentes, vel
morientes scientiam salutis consequi valeant.

§ 8.

JOannes à vacuo gratiæ ad plenitudinem Spi-
ritus S. ope Virginis salit. An item alii? Ex-
plicans ut solet eruditè & piè Toletus illud Spi-
ritu Sancto replebitur? *nemo* inquit (h) *plenus
est Spiritu Sancto, qui non eminenti gratia, insi-
gnibus donis, ac virtutibus præcellat.* (i) Etiam
ad hanc sublimitatem perfectorum subsiliunt &
ascendunt virginis cultores: imò, nulli homi-
nes citius. Unum produco exemplum. (k)
Duo fratres Galli Equites capti à Soldano Cairi,
urgebantur, ut Mahumetem induerent, illi re-
niti, nefasquè detestari. Soldanus filiam suam
Ismeriam ut fratres à fide avertat submittit, sed
illi in hoc feliciores, eam ad suam traxere fi-
dem. Et quia religiosissimè Dei matrem cole-
bant, ejus laudes coram Ismeria concinunt,
ejusquè amore inflammant Inflammata Virgo,
imaginem Magnæ Matris petit: sed cum ejus
copia non suppeteret, fusi in preces, cœlitus
eam dum dormiunt, accipiunt. Adest Isme-
ria, videt statuam virginis puerum JESUM
tenentis, videt item luce admiranda circumda-
tam, & odores expirantem cœlestos sentit:
trans-

(h) *Luc.* 1. 15. (i) *Tolet. in commetario ibi.*
(k) Ex *annalibus Melitensium.*

transfert in suum conclavæ venerabunda & gaudens: ornatque eam auro, gemmis, smaragdis. Deinde per quietem docetur ut patrem fugiat, baptisma suscipiat, Maria vocetur. Nec mora convasato auro suo & pretiosiori mundo, cum juvenibus Sanctis, quibus sponte reclusæ patuêre carceris fores, abit silentio noctis per Cairum, & in littore inveniunt navem, & transvehuntur per Nilum ope Angeli. Inde, (dum quieti nonullæ indulgent) inveniunt se mirabiliter transportatos in loca Veramanduæ, patriam juvenum. Baptismum Ismeria suscipit, templum Juvenes Patronæ suæ Liberatrici erigunt, ibiquè reponunt miraculosam virginis statuam, & vocant imaginem Lætitiæ, quæ in præsentem usquè diem claret beneficiis, radiat miraculis. Tu exemplum proposito nostro conforme, expende. Denique cultores suos virgo facit prophetas, non uno modo. Philoni (l) *Propheta est Dei instrumentum resonans.* Quis autem ita resonat ut virginis cultores: resonant Deo laudes dulcius, resonant in sacris pulpitis potentius, resonant sibi ipsis certius, nam multi diem suam ultimam ope virginis præviderunt, & resonârunt.

ARTICULUS V.

SALVE SINE LABE PURIFICATA.

§ I.

SI quando, purificata certè Magna Mater, Ma-

(l) *Philo. quis hæres divin. rerum l.*

Magnum Salve exigit à toto genere noſtro. Cur ita? Unum Salutavit, & per manus unius, omnes ad ſui benedictionem invitavit. Quomodo verò? obtulit Simeoni ſeni bonum ſuum quod genuerat (a) & manibus ſuſtinebat verbum, & in uno verbo omne donum. An iſta non grandis reputanda eſt jure Salutatio? Melius eſt, communi æſtimatione hominum, dulce verbum, quam triſte donum: (b) melius item eſt donum tacentis dexteræ, quàm reſonantis linguæ: ille autem in Salutandi officio palmam recipit, qui bonum verbum cum divite dono conjungit. Felix Simeon qui in Spiritu venit in templum, & manibus excipere meruit à Virgine ſibi oblatum, Deum verbum: hoc eſt bonum verbum, & omne datum. Sed & Virgo Virginum meruit à Simeone, (prout ut factum eſt) benedici: (c) & pro verbo recipere verbum, & pro dono donum. Recepit autem pro verbo incarnato Simeoni dato, verbum prophetiæ, quo res occultæ ſibi, conſtitère apertè: recepit & pro dono donum, (d) hoc eſt doloris gladium. Per ipſum enim Regina Martyrum eſt conſtituta. Porrò cum Simeon bono verbo Salutatus eſt à Virgine, in ulnas ejus depoſito, nos ad reſalutandam eam mirificè provocamur. Audimus enim, ſenis voce, Spiritus S. veritate Chriſtum Dominum prædici, paratum eſſe ante faciem omnium populorum, (e) Iſraëli

(a) *Luc.* 2. (b) *Gloſſa in Prov.* 18. v. 16. *extraor.* (c) *Luc.* 2. (d) *Interl. in Luc.* 2. (e) *Luc.* 2. 31.

Iſraëli quidem ut gloriam, gentibus autem ut lumen. Lumen inquit ad revelationem gentium. Atquè hinc exitamur & provocamur, ut Virgini Altiſſimæ, offerenti nobis, dulce & dives Salve, reſpondeamus illi noſtro, etſi exiguo, calenti tamen & non inani SALVE.

§ 2.

IN hoc glorioſo virginis Purificatæ feſto, duæ potiſſimæ, ad eam conſalutandam nos urgent cauſæ: prior eſt, quia ipſa mundo, lumen ad revelationem gentium protulit: poſterior, quia ipſa, mater & univerſalis luminum Regina, humilitate purificandi ſeſe, eſſe meruit. Meretur autem benefica lucis natura, humana Salutatione honorari. Quo in genere præcinunt nobis aves cœli gallus enim, ante lucem, lucem ad nos reverti ſentiens cantu prævenit, cæteræ alituum turbæ quæ cantu vernant, ad exortum lucis concentu geſtiunt. (a) Uno leone minor inter feras, elephas trenatum Lunæ videns ſidus, frondem non ignobilis decerpit arboris, & quaſi venerabundus, eam jactat in altum. (b) Apud mortales autem, ubi lux, ibi lucis honos. Complures namque gentes, in honorem Solis, currus & equos Soli ſacros habuere, & præfectos hiſce equis, Sacerdotes, Iſti, ubi primùm cœlo dimoveri umbræ, & primi rubeſcere radii cæperè, currus eos conſcendebant, Soliquè Salve detonabant: ſic beneficum ſidus vocali

(a) *Maiol. in colloq. de quadrup.* (b) 4. *Reg.* 23. 11, 12. *Serar. ibi.*

vocali cum lætitia excipientes. (c) Propagata eſt in plures nationes hujuſmodi religio, imò & gentem Deo ſacram afflavit & profanavit, Legimus enim currus Solis, zelo Joſiæ eſſe combuſtos. (d) Atque ex hoc more gentilium, natum eſſe, etiam hodie vigens proverbium, plures orientem quàm occidentem Solem adorant. Plato refert (e) Socratem in conſuetudine habuiſſe, ut omni mane, converſo ad ortum Solis vultu, preces quasdam ſolveret. Perſæ regiam poteſtatem, (cum ea vacaret,) (f) illi, de ſeptem proceribus, detulêre, cujus prior equus, hinnitu Solem ſalutaſſet redeuntem. Porrò religio caſta & ſincera, Soli cultum, ut Deo, malè non detulit, ſed tamen Salomonis monitum minimè improbavit, coram Deo dicentis (g) *oportet Solem prævenire ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis adorare:* non lucem, ſed te lucis æternæ fontem. Etenim ſi olim in oriente & occidente, (h) clamor Salutantium clientum aut Mercenariorum, urbes concutiebat, & implebat divitum atria: (i) quantò juſtius lux lucis Deus, antelucana dignus eſt religione coli cantariquè? Nec minus Mater ejus Auguſtiſſima, quæ lucem mundo edidit, Salutarià mundo meretur: ille quidem ut fons ab æterno: iſta, ut vena lucis in definito temporis ævo. Audio ſenem cigneo cantu

(c) *Plutarch. in moralib.* (d) 4. *Reg.* 23. 12.
(e) *Plato de legib.* (f) *Juſtin. l.* 1. *hiſt.*
(g) *Sap.* 16. 28. (h) *Senec. l.* 6. *de benef.*
(i) *Mart. l.* 4. *epigr.* 7.

cantu perſonantem : nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei, lumen ad revelationem gentium.

§ 3

UBi tria obſerva, Filium Æternæ virginis, dici lumen, item lumen gentium, denique lumen ad revelationem. Quatuor verò modis, ut mittam cæteros, D. Chriſtus lumen vocatur: lumen inprimis Patris *tu lumen*, canit Ecclesia, (a) *& ſplendor patris*; quem titulum ſumpſit ex Apoſtolo dicente, Chriſtum eſſe ſplendorem Patris, (A) ſplendor autem eſt lux radiantisſima. Lux item ſibi, nam dies de die, Deus de Deo. Alludens S. Maximus ad illud pſalmi, (b) *dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam* : *dies* inquit *eſt filius Dei, cui pater dies divinitatis ſuæ eructat arcanum*, ipſe eſt dies qui ait per Salomonem, (c) ego feci ut oriretur in cœlo lumen indeficiens. Lumen, eſt matri: ut enim fulgor Solis criſtallum tranſit, nec criſtallum lædit, ita Dominus naſcendo materna viſcera permeavit, (d) nec reſerando violavit. Quanquam in altero recedat à Solis fulgore: hic enim globum criſtalli permeans, non vertit in globum lucis: Dominus autem benedictam Matrem ſuam in globum indeficientis luminis convertit. Unde proximè

 citata

(a) *Hymn. de natal. Dom.* (A) *Hebr.* 1. 3.
(b) *Maxim. h. 2. de paſch. Pſal.* 18. 3. (c) *Eccle.* 24. v. 9. (d) *Leo. Ser. de nativ.*

citata verba S. Card. Damianus, (e) ego feci in cœlis indeficiens lumen, ad Christum, qui Matrem suam novi Solis honore implevit, refert. Denique Christus Dominus lumen nostro generi, quod in duas propagines scinditur, alteram Israëlis, gentilium alteram. Lumen Israëli Dominus venturus expetebatur. *Propter Sion* inquit Isaias (f) *non tacebo & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator velut lampas accendatur.* (g) Quibus verbis. Christus venturus ut lumen secundum utramquè naturam expectabatur: Secundum quidem divinam, ut splendor. Splendor autem lux cœli: Secundum verò humanam ut lampas accensa, hæc autem continet lumen terræ. Nec gentibus aliter promissus est Dominus: cui pater apud Prophetam: (h) *dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usquè ad extremum terræ.* (i) Ubi Hyeronimus: dedi te ut illumines universum mundum, & salutem meam per quam omnes salvi fiant usque ad extrema terræ facias pervenire. Nunc virginis gratiam, & tuam gloriam attende popule Gentium. (k) Ecce quam pater in splendoribus Sanctorum genuit, eundem virgo ut splendorem tibi edidit, & Simeoni, tanquam nomine Gentium possessionem hujus splendoris capienti, obtulit: Simeonis ulnæ tuæ vulnæ sed & virginis favor, tuus splendor Mutantur proverbia: (l) olim

---

(e) *Dam. Serm. de Assump. B. V.* (f) *Isai.* 61. v. 1. (g) *Hier. l.* 17. *in Isai.* (h) *Isai.* 49. 6. (i) *Hyer. l.* 13. *in Isai.* (k) *Psalm.* 109. (l) *Proverbium.*

olim dicebatur *ſplendor regum eclipſis populorum*: adhinc ad finem mundi jactabitur: ſplendor Dominæ, ſplendor gentilis ancillæ. (*m*) Charitatem æterni Patris filius erga mundum explicans. Solem inquit ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Signanter autem dixit Solem ſuum: ſcilicet ut explicat Auguſtinus, Solem quem ipſe fecit, O quam gratiam fecit bonis & malis idem Pater, qui ſolem ſuum quem non fecit ſed genuit, per MARIÆ manus illis tradidit? Hoc intuitus Zacharias exclamavit, *viſitavit* inquit (*n*) *nos oriens ex alto.* Tota Ægiptus conſternata metu, triduo jejuna & ſilens marcebat, quando Sol oriens de profundo eam non viſitavit. Certè, ſi noſtro generi virgo Solem de profundo pelagi emergentem attuliſſet & donaſſet, inſigni nos beneficio obligatos teneret, nunc quando Oriens ex alto, per manus virginis nobis offertur, ſemper habendus ſemper retinendus, quis calor affectus, quæ gratitudo voces noſtras animare debet? Dicamus & congeminemus illi Salve, *quia lumen ortum in alto divinitatis* inquit Toletus, (*o*) *nobis in umbra mortis ſedentibus, præſentavit & communicavit.*

§ 4.

QUem verò fructum ex hoc lumine nobis nato, nobis dato expectamus? Lumen inquit

(*m*) *Matth.* 5. 45. *Aug. in Sermo. d. verb. Dom. in monte,* (*n*) *Luc.* 2. 78. *Exod.* 10. 21.
(*o*) *Tolet. in c.* 2. *Luc.*

quit Simeon (a) ad revelationem gentium. Hoc eſt lumen, quod gentes illuminabit, Salvabit, beabit. Sic PP. Atque hanc explicationem colligo ex prepheticis verbis præcitatis: *dedi te in lucem gentium*: qualem autem lucem? quæ peccata revelaret & oſtenderet, proinde confunderet, non autem ea relevaret & tolleret? Sic venit plurimo Iſraëli, cujus peccata prædicando oſtendit, ſed repulſus peccata non depulit, ſed aggravavit. Gentibus antem non ſic ſed datus eſt in lucem beneficam, (b) in lumen ſalutare, in lumen ſurſum attrahens quia ipſe nobis factus eſt fons gratiarum, ſalutis principium, currus ſurſum. Lumen ad revelationem gentium. (c) Olim credebatur Deus intra Sancta Sanctorum quaſi in palatio ſuo morari ſed Sancta Sanctorum à populo Iſraël dividebat ingens oppanſum velum. Gentes autem redemptæ quæ nunc ex gratia Virginis plauditis, dicite, quot & qualia velamenta vos à vero Deo dividebat? Stabat ante intellectum omnium nationum appenſum velum non unum ſed multiplex infinitorum errorum. Stabat alterum velamentum ſinum ſuper corda Gentium, affectus idololatrici: Stabat tertium velamentum legum rationi diſſonantium, quibus peccata permittebantur excuſabantur: Stabat quartum de ſectis Philoſophorum contextum, quod populo reliqum lucis, naturali quaſi auferebat Quis enim de vulgo, ſibi non ſuaderet licere quo

(a) *Ambr. in c. 2. Luc. Beda. ibi.* (b) *Gloſſa in c. 62. Iſai.* (c) *Philo. de legib.*

quod Philoſophus tanquam honeſtum, cum tamen inhoneſtum eſſet, declamabat in Schola & platea? Uzalenſis Eccleſia habuit unum velum, (d) in quo erat civitas depicta, & ante civitatis portam draco, quem S. Stephanus configebat & pellebat. (e) Quam picturam veli explicabat S. Auguſtinus: (f) *ecce* inquiens *draconem de vestra civitate cernitis fugatum, & expulſum: ecce crucis trophæum per quod viciſtis mundum.* Porrò ante Domini adventum non Uzalenſes tantum, ſed totum mundum Draco obſidebat, & lucis aditum ad ipſum arcebat. Ubi tamen lumen de Virgine natum reluxit: illo ipſo tempore, quo velum Sanctuarii Judaici crucis clavi ruperunt, Draco fixus, & confixus ab orbe cedere eſt coactus, & jam reges in ejus lumen & ambulant, jam gentes in ſplendore Domini Dei ſui exultant. Impleta eſt prophetia & receſſere velamenta, funditur dies, & tenebræ fugerunt (g) ſalus in portis, vita in via Chriſtianorum. S. Hyeronimus (h) ad illa verba, dedi te in lucem gentium, quæ inquit ſedebant in tenebris & umbra mortis, ut aperires oculos cæcorum qui ante Deum non videbant. Alibi autem nomine tenebrarum explicat, errores varios: per umbram autem mortis, intelligit mortale peccatum, (i) hujus autem umbræ corpus, ipſam

(d) *Evodius. apud S. Aug. tom.* 10. (e) *Baron. anno* 392. (f) *Aug. ubi ſupra.* (g) *Iſai.* 42. 7. (h) *Hyeron. l.* 12. *in Iſaiam.* (i) *Hyeron. l.* 13. *in c.* 8. *Iſai.*

damnationem. Quæ cum ita ſint, quis ſeram cordi, frenum ori imponet Chriſtiano, ut non totis viſceribus atque affectibus conclamet, Salve lumen gentium, Salve & tu luminis gentium Mater digniſſima. S. Bonaventura expendens Virginis partum, *radioſiſſima* inquit, (k) *radium æternum protulit.* Inde autem ego & mecum omnis cultor tuus ô Virgo lucidiſſima, exultat. Cum S. Goar ſtaret in judicio, & pallium pluviâ grave in radio Solis illac tranſeuntis ſuſpendiſſet, omnium ſenſu & voce abſolutus eſt. (l) Nobis quoque poſt hujus vitæ exilium, inſtat acre judicium, & ora accuſatorum multa: verum tamen ſi tu doceas radium quem peperiſti amare, & in eo tanquam in noſtro lumine: ſpes defigere, corda ſuſpendere, ne corruamus in judicio, tenebit nos & ſuſtentabit ille auxilio. Et quia æternus eſt, reddet nos æternitati, ut revelata facie gloriam Domini, per gratiam ejus ac tuam ſpeculemur.

§ 5.

JAm ſi ad virginis Purificatæ onus honoremquè attendamus, inveniemus eam matrem ac reginam noſtrorum luminum, cui novo jure SALVE à clientibus debetur. Ex quo terra noſtra exultet, & coloni terræ, lucem ſempiternam quam mortuis ſuis imprecantur, ſperent, atquè expectent. (a) Habebatur in cœlis Pater

(k) *Bonav. in ſpec. c. 3.* (l) *Surius in vitis SS. 6. Julii. in S. Goar. Sacer.* (a) *Jacob. 1, 17.*

Pater luminum apud quem non eſt transmutatio, nec vicisſitudinis obumbratio. Ubi advertunt authores (*b*) alludi ad Solem, qui ſic pater, fons, pelagus luminum dicitur, ut tamen converſionibus à tropico ad tropicum agitetur, umbraſque faciat & recipiat, jam nubilis jam noctibus à noſtris ſenſibus diremptus: Deus autem immotus manens dat cuncta moveri, & ſemper lucidus, conuerſionis umbraculum ut legit Hyeronimus (*c*) momenti obumbrationem, ut effert Auguſtinus non ſubeat. Tale ſibi conſimile lumen, noſtrorum luminum matrem, Pater cœleſtis in virgine erexit, quæ ſicut æternitas Virginitatis, ſic æternitas maternitatis & charitatis meritò eſt dicenda. (*d*) Non ſunt in Deo tenebræ ullæ; nec in ea: de lumine Dei prodeunt lumina creata, & de lumine virginis accendimus lumen noſtrum. Ut enim de tenebris tuæ caligo noſtra processit: ita de Sole virginis, (ſic enim eam vocavit Petrus Damiani (*e*)) luminaria lucent in mundo. Mos eſt in Dei Eccleſia, laudabiliter inductus, & per ſecula ad nos propagatur, ut ritu ſolemni in ſolemnitate Purificatæ V. cereus in ara conſecretur, ex cujus lumine, cæteri accenduntur. (*f*) Cereo benedicto Salvatorem mundi deſignari conſtat, (*g*) qui de

 gemi-

(*b*) *Corn. à Lap. Juſtinianus. Tiriu. ibi.* (*c*) *Hyer. in c. 1. Jacob.* (*d*) *S. Ildefons. de B. V. integrit.* (*e*) *Damian. Ser. de nativit. B. V.* (*f*) *In miſſal. Rom. pro feſto purif. V.* (*g*) *Prudent. de cer. Paſchali.*

gemina natura, humana & divina quasi de cera & igne componitur: Hujus autem de lumine haurimus lumen, & de igne accendimus ignem. Primus autem & proximus huic Cereo Cereus ardens & lucens est virgo Mater, cujus de igne calent sibi devotæ aræ & aulæ: Cum S. Dunstanum (*b*) mater utero ferret, in die purificatæ Virginis, subitó omnis Christiani populi extinctus est cereus. Et ecce lux cœlo delapsa, animat Dunstanæ Matris ceram, & ex ejus cereo reparat sibi omnis populum Sacram ceram & flammam. Tu autem ô virgo cereus de cereo Christi, num unam urbem aut gentem, luce veritatis, ardore Charitatis imples? Ter te fatur Cyrillus tuus: (*i*) *universa creatura ad agnitionem veri Dei venit, & per totum orbem constructæ sunt Ecclesiæ.* Christus DEUS noster de se, tu de illo & in illo lumen omnium gentium.

§ 6.

LApidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput Anguli: (*a*) prophetat Psaltes: Litera est: Sinagogæ principes, qui ad novi ædificii Spiritualis quod est Ecclesia studio suo cooperari debuerunt, Christum velut lapidem offensionis & scandali, (*b*) verbis factisquè rejecerunt: ille tamen virtute divina

(*b*) *Surius.* 19. *Mai. in vita Dunst.* (*i*) *Cyril. orat. contr. Nestor.* (*a*) *Psal.* 117. *v.* 21. *Aug. Bellar.* Lor. *Genebr. ibi.* (*b*) *Matth.* 21. 42. *Act.* 4. 11. *Rom.* 9. 33. 1. *Petr.* 2. 7.

divina, factus eſt Caput & Princeps fidelis & novi mundi. Hic venit quærere: cur mundus dicatur angulus? Et reſpondetur ab eruditioribus, per reſpectum ad præteritum, nempe quod omnium gentium collectio ante Domini in carne adventum anguli unius formam portabat. Quod enim in angulo, hoc in mundo immundo ante Salvatoris receptum inveniebatur: in angulo tenebræ: in mundo item tenebræ: in angulo Sordes, in mundo iniquitates: in angulo umbræ, in mundo figuræ: in angulo frigus, in mundo Dei neglectus & vacuum charitatis. Quare S. Hyeronimus (c) & Gaſpar Sanchez cauſam reddentes, (d) cur Chriſtus expectabatur ut lampas accenſa? *quia* inquiunt *totum tempus quod Salvatoris præceſſit adventum, noctis & tenebrarum inſtar erat* quæ obſcura & frigida eſt, quæque avida Solem expectat orientem. Jam verò ubi Dominus cum MARIA matre ſua advenit, mundus Chriſtianus, vitæ profeſſione, non ANGULUS ſed AGON. invenitur Agon Romæ erat locus certaminis juxta Tiberim, qui circus Flaminius dicitur, in quo currule certamen ſolebat exhiberi: (e) addit autem noſter Tufo locum Agonis (f) omni angulo caruiſſe, & totum mundum & planum, luciquè pervium extitiſſe. (g) Quomodo verò nunc ſe habet mundus Chriſtianus? abierunt

E 6 prava

(c) *Hieron. l.* 17. *in Iſai.* (d) *Sanches in c.* 61. *Iſai.* (e) *Roſinus in ant. Rom. de Agon.*
(f) *Ambroſ. verbo Agon.* (g) *Tufo in c.* 4. *Eccleſiaſtici. Lexicon. verbo, agon.*

prava in directa, transierunt aspera in plana, recesserunt anguli sordes & errores continentes. pulsa hyeme fervet charitas, exactis noctibus, it. funditur, discurrit per mundum dies, certat unusquisque, qui Christum fido fert pectore currum suum rite agitare, ad metam Comprehensorum. Quis hæc operatus est? luminare majus & minus, DEUS & mater ejus. Audio Seraphici doctoris alloquium: girum terræ tu sola circuis ut subvenias invocantibus te. (h) In te refulget species castitatis, lumen justitiæ, & splendor veritatis. Girum terræ Sol circuit, ut subveniat terræ ad germinandum, Tu autem terræ Ecclesiasticæ omnem orbem lustras, omnem girum visitas ut subvenias secundum cujusquè necessitatem. Girum terræ Sol circuit, sed annuo cursu sed signa percurrens Zodiaci: tu autem Virgo lumen nostrum, in uno momento cui vis confers annum gratiæ, & applicas signa ac signacula Spiritus Sancti. Sol circuit globum terræ, nunquam tamen totum, sed medium: circuit & reddit: tuum autem lumen sentit terra omnis, & illa quæ scabello Dei hæret, & illa quæ purgatoriis in ignibus laborat & excoquitur. Tu nunquam recedis nisi repulsa. Sol sphæram terræ circuit, non semper unus & idem, nunc enim æstivis ardoribus fervescit, nunc hibernis mensibus friget: est quando longos dies ducit, est tempus quando illos contrahit. Tuæ autem charitatis fervorem nulla hora aut aura minuit;
etiam

(h) *Bonav. in psalt. B. V. vers. 10.*

etiam cum nos frigemus illa calet, etiam cum nos contrahimur, illa se dilatat. Denique circuitus Solis terram percurrentis, corporibus Solis prodest, quanquam nec iis semper. Tuæ autem Charitatis splendor, veritatem mentibus, nitor & claritas castitatis speciem cordibus; virtus autem & perfectio, justitiæ lumen toti vitæ nostræ confert. Contendebat Paulus in agone, (i) & expectabat bravium: certabat B. Agatha (k) in circo suo, & provocabat Deum, vidisti Domine agonem meum. Nec ii qui tibi regina luminum serviunt in agone suo errant, abstinent se ab illicitis, pugnant & contra licita, expectant bravium, sollicitant Deum, vide Domine agonem meum; suscitant fidenter cerne beatum bellum grave, da robur suave: vide Domine, & corona agonem meum.

§ 7.

MEretur salutari virgo Parens quà lumen gentium est ad revelandum, nec minus meretur SALVE, quæ lumen gentium est ad eas velandum. Egent peccatores velamento, cum nuditatem & deformitatem suam obeunt animo: tunc enim ulcerosos se vident Jobos sedere in fimeto, & informis Lazaros cæni. B. noster Ludovicus cum in aula Cæsaris serviret (a) Solitus erat secessum ab hominibus, & obscuriores angulos ad agendum cum Deo quæ-

(i) 1. *Cor.* 9. 25. (k) *in off. S. Agathæ* 3. *noctur. antiph.* 2. (a) *Virg. Cepar. in Vita B. Aloisy Gonzaga.*

quæritare. Quod cum aulici notaſſent, pio joco jactabant, Marchio Gonzaga cum angulis loquitur. Errâſti curia, errâſti, in angulis quidem Ludovicus Deo loquebatur, ſed non angulis, nec digna angulis, ſed luce ſereniſſima. Tu vide cui loqueris & quomodo, cum Deum alloqueris: oras & rides, oras & ſenſus ſeminas, oras & fabulas jocoſquè intermiſces orando, temet æſtima, cui digna loqueris, ariſne an angulis? Sic & cæteri peccatores, quando imperata agere omittunt, & vetita agunt, luce ne divina dignum, an tenebris, atque angulis agunt? Cogimur cum Davide ſæpe de noſtris operibus fateri, averte faciem tuam à peccatis meis,(b) & omnes iniquitates meas dele: quæ egi non ſunt digna ut tu videas, non ſunt merita quæ tu legas, verte alio tuam faciem ab angulis meis, & dele dele, quod nimium turpiter ego ſcripſi in conſcientiæ tabellâ. Cæterùm hoc quod nos malè ſcribimus, turpiter agimus, angulis loquimur & operamur, Virgo Patrona noſtra, ne oculi vindictæ æternæ videant, celat & velat. Ipſa eſt formoſa Rachel, quæ informia noſtra, non patere facit. (c) Rachel illa Jacobi, cum furata eſſet Deos auri atque argenti Patri ſuo, (d) eosdem ſub ſtramenta cameli abſcondit, inſuper ſuper eos ſedit ipſa. Nec aliter piiſſima virginum, illa quæ malè amamus ac colimus, ut nobis ſubducantur, ſæpe à Deo impetrat: ne autem propterea

(b) *Pſal.* 50. 11. (c) *Gen.* 31. 34. (d) *Perer. tom.* 4. *in Gen. ad c.* 31. *diſp.* 1. *num.* 7.

pterea morte castigemur, exorando quasi celat. In Hannonicis refertur historicis, Theodori (e) cum quendam Comitem multa damna Sacris virginibus intulisse, & ab iis petitum esse ad mortem. Quibus virgo, non possum hoc vindictæ divinæ proponere, quia me uxoris ejus quotidianæ Salutationes pro eo fusæ ligant, latere nunc ejus iniquitates volo, quæ brevi emergent palam, ubi divortium cum uxore fecerit, & quod me ligabat, recesserit. Et sic evenit, nam divortio secuto, quasi remoto virginis velo, patuit scelestus justitiæ, & inter venandum objectus est hostibus præda, taque occisus. Ubi nos (f) habemus, lampades ejus lampades ignis atque flammarum (scilicet charitatis ardentis) versionem 70 secutus (g) S. Ambrosius legit, (h) alæ ejus, alæ ignis. Nos verò cum immensa atque innumera SS. Matris recolimus beneficia, cogimur eam cum Patribus, Charitatem nostram vocare: hæc autem CHARITAS alata est, ignita est: alæ ejus, alæ ignis. Quomodo vero? alæ ejus nos tegunt à divina ira: ignis ejus exurit nostra peccata: sive juxta Ambrosii sensum, (i) dum lucemus fide, & ardemus charitate, alas ignis gestamus. Has autem auget in nobis virgo, ut tegantur præterita crimina, & sublaventur sursum corda. Verè & jucundè D. Bonaven-

(e) *Ex tert. Volum. Annal. Hannon. c.* 19.
(f) *Cant.* 8.6. (g) 70 *lectio.* (h) *Ambr. l.* 1. *de Isaac c.* 8. (i) *Ambr. ubi supra.*

ventura: (k) *qui habitat in adjutorio Matris Dei, in protectione ipſius commorabitur. Concurſus hoſtis non nocebit ei, ſagitta volans non tanget eum, quoniam liberabit eum de laqueo inſidiantis, & ſub pennis ſuis proteget eum.*

§ 8.

Vidimus qualiter Virgo Mater lumen gentibus propoſitum, erga illas ſe gerat, nunc flectet in te oculos, & vide quomodo tu homo hoc lumen revelans oculos, & velans culpas, apud te tractas, atquè habeas. Nemo abſcondit lucernam, inquit (a) veritas incarnata, & ponit eam ſub modio. Nomine lucernæ Ambroſius (b) intelligit fidem qua reperitur drachma quæ perierat: Nazianzenus, (c) ſumit prælatum, cujus officium eſt docendo illuminare, & exemplo prælucere: Beda (d) D. Chriſtum, qui divinitatis ſuæ flamma, humanæ naturæ teſtam implevit: Toletus (e) mentem ſanam, accenſam virtute, ornatam veritate. Nunc judica, quænam harum lucernarum meretur ſub modio poni ac recondi? an fidei? ſed fidei lucerna non eſt coarctanda ſub legis veteris modio & menſura, ait Ambroſius, (f) An prælatus Eccleſiæ? Sed & lucerna iſta non eſt operienda modio contemptus, cum dictum ſit

---

(k) *Bonav. in Pſalt. verſu. 90.* (a) *Lucæ 11.33.*
(b) *Ambr. in c. 11. Luc.* (c) *Nazian. ibid.*
(d) *Beda in c. 11. Luc.* (e) *Tolet. in c. Lucæ 11. annot. 78.* (f) *Ambr. ubi ſupra.*

ſit qui vos ſpernit me ſpernit. (g) An lucerna Chriſtus? Sed & iſta non eſt obruenda vitii modio, ſed ſupra frontem erigenda. An lucerna ſani intellectus, ſed & iſtam vetamur projicere ſub modium ſenſus, hoc eſt ut appetitionem ſenſus ſequamur, contempto rationis ductu ac radio. Quid Auguſtiſſima Matrum? lucerna eſt, (h) quà mulier *Sancta*: lucerna quà virgo ſine macula, lucerna quà Mater Salvatoris, qui lampas de lampade prodiit. (i) Porrò cum nulla lucernarum poſſit poni ſub modio, an hæc tanta tamquè illuſtris, habebitur apud nos ſub tenebroſo oblivionis modio? Inducit Gloſſa (k) Chriſtum de lucerna fidei loquentem, nos ipſa verba accommodemus MARIÆ: *ego lucernam* matris meæ, *in vestris ſenſibus accendo, & in Eccleſia pono, vos quantum in vobis eſt, inde lucernas veſtras accendite.* Reverſa eſt Judith (l) cum capite Holofernis abſciſſo in Bethuliam, & in eminentiorem locum juſſa eſt aſcendere, ita ut à minimo ad maximum accendentes luminaria circa eam congirarent univerſi. An verò lucerna Dei MARIA non meretur in cordibus noſtris eminentiorem locum? An omnis reverentiæ, honoris, & cultus lumina? cur MARIA ſub pedibus, EXTRANEA autem in capite? Vide Congregationes Regum, Cardinalium, Pontificum quomodo coronent illam ſuo lucido ardentiquè

(g) *Gloſſa in c.* 11. *Luc.* (h) Eccle. 26. 22.
(i) *Iſai.* 62. v. 1. (k) *Gloſſa apud Sa, in c.* 11. *Luc.* (l) *Judith.* 13. 15. 16.

dentiquè pietatis giro? & tuum lumen ubi eſt? Tenebræ in tenebris. Ecce puſilli cum majoribus accendunt pro ejus feſtis ſibi Sacramenta tribunalis & altaris, cur non item tu? Poſuiſti lucernam pietatis increpat Liranus, (m) ſub modio carnalis affectionis, quando eam in alto repones? MARIA, te tenet in corde, fixura in cœlo, cur tu eam detines ſub modio.

ARTICULUS VI.

SALVE CUM GLORIA ASSUMPTA.

§ I.

AN S. Virgo Martha, quæ dominum in domo ſua ſuſcepit, ab eo SALVE hoſpitale receperit, mihi non eſt controverſum. Elogium Domini paucis comprehendens B. Lucas, *cœpit inquit* (a) *JESUS facere & docere.* Breve verbum, laus ingens, *faciunt* inquit Bernardus, (b) *aliqui non docent: alii non faciunt ſed docent, nonnulli neutrum, quidam utrumque.* Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. (c) Primorum eſt Sancta ruſticitas: Secundi ſunt iniqui, tertii inutiles. Docuit autem diſertè Dominus Apoſtolos & diſcipulos 70, duo quaſi contraria, (d) neminem per viam ſalutaveritis, & in quamcunquè domum intraveritis, primum dicite, pax huic

(m) *Liran. in c.* 11 *Luc.*
(a) *Act.* 1. *v.* 1. (b) *Bern. in Vita S. Malach.*
(c) *Matth.* 5. 19. (d) *Luc.* 10. 4. *Luc.* 10. 5.

huic domui. Ubi vetat viatoribus à viatoribus offerri Salve, sive Salutatoriam pacem, præcipit autem patribus & matribus familias dari Salve & pacem, ubi domum aliquam hospitandi gratia subierint: (e) Non quod viatoribus in occursu neganda sit humanitatis & bonæ comprecationis significatio, & Solis patribus domus illa impendenda, sed qüia, ut explicuït benè M. Gregorius, (f) in via ex occasione, & obiter Salutatio facienda, domi autem, ex studio & intentione optandæ Salutis. Sancta enim sunt hospitii jura, quæ ut coalescant & stabiliantur, Salutis comprecatione sunt inchoanda & vincienda. Quod ergo Dominus discipulos facere jussit, hoc in domum S. Marthæ ingrediens fecit: ut qui fuerat Magister, fieret exemplar & speculum humanitatis. An autem sicut Marthæ, sic MARIÆ matri, cœlos ingredienti, & ad vocem suam obedienti, item otulit SALVE? Nullus dubito: igitur ipsum secutus, Reginæ Reginarum supra cœlos collocatæ toto cum clientum ejus grege, supplex offero, SALVE.

§ 2.

ET Martha quidem meruit D. JESU Salve tanquam hospita, quæ ad diversandum, Domino obtulit humanissimè suam domum, cum Sorore sua Magdalena, ad breve tamen tempus. Virgo autem virginum triginta annorum circulo habuit JESUM sub suo tecto. Et Martha

Domini

(e) *Ambr. in c. 10. Luc.* (f) *M. Greg. h. 17. in Evang.*

Domini corpus curandum, ſicut ejus Soror, animum ejus demulcendum ſuſcepit: hæc autem duplex ſuſceptio inquit S. Bonaventura, (a) corporalis Marthæ, & Spiritualis Magdalenæ perfectiſſimè fuit in MARIA, quæ Chriſtum Dominum in thaalmum corporis & mentis ſuſcepit. Denique Martha, domo ſua Dominum Dominorum excepit, non induit; MARIA autem quem hoſpitio intemerati & Sanctiſſimi ſui uteri ſtrinxit, eundem domo carnis, domo non manu facta quæ æternat in cœlis ſupervestivit & induit. Tot igitur modis & juribus merita, recepit dulce & ineffabile, & omni ratione incomprehenſibile Salve. Cœlum ſedes Dei, terra ſcabellum, (b) cætera creatura angulus Dei dicitur, ſed MARIA, & novem menſium domus, & architecta ſapientiſſima, corporis JESU domus (c) Quærit Septimius, quando mundus non erat, ubi tunc DEUS erat? & reſpondet ſapienter! *tunc Deus ſibi ipſi erat, & locus & tempus, & omnia.* Conſentit illi Auguſtinus, *DEUS* inquiens (d) *antequam conderet excelſa, & faceret ſanctos, in ſeipſo habitabat, ſibi ipſe Sanctuarium erat.* Poſtquam autem immotus manens, cœlum ſibi fecit regiam, & terram ſtabulum, nullibi latius, nullibi commodius, nullibi jucundius, atque in MARIA tanquam in prima ſua regia, & principali Sanctuario, & de ſecretis ſecretiſſimo cubiculo habitavit. Uude, quam immenſa divinitatis ſuæ parti-

(a) *Bonav. in cap.* 10. *Luc.* (b) *Iſai.* 66. *v.* 1.
(c) *Tertul. contra Praxeam.c.*5. (d) *Aug.in Pſ.*122.

participatione replevit, in ea quaſi in ſemetipſo habitavit. Pulchrè græcorum hymnus, (e) *SALVE locus Dei, locus ſanctificationis ſuperans Seraphim.* In locis ſuis, videmus corpora alibi laborantia, ibi feriari & quieſcere: MARIA autem de ſe, qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. (f) Porrò in loco Sanctificationis, ſive ſanctuario intimo Dei, nonniſi uni ſummo ſacerdoti, (g) nonniſi ſemel in anno morari licebat: (h) MARIA autem Deo uni habitatori ſacrum templum, præterea nulli. Dicitur autem, locus Sanctificationis Seraphim ſuperans, non unum, ſed omnes: & ſi Seraphim, cunctas Angelorum hierarchias: (Seraphim enim ſuperant ſanctitate amoris, claritate veritatis, dignitate & naturæ & gratiæ, omnes choros Angelorum) Virgo autem etiam ipſos Seraphinos. Seraphim enim aſtabant, ſolio excelſo & elevato, (i) non portabant tamen Dominum excelſum, (k) qui tunc apparuit eis in habitu regali FILIUS: MARIA autem, ipſum ſolium excelſum portans regem exercituum: omni excelſo ſolio eſt excelſius. Seraphim velabant faciem & pedes ejus, (l) id eſt DEI ut explicuit Hyeronimus, (m) ſuos, ut alii: Virgo autem ſtum quem genuit adoravit, tamen & quem genuit, oſculis fixit, amplexu ſtrinxit, lacte aluit, faſciolis involvit. Seraphim, idem S. Hyeronimus

(e) *Hymnus Græcorum.* (f) *Eccle.* 24. 12.
(g) *Exod.* 30. 10. (h) *Hebr.* 9. 6. 7. (i) *Iſai.* 6. 2. (k) *Joan.* 12. 41. (l) *Iſai.* 6. 2.
(m) *Hyeron. l.* 3. *in Iſai.*

nimus inquit, (n) sonant INCENDENTES: attamen calculo ignito unius solum Isaiæ labia purgant, urunt, incendunt. Tu antem ô locus Sanctificationis Dei Virgo, quem ad te recurrentem, non dimittis amore tui & Dei flammantem? O locus Sanctificationis superans Seraphim! ô locus!

§ 3.

NOn desunt authores, (a) qui referunt, B. Martham vicinam leto, divino evocatam esse ad cœli gaudia oraculo. S. autem Vincentius, (b) gloria ordinis Prædicantis refert, Gabrielem Archangelum ad virginem Matrem cum ramo palmæ virentis destinatum esse, qui eam proximam morti ad filii complexum de vinculis exiret corporeis. Quo symbolo palmæ non una supra cœteros mortales, victoria & excellentia ejus figurabutur, qua eminebat atque extabat. Atque inprimis rapuerat illa palmam præ matribus omnibus, (c) quia nulla ex his, ita digna fuit esse genitrix suo filio, ut illa Deo. Nemo hominum tam dignè excepit hospitem in domum suam venientem, ut MARIA creatorem. In suo utero, deinde in domicilio hospitantem. Instruens Salvator suos quali in domo, & apud quem eis hospitandum foret, in quamcunque, ait (d) civitatem, aut

(n) *Hyeron. ibid.* (a) *Sophron. in vita B. V.*
(b) *Vincent. Prædic. Serm. de Assump. B. V.*
(c) *Glossa in c. 19. Joan. extraor.* (d) *Matth. 10. 11, 12.*

aut caſtellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus ſit, & deinde in domo digna manendum eſſe. Quis dignus verò cenſendus eſt? hoſpes Apoſtolis excipiendis, multa lis eſt, placet interim ſententia Toleti, nomine Digni Hoſpitis, interpretantis: (e) *Vir dignus erit homo bonus Dei cultor, Salutis ſuæ cupidus, non contentioſus, de fama publica notus.* Quid autem horum in virgine non cæteris palmam rapuit? bonitas, nullâ malitiâ contaminata, Dei cultus nulla negligentia corruptus, amor ſalutis ſemper ſeipſo contentior, paci ſtudium, interruptum nunquam. Et hæc omnia non rumore hominum incerto confirmata, ſed fama in cœlis nata, per orbem deinde, ore Angeli ſalutantis propagata. Vox eſt Philonis Judæi: (f) *etiamſi tota terra aurum, aut ſi quid auro pretioſius eſt, repente fieret, moxquè per artes opificum, in porticus & veſtibula, in aulas & & areas, ædeſquè ſacras impenderetur, ne ſcabellum quidem Dei pedibus dignum fieri poſſet.* Et ſubdit. *Dignum tamen domicilium ei anima eſt, modò ſit idonea.* De virgine autem dubitare nefas eſt, eam dignam Deo idoneamquè animam attuliſſe, utpote cujus tota vita plena cœleſti gratia, non opinione & buccinis hominum, ſed rei veritate, tubiſquè Angelorum. Jam ſi palma debetur Patientiæ, quis virgine, patientiâ firmior, & crucis vicinitate illuſtrior? Cæteri Martyrum acus puncturas pertulerê,

virgo

(e) *Tolet. in c.* 10. *Luc. annot.* 10.
(f) *Philo. lib. de Cherub.*

virgo autem cum juxta crucem ſtabat(g) doloris gladium, ſuam animam pertranſeuntem, & quidem lato ſed lento tranſitu ferebat. Ut merito à Patribus, miraculum Patientiæ, Regina Martyrum, Princeps dolorum appelletur. Cæterùm palma cœlitus allata Matri SS. prius ad mortem, deinde ad vitam gloriæ Virginem vocabat, quia ejus obedientiam mundo & ſæculis commendabat. Tota enim vita virginis, ut vita Chriſti, extitit una continua obedientiæ, virens & vigens victoria. *Sola* autem *obedientia* inquit Auguſtinus (*h*) *tenet palmam*, *Sola inobedientia invenit pœnam*. Ut igitur Dominus ex obedientia ſic & Mater ejus ſuſcepit mortem. Certè, ſi virgo voluntatis ſuæ guſtum ſequi voluiſſet, cum moriente filio mori, cum abeunte in cœlos, abire præelegiſſet, nunc autem poſt ejus abſentiam longam toleravit viduitatem, & æſtuoſi deſiderii flammam, donec tandem quod ſummè concupierat in ſenectute reciperet, & præcipiente Domino moreretur. Tante igitur & toties victrici, quis non feſtivum cum cœlo & terra conclamet lætus Salve.

§ 5.

PRæceptum olim fuit in Jacob, ut in feſto Tabernaculorum ſumerent ut ait ſcriptura, (*a*) *fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulasque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, ſicquè lætarentur coram Domino* Deo

(g) *Luc.* 2. 35. (*h*) *Aug. in Pſal.* 70. *conc.* 2.
(*a*) *Levit.* 23. 40.

Deo suo. Quo fine? in memoriam inquit Menochius (b) protectionis divinæ quæ in deserto Hebræos ita protexit, ut sine domibus, in tabernaculis quadraginta per annos hyeme & æstate vixerint. Et tandem addo ex aliis, de tabernaculis evoluti, eductiquè, in terram mellis sint inducti. Porrò in solemnitate Assumptæ Magnæ Matris quid mater nostra, recolit Ecclesia? etiam festum Scenopegiæ & tabernaculis, nempe quomodo Virgo de mortali tabernaculo expedita, in terram viventium, sit inducta. Gaudendum igitur nobis est, & vehementer lætandum, & post palmam Gabrielis, arborum pulcherrimarum frondes sumendæ & præferendæ. Tenetur certum vaticinium, (c) *gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ad ornandum locum Sanctificationis meæ.* 70. legunt, gloria Libani ad te veniet in cyparisso & pino & cedro simul, ut glorificetur locus Sanctus meus. S. Chrisostomus (d) de ligno S. Crucis, verius alii de Ecclesia interpretantur Isaiæ hanc sententiam, alii de Matre Salvatoris, siquidem ipsa est pars potior & major Ecclesiæ. S. Hyeronimus (e) autem has arbores inclytas, quæ gloria Libani dicuntur, spiritualiter esse accipiendas docet, hoc est pro Sanctis sublimibus, ut S. Cyprianus, inquit, & nostri temporis confessor Hilarius, quæ ut excelsæ arbores ædificârunt Dei Ecclesiam. Porró cum benedicta Mater ramo palmæ

 evoca-

(b) *Menoch. ibi.* (c) *Isai. 60. 13. 70. lectio.* (d) *Chrisost. h. de adorat. Crucis.* (e) *Hieron. l. 17. in Isai.*

evocatur, (*f*) ut in cœlis assimiletur staturâ primæ Palmæ, nempe suo filio, an gloria Libani mota est? an cedrus & abies, cyparissus & pinus, & buxus suis de radicibus se se evellentes, ad lectulum Virginis fatalem cucurrerunt? Traditio est constans, (*g*) Apostolos, & primos nascentis Ecclesiæ discipulos ad ejus fælicem de hac vita transitum convenisse. Ecce cedri, cyparissi, abietes, quæ Ecclesiam Dei ædificaverunt! ut locum Sanctificationis Dei honorarent MARIAM, quomodo convenerunt? Certè fideles populi mirabilia circa matris Dei exitum fieri videntes & perpendentes, admirati sunt deinde, conturbati sunt, (*h*) commoti sunt, tremor apprehendit eos. Cur autem? quia Viri toti in animarum Salutem intenti, locis penitus divisi, equis & curribus destituti, ad visitandam Virginem uno tempore animis conspirarunt, adminiculis usi cœlestibus convenerunt! Quis hic non videt de arboribus istis oracula ruere, De voces audiri: locum Sanctificationis meæ glorificabo? locum Sanctificationis meæ glorificatæ Ecce cyparissi & cedri, principes hortorum De volant per aëra, convolant ad lectulum morientis. movete vos quoque ad ornandum locum Sanctificationis divinæ, arbusta tenuia, & humiles, miricæ, & audite Seraphicum Magistrum (*i*) *exultate justi in Virgine MARIA, & in rectitudine cordis collaudate eam. Accedite ad eam cum reve-*

(*f*) *Cant.* 7. 8. 7. (*g*) *Damasc. serm. de dormit B. V.* (*h*) *Psal.* 47. 5. (*i*) *Bonav. in Psalt versu.* 47.

reverentia, & devotione, & delectetur cor vestrum in Salutatione ejus. Quare egredienti illi de mundo, non vale, sed congeminate Salve, Salve.

§ 5

ITa ergo honoratur cum Virgo de tabernaculo corporis evocatur. Quid autem agitur cum de inferiori ad Superiorem Libanum locus sanctificationis & hospitii divini ascendit? Movet se rursus gloria sublimioris Libani, accurrunt cedri & cyparissi, & tota cœlestium arborum nobilitas, (k) convolant vox Domini concutit cedros, vox Domini agitat & pellit cyparissos, ut locum Sanctificationis Dei, Seraphim superantem honorent & glorificent. S. Thomas Aquinas, (l) considerans Epistolam quam Ecclesia in Assumptæ festo prælegit in sacrificio, advertit eam ut ASSUMPTAM, sex felicibus comparari arboribus. (m) *Quasi cedrus, exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Jericho: quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquas in plateis.* Porrò symbolo harum arborum vult S. Doctor designari, sex beatorum ordines. (n) Et cedro quidem naturam Angelicam propter altitudinem & incorruptionem: cyparisso chorum Patriarchalem, propter odoratam vitæ conversationem; palma Apostolicum collegium

(k) *Psal.* 28. (l) *Thomas Aqu. in Serm. de assump.* (m) *Eccle.* 24. *à ver.* 17. (n) *S. Thom. ubi supr.*

propter victoriam de mundi infidelitate: roseto, Martyrum exercitum ob invictam fortitudinem usque ad Sangvinis vitæquè profusionem: olivâ confessorum examen propter misericordiæ viscera: platano, virginum classem propter gloriam castimoniæ. Jam verò ascendens virgo ad cœlestem Libanum intulit secum de gloria omnium horum ordinum: neque qualitercunque, sed in eminentiori & conspicatiori his omnibus gradus: Quare etiam non cedro comparatur simpliciter, sed cedro in monte, & quidem Libani: nec cypresso populari, sed in monte Sion: sic neque confertur palmæ vernaculæ, sed Cadensi, & sic de aliis. Cur ita? quia magnificavit Deus cum benedicta matre sua: gratiam, & honorem donorum suorum, ita ut non solum attingeret, snblimitatem Angelorum, Patriarcharum gloriam, Apostolorum victoriam, Martyrum fortitudinem, confessorum misericordiam, dignitatem Virginum, sed etiam superaret. Quapropter quemadmodum in orientali Ecclesia canitur illi, (o) *Salve locus Sanctificationis Dei superans Seraphim*, sic item salutanda est ut superans Patriarchas & Apostolos, & cæteras Beatorum acies. Ubi vulgata legit (p) *hortus conclusus Soror mea sponsa, hortus conclusus*. Hebræa origo recitat, paradisus conclusus. An tantum Soror, & non etiam mater? imò, an quantum Soror Sponsa, tantum & mater virgo Paradisus conclusus? Mille vectibus & seris, mille turribus & propugnaculis præ

(o) *Hymn. Græcor.* (p) *Cant. 4. 13. Hebr. Ver.*

præ omnibus protecta, munita & clausa fuit MARIA. *Hortus & Paradisus erat Virgo* inquit Rupertus (q) *ut arbores qua in aliis Sanctis erant sparsæ & divisæ, florerent in MARIA collectæ*: Paradisus conclusus erat MARIA, inquit S. Bruno, (r) ut prædator qui in primo Paradiso, Spirituales vastaverat hortos, de Paradiso virginis nec poma nec aquam (hoc est ne minimum Dei donum) potuerit inde surripere. Conclusus Paradisus erat virgo, quia altitudinem ejus arborum hoc est virtutum, explicant alii, neque Angelici sublimitas ingenii potuit metiri atque attingere. ubi autem de Libano infero ad superum Libanum accendit exultata, Paradisus conclusus, factus est scientiæ Beatorum apertus: explicuerunt se rami cum latitudine, radices cum profunditate, cacumina cum altitudine, & in una virgine non septem orbis miracula, sed infinita Gratiarum prodigia patuerunt, ad quorum reverentiam & cultum omnes cedri & cyparissi Dei se se incurvauerunt. Meritò acclamat illi mellitus Bonaventura, (s) *magna es Domina & laudabilis valdè in civitate Dei cæli, in universa Ecclesia electorum ejus.* Ascendisti alternantibus hymnidicis Angelicis choris, Archangelis constipata, rosis & liliis coronata.

§ 6.

REfert Sosomenus, (a) quo tempore Virgo B. ab Angelo monita declinans infanticidium He-

(q) *Ruper. in. c. 4. Cant.* (r) *Bruno de landib. Eccl. c. 1.* (s) *Bonav. in Psal. B. V. versu 47.*
(a) *Sosom. hist. Eccl. l. 5. c. 20.*

Herodis, in regnum Ægipti intrabat, unam arborum apud incoles ejus loci cultam & celebrem (ut pote quæ oracula reddebat petentibus) ad præsentiam Virginis cum sponso & filio transeuntis ad terram usquè se totam curuâsse & depressisse. Ita superbus qui arbori inerat Spiritus, ubi Dei paradisum cognovit advenisse, vel inuitus sui oraculi sedem profundè inclinavit. Quando autem depositis mortalitatis exuviis, Spiritus & caro Virginis jam alia, regnis succedebat æternis, non una sed omnes Dei arbores, Paradisum Dei venientem easquè supergradientem, profundissima cum reverentia suscepere: neque enim eas timor omnipotentis, sed charitas cognitæ visæquè Sanctitatis movebat, & inclinabat. Nec stetit earum officium, intra debitæ venerationis exercitium, sed præterea omnem suæ naturæ facultatem, omnes Angeli, ad ejus voluntatem imperatricem submiserê. Testatur secretorum cœlestium conscia S. Birgitta, (b) Angelos Assumptæ in cœlos Virgini ita obsequiis studere, ut malint omnes, prius inferni pœnas sustinere, quàm ab ejus sibi indicata voluntate recedere. Sicut cum hortus amænus, hospitem quempiam complexus est, ille hospitali amænitate ejus captus, ad ejus leges se totum conformat: ita B. Spiritus dum sentiunt MARIÆ visceribus se stringi, obedienti alacrem voluntatem, ad omne ejus imperium proferunt ac laxant. Nec minus ingentes meritorum Virginalium thesauri, in cœlo: illati

(b) *Birgitt. in rebelat. c. 20.*

illati, in cœlis revelati, motam eorum mentem ſtimulant ad Virginis implendam voluntatem. Omnes Sancti quotquot ad cœlos venere, quid ſecum attulere? illud, quod Apoſtolus (c) vidit & ſcripſit, momentaneum ac leve. Quid autem Virgo? Æternum, & grave. Si Virginitatis corporeæ attendas gloriam, (d) gloria, æternitas eſt Virginitatis, pondus Caſtitatis. Si puritatem mentis, ſemper, pura quia tota pulchra: (e) infinitè pretioſa, nam ſine omni macula. Audi quomodo eam æſtimet Deus ſuus; apud Guerricum Abbatem: (f) *Veni electa mea & ponam in te thronum meum: nullus mihi plùs miniſtravit in humilitate mea, nulli abundantius miniſtrare volo in gloria mea. Communicaſti mihi quod homo ſum, communicabo tibi quod Deus ſum.*

§ 7.

QUid autem ex dictis hactenus haurit ſpes noſtra? quid capit expectatio noſtra? Tenemur omnes deſiderio, ut in fine vitæ noſtræ nobis quoque accinatur, hortus concluſus, paradiſus concluſus Soror noſtra Sponſa. In hoc atterimur jejuniis, maceramur vigiliis, expolimur precibus. Inſevit nos fides in Chriſtum crucifixum, complantavit nos gratia mortis ejus, an etiam in hora mortis, exhibebit nos eadem gratia ut amænum paradiſum virentem & fructificantem lætis arboribus virtutum? Gemit Auguſtinus mundum conſiderans præteritum, & pro-

(c) 2. *Cor.* 4. 17. (d) *S. Ildafon. de B. V. laud.*
(e) *Cant.* 1. 15. (f) *Guerr. Serm.* 2. *de Aſſump.*

& pronunciat, (a) *amara silva mundus hic fuit:* an mundus Christianus dulcis silva, & amænus Paradisus? Nescio: qualis autem sit arbor, unusquisque seipsum interroget, dulcisnè an amara Deo, seipsum experiatur: non est autem amarum nisi peccatum, nec dulce nisi de Deo gaudium. Quod si verò aliquem radix amaritudinis peccatum infecit, inseretur Magnæ parenti. Illa enim novit & exugere quod amarum est, & impluere quod dulce. S. Bonaventura postquam dixisset de Virgine, (b) *delectetur cor vestrum in salutatione ejus*, addit: *influet enim vobis radios suæ pietatis*, nempe ut videatis quàm malum ac amarum sit extra Deum quærere cum peccato gaudium. Et pergit, *suavissimus est fructus illius, in ore & in corde Sapientis dulcescit*. A dulci ergo ejus fructu, versi in arbores vitæ, dulces parere fructus DEO condiscetis. Sic autem sponsæ & Sorores, dum exeundum mundo erit de præsenti, invenie-mini à Deo & suscipiemini ut sponsæ ut Sorores. Moris erat Jerosolimis, ut tradunt authores, (c) ut sponsus ad sponsam ruri manentem sequè expectantem cum comitatu descenderet amicorum, (d) quam deinde in genialem currum assumptam in domum suam vehebat choris canentium, & tædas præferentium instructus. (e) Currus autem genialis instar horti cujusdam ex cedri & cyparissi frondibus,

---

(a) *Aug. in Joan. tract. 16.* (b) *Bonav. in Psal. versu 7. in nocturno.* (c) *Sanches in Cant. I.* (d) *Salas. in proleg. Cant.* (e) *Genebr. in Ps. 44.*

dibus, nec non florum varietate extruebatur. Te quoque ſpes Chriſtiana Chriſtus & ejus currus nuptialis expectat, modò tamen obligatam Chriſto fidem, ſerves uſquè in finem, & ad ſerum vitæ. Ingredieris in geniali curru Sanctam altamquè Jeruſalem, ornata cedris & cypariſſis, fulgens floribus & pomis ſi tamen nunc cedras in horto tuo alas, ſi flores nutrias, ſi poma nova & vetera dilecto tuo ſerves. Ille currum exornabit, tu ornamentorum materiam ſuppedites oportet & ad gloriam & ad abundantiam, MARIAM JESU Matrem, ut matrem, quotidiano SALVE cultuquè ſincero proſequere novit illa filias benè elocare, novit ad veſperum vitæ, & profectionis de hoc mundo venire, & ſubvenire. Narrat S. Vincentius, (f) cum Mater quædam ad terminum vitæ veniſſet omnes filios, quos illa ante ſe præmiſerat, de cœlo in auxilium ſui veniſſe. Hic verò & infinities amplior affectus in extremis opitulandi vivit in virgine ad ſuam ſpiritus prolem: adeſt illa ſupremo agoni, confert flores, accumulat poma, congerit cedros, & cupreſſos, & quicquid ad vehiculum pompamque nuptiarum facit. Nulla mater ita ſollicita elocavit ſplendidè filiam, ut illa clientem. Exclamat Damaſcenus dormitionem ejus ſacram & placidam contemplatus. (g) *O miraculum naturâ præſtantius mors quæ odio & execrationi prius erat, nunc commenditur & beata cenſetur?* Hujusmodi verò pla-

(f) *Vincent. Ser. 2. de Aſſumpt.* (g) *Damaſc. orat. 1. de dorm. B. V.*

cidæ mortis dormitionem ſuis virgo conciliat, qui ſuo SALVE aures ejus: fælicem mortis horam petentes pulſant. Iſti à Chriſto audiunt cum decedunt. Veni Soror mea ſponſa: (b) Sponſa fide & charitate, Soror ejusdem Matris unitate.

§ 8.

APud Jones hujuſmodi referuntur fuiſſe ſtatuæ, (a) ut ad ſe venientes duobus verbis, Salve, reſponde, exciperent. Nos verò niſi in ſtatuas mutas tranſire velimus. Oportet ut ſæpe, imò dietim, imò ad horæ ſonum, virgini dicamus ſacrum Salve. In quo illa nos prævenit. Cum Spirenſem Eccleſiam D. Bernardus ingrederetur, ſcribit Nauclerus, (b) Virginis SS. ſtatuam prolocutnm eſſe Salve Bernarde. An quæ Bernardo dedit, nobis Salve ſuum prior ſubtraxit? certè beneficia quæ ejus interuentu à Deo percepimus, quid ſunt niſi benedictones dulcedinis & ſalutis, quibus nos prævenit? ergo gratitudo noſtra reſponde pro Salve, Salve, S. Thomas, operi ſuo literario immerſus, cujuſdam Cardinalis ſeſe viſitantis adventum non ſenſerat, (c) nec Salve ejus perceparat. Hoſpes purpuratus, nolens harmoniam magna & ſublimia ejus mentis contemplantis rumpere expectavit tantiſper, donec vis vehemens menti; à ſenſibus avulſæ ſeſe remitteret. Ubi verò ea remiſit, animadverſo hoſpite Angelicus ex clama

(b) *Cant. 4. 8. 9.* (a) *Apianus l. 8.* (b) *Joan. Naucleri Volum. 2. chron.* (c) *Surius 7. Marti*

clamat Magiſter, *jam habeo quod volui*, Cardinalis Salve. Ego verò iterum te convenio, te pulſo Gratitudo Chriſtiana, quoties tu dicere & geminare Virgini obnoxia es, Salve Salve? Cogeris fateri cum te tuaquè circumſpicis, jam habeo quod volui, virgo Salve. Oravi te puer, ut me Spiritu ſapientiæ, decore caſtitatis impleres, per te habeo utrumquè, virgo Salve. Invocavi te juvenis, ut meæ, de ſtatu & conſiſtentia vivendi, electioni præeſſes, & præfuiſti, & faviſti, per te habeo iter tutum, virgo Salve. Æger ſanitatem, peregrinus ad meos reditum, in afflicta fortuna ſubſidium à te petii & per te recepi, Virgo Salve. Imminebat mortis periculum, inſtabat ruina cauſæ meæ in judicio, vrebar & torquebar ſcrupulis, imò ſaxis conſcientiæ tundebar, ad te exclamavi, virgo ſubveni, & ſubveniſti, virgo igitur Salve. Quod ſi beneficiis Marianis onerata, tacet tamen gratitudo malè muta, quid ſperat quid expectat? *Curramus Chariſſimi* exhortatur Seraphicus Bonaventura, (d) *& nobilem ac dulcifluam virginem Salutemus, ut in ſuæ dulcedinis gremio quieſcamus.* An autem nobilem virginem habet, qui Salve debitum ſubtrahit? an dulcifluam experietur, qui amaræ in gratitudini ſubeſt? an in ejus gremio conquieſcet, qui ſurdus ad tantarum clamores gratiarum, Salve dulci non reſpondet.

CAPUT

(d) *Bonav. in Pſal. Mariæ nocturno. verſu 9.*

CAPUT II.

SALVE REGINA.

PRimus inter titulos Magnæ Parenti datur titulus, in cantico Contracti, REGINÆ, quem ipsum aliis anni temporibus eidem Virgini accinit Ecclesia: tempore quidem Quadragesimali, Ave regina cœlorum: (a) Paschalibus autem feriis, regina cœli lætare. (b) Quid verò causæ? Oratori & bellatori eadem ferè lex venit servanda. (c) In re bellica primi certaminis omnes potentes: in re autem oratoria primi tituli, omnium fortiores; nam qui persuadendo obtinere cor Patroni nititur, ille dignissimum titulum tanquam robustissimum arietem ejus animo admovet. Titulus autem Reginæ, primus est inter sublimia virginis nomina, dignitate. Quærit Carensis Hugo, cur in Salvatoris Genealogia David præponatur Abrahæ, cum tamen illi prius tempore & meritis de eo facta sit divinitus promissio? & respondet, *quia regni dignitas major est quam naturæ.* Jam verò si titulos Virginis quos Contractus noster congessit inspicias, videbis cæteros ad naturam, reginæ autem ad dignitatem pertinere. Nam Virgo, quia fæmina nata est, mater fieri apta nata est: Sed & misericordia fæminis congenita creditur, quia ut inquit Seneca, (e) *mulier immisericors monstrum.* Rursus quia filia Evæ, quomodo non vita

(a) *A purif. ad pascha.* (b) *A Pasch. ad Trin. Fest.* (c) *Mach. 3. 6. 9.* (d) *Hugo in c. 1. Matth.* (e) *Senec. de clem.*

vita de vita? Evam autem quod ſonat vitam, (f) maritus appellavit inſtinctu ſuo naturæ, uxorem. Sicut & uxorii viri dum ſuum monſtrant conjugibus ardentem amorem, eas ſpes ſuas, ſolatia, amores corda, dulcedines, vocitare conſueverunt. Ipſæ enim ſpem generis & Sanguinis propagant, amara vitæ temperant, Solatia ærumnis inſpergunt. Regis autem & Reginæ nomen, (g) non eſt tractum cum Sanguine dum primum inſonuit in orbe: meriti & virtutis eſt præmium, aut providentis ſapientiæ neceſſitatibus humanis, aut rectas leges moribus formandis ſtatuentis, aut innocentis à potentia Violentorum defendentis. *Deos*, inquit Ariſtoteles, (h) *omnes ajunt in regio imperio eſſe, quia ſunt & ipſi, partim etiam nunc, partim etiam olim.* Ut autem Species ſibi accommodant homines, ita & vitas Deorum. Quare hinc etiam oritur, ut reginæ nomen, matris, miſericordiæ vitæ, ſpei nomina, velut radicem flores aut fructus conſequantur. (i) Reginæ enim olim matrum, ſicut & Reges Patrum vocabula ſortiebantur: (k) reginæ item quia ſummis judicibus, belli præfectis, legum conditoribus, Sacrorum magiſtris junctæ erant. penes quos jus vitæ, dulcedinis & ſpei erat, meritò ſplendido vitæ, dulcedinis ſpei nomine gaudebant, cur Reges ſuſcitentur in populis quærit Themiſtius? & reſpondet, (l) *ut habeat*

(f) *Gen.* 3. 20. (g) *Ariſt. l.* 3. *pol. c.* 9. *Giſanius ibi in notis.* (h) *Ariſt. l.* 1. *pol. c.* 2.
(i) *Ariſt. l.* 1. *pol. c.* 8. (k) *Homerus. Horat. carm. l.* (l) *Themiſt. orat. de laud. Theodoſii.*

habeat homo quo confugiat, à lege rigida ad legem clementiæ animatam. (m) Cur Sauli in convivio armus obtigerit ſciſcitatur Theodoretus? & cauſam ſubtexit, (n) *quia robur regium totum Reip. corpus ſuſtinet, & non ſinit cadere.* Regum dicuntur armatæ preces, manus longæ, os favus, patrocinium anchora. Ritè igitur poſt titulum Reginæ: cantatur parenti divinæ, vita, dulcedo, ſpes. Quem ordinem nos ſequentes, dicimus Salve Regina, &c.

ARTICULUS I.

REGINA CONCEPTA.

§ I.

JAcob 12. Patriarcharum Caput & Archipatriarcha, Summæ parenti, jam quà Reginæ jam quà ſine labe CONCEPTÆ, egregiè u Pater Filiæ prælusit. Ordior à regio ſplendore (a) Nondum domui ſuæ, ut rex in parvo regno præerat, adhuc ſub cura & poteſtate Parentum latebat, & jam Regem agebat. Non ſolum communi & populari jure, de quo Ambroſius, (b) *cum Deus conſtitueret hominem, & in eo mores, ſenſusquè plantaret, tunc motibus eju regale impoſuit imperium*: ſed etiam: ut inqu unus interpretum non obvius, (c) *Jacob tam quam Vir Sanctus, regia quadam poteſtate præd t*

(m) 1. Reg. 10. (n) *Theodor. ibi.*
(a) *Virgil. Ecl.* 1. (b) *Ambr. l.* 1. *de Jacob. c.*
(c) *Fernand. in c.* 23. *Gen. Sec.* 5. *n.* 15.

tus videtur, cum sit Dominus suarum appetitionum. Hujus autem quod argumentum? quia non populus cupiditatum, non turba appetitionum ei imperitabat, sed potius ipse illas, regia sanæ rationis potestate continebat. Coxerat ille moderati ac benè morati ventris cibum subrufam lenticulam, (d) qua naturæ necessitatem expleret: Ecce verò lassus frater ab agro, primum oculis, tum auiditate servili involat in cocturam, & de rufo, de rufo, ut Hebræa narrat origo, (e) fratrem sollicitat minorem: minor autem Dominus sensuum, ut Dominus quoque Crearetur Majoris & senioris, lenticulum offert, si frater jus dignitatis primogenitæ in ipsum transfundat. Convenitur: iste pulmento vili injicit buccam, ille primo geniture apprehendit purpuram: quam neque voluntas Patris illi detraxit, sed potius solemni benedictionis ceremonia confirmavit dicens: (f) *serviant tibi populi & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii* Matris *tuæ.* Adoratio autem Deo in cœlis, regi in terris debetur sedenti & imperanti. Clarius Thargum Solimæum, (g) *servient coram te omnes populi, & Subjicientur tibi omnia regna.* Et verò Patris imprecationem fortunatissimam & serenissimam, excepit eventus: nam de femore Jacob pulcherrimorum & fortissimorum regum processit silva, & majestas quæ semel sic ejus adhæsit sanguini, ut nunc etiam

(d) *Genes.* 25. (e) *Gen.* 25. 30. *hebr. versio.*
(f) *Gen.* 25. 36. (g) *Thargum Jeros. in c.* 25. *Genes.*

etiam agglutinata perſtet, & verò in ſummo Rege Chriſto, etiam perennabit, ſicut & in matre ejus digniſſima æternabit. Siquidem quæ teſte Cypriano genuit majeſtatem, (h) generando ita ipſa induit, ut nunquam exutura ſit, majeſtatem. An verò ante Chriſti natalem, Virgo inventa eſt habere dignitatem regalem? Profectò, illa Nata, ut regina Salutatur. Sic Eccleſia; (i) regali canit ex progenie exorta MARIA refulget. Sic poſt Eccleſiam, filii ejus, & noſtri SS. Patres. Quorum unus Petrus Damiani, (k) eam Salutat & veneratur, *ut totius Naturæ reginam*, de quo alibi. Nunc autem filiam Jacob conſiderantibus, reſtat, ut conceptam ſine macula, Reginam videamus in eminèntiſſima gratia

§ 2.

EX ritu à Deo præſcripto Regem decet bonus odor, Legimus enim in divino codice Principes & Judices Supremos Iſraëlis, non fuiſſe unctos, Reges autem ceremonia à Deo tradita oleo Sacro, (a) & non profano, nec vernaculó, ſed raro & odorato delibutos. De quo ritu neque rex regum ubi in terras venit, ſeſe excepit. (b) Unctus enim fuit oleo exultationis, ſive Spiritus Sancti unguentis præ participibus ſuis. Et nunc eum creandi modum Reges, ſeruat religio

(h) *Cypr. Serm. de natal. Domin.* (i) *In offic. B. V. nati.* (k) *Damian. orat. 3. de nativ. B. V.*
(a) 1. *Reg.* 10. 1. 1. *Reg.* 16. 13. (b) *Pſal.* 44. 8.

ligio Christiana. Quanquam constet etiam Reges gentium, odore unguentorum apprimè fuisse delectatos. Certè Ælius Verus Imperator Romanus, (c) diem Persicis unguentis transigebat tinctus, noctem autem inter multæ odores rosæ: Reges ergo decet & ostendit bonus odor. Fortassis idcircò, quia Symbolo odoris, (d) exprimitur fama bonæ opinionis, juxta complures, Pulchrè Bernardus, (e) *justus est lilium in se candidum, sed proximo odoratum: proximo enim famam, nobis autem debemus & providemus conscientiam.* Ab hac autem lege, reges non subducuntur: imò quia ipsi unguntur compositionis raræ, unguento eam fragrantiam bonæ famæ procurare obligantur, ut unguenti odoriferi indolem induant. *Unguentum autem* ut benè advertit Gregorius Nissenus, (f) *columbam robustiorem efficit scarabæum autem interimit:* nec aliter regis fama de duplici honestate quasi Specie fragrantissima composita, dulcedine clementiæ temperat & reficit bonos, rigore autem Justitiæ minuit aut tollit improbos. Cæterùm hanc regum conditionem in Jacobo nostro minimè desiderabit, qui Patris de eo judicium expenderit. Ille autem sic de Jacob. (g) *Ecce* inquit *odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Ubi Ambrosius: *Erat*, fatur, (h) *Jacob perfectus in omni flore virtutum, & sacræ*

(c) *Pier. hierogl. l.* 55. (d) *Cypr. Aug.*
(e) *Bern. Ser. 71. in Cant.* (f) *Greg. Niss. apud Oecumen. in 2. Cor. c. 2.* (g) *Gen.* 27. 27.
(h) *Ambr. l. 2. de Jacob. c. 1.*

cræ benedictionis, atquè cœlestis beatitudinis redolebat gratiam. Addo in B. Jacobo non solum odorem agri pleni, sed etiam fragrantiam altaris thuribuli spiravisse: nam illa Isaaci verba sic Thargum convertit Hierosolimitanum. (*i*) *Sicut odor incensi ex optimis aromatibus, quæ tandem offeruntur in monte, ubi est domus Sanctuarii.* Nec mirum. *Nam*, inquit Ambrosius, (*k*) *licet dulcis suavis sit odor agri, quia est odor naturæ: tamen in Sancto Patriarcha virtutum spirabat gratia.* Atque ita, Jacob ut dotibus naturæ secundis ornatus, erat ager odore plenus, ut autem cœlo defusis virtutibus opulentus, erat odor altaris, cujus suavitatem odorabatur Dominus. De rege Patre, quomodo regina filia, & de parente optimi odoris, filia nunquam vel in origine sua corrupti processerit unguenti, nunc adverte. Quædam Sponsarum omnium Princeps: dicit regi, cujus ubera, sive pectoris claustra fragrabant unguentis optimis, (*l*) cujus nomen, oleum effusum & latè redolens, dici inquam, *trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ubi non dicit trahe nos ut advertit S. Bernardus, (*m*) sed me, quasi solam, quasi unicam, quasi super dilectas dilectam: & promittit, quia ipsa cum choro reginarum inferiorum, non itura, sed cursura sit in odorem multiplicium unguentorum suorum. O quæ est ista? quæ tracta trahet, quæ curren rapiet post se Nimpharum globos? Audi melli fluum

(*i*) *Thargum in c. 27. Gen.* (*k*) *Ambr. ubi supra.* (*l*) *Cant. 1, 1. 2. 3.* (*m*) *Bern. Ser. 21. in Cant.*

fluum. (n) *Non curram ego sola, & si me solum trahi petierim. Current & adolescentulæ mecum, curremus pariter curremus simul. Ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo atquè hortatu.* O fœlix ô fortunata quæ est ista, quæ prima à Rege cœlesti trahetur, quæ ante omnes curret, quam primam afflabunt, & incitabunt ad currendum, odores unguentorum? S. Dionisius Areopagita docet, (o) omnis unctionis principium, omnis odoris fontem esse JESUM suavissimum, & pergit: *ipsa Unguenti compositio mystica, ipsum nobis pingit JESUM, principalem scilicet divinorum odorum opulentiam, Sacris proportionibus in augustissima quæque Spiritualium diuinos vapores immittentem, in quibus Spiritus suaviter affecti, sacrisquè perceptionibus pleni, Spirituali utuntur alimonia, odoratis distributionibus ad ipsarum intellectuale, divina participatione subeuntibus.* Sic ille. Ex qua descriptione, habes, primum Regem unguentorum ac odorum divinorum ac intellectualium, qui Sacros vapores non quomodocunque immittit, sed Sacris proportionibus in augustissima quæque Spiritualium deriuat. Inter augusta autem spiritualium, quæ creaturarum augustior illa, quæ ipsum DIVINÆ VIRTUTIS (p) super substantialem vaporem meruit excipere & continere? quæ sacra proportione, principali odorum causæ accedit conjunctius & vicinius instrumentum, quam Virgo domus Jacobeæ decus

(n) *Bern. Serm.* 21. *in Cant.* (o) *Dionis. de Eccl. hier*, c. 4. p. 4. (p) *Sap.* 7. 25.

decus & filia? S. Bernardus (q) cum dixisse species Unguenti ex quibus conficiuntur Regi Regum odoramenta, esse sapientiam & justitiam, Sanctificationem, & redemptionem, *hi* (infert) *unctionis, & olei rivi derivantur in nos qui nos currere faciunt post ipsum.* In Jacob autem filiam: non solum hujus olei, august rivuli derivati sunt, sed ipsa substantia, & omnium odorum cœlestium plenitudo. Quare absit, ut alicujus vel primi odor peccati, in ea sit inventus. Nam post AUGUSTUM Regem Unguentorum divinorum, ipsa est omnium creaturarum augustissima, & Deo Ungente augusta Regina. Ubi nos legimus, *quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi:* (r) S. Ambrosius legit, (s) *sicut vitis propago, fumi incensa. Vitis* autem, fatur Guilelmus S. Prædicatorum familiæ, Doctor Parisiensis, (t) *dum floret, hanc virtutem habet, quod solo odore su expellit aut extinguit serpentes. Ita & hæc Virgo SS. in sua intemerata conceptione, per animum tantam redolevit charismatum abundantiam, quod in ea penitus extinctum fuerit venenum serpentis antiqui, videlicet peccatum originale, à quo penitus præservata fuit ex specialissimo Dei dono.* Sic ille. Unde verò propago vitis habet ut suo odore dum floret, serpentes extinguat? ex virtute vitis. Sic & virgo Concepta redolevit charismatum abundantiam, fudit odorem quo ex tinctum

(q) *Bern. Ser. 22. in Cant.* (r) *Cant. 2. v. 6.*
(s) *Ambr. l. de Isac. c. 5.* (t) *Guliel. Ser. 1. de intemerta conc. B. V.*

tinctum est peccati originalis venenum ex gratia redemptoris sui filii. Sicut enim nobis ille est vitis, nos verò illi palmites. (u) Sic & matri. Pulchrè autem concepta virgo dicitur ascendens, quia verè veluti regina Sanctorum cæteris est prælata & præhonorata. (w) Sicut & virgula fumi, quia Sceptrum filii, inquit Glossa (x) extraordinaria. Cujus verò fumi? non Adamæi qui est vanitas & inanitas concupiscentiæ vetiti pomi, sed fumi, Christi. Dicitur enim (y) virgula fumi ex aromatibus mirrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii: quia thus divinitatis Christi, mirrha mortalitatis & passionis, denique universus vitæ mortisquè apparatus, ei favit. Apud Ecclesiasticum Sapientia divina de se: (z) *quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam.* Quæ est autem habitatio prima, pretiosissima, mundissima habitatio Sapientiæ incarnatæ, nisi virgo clemens & pia? Huic Sapientia iucarnata, redegit se in fumum odoratum, hanc vaporavit, & Serpentem fugavit, & reginam super eum constituit. Hoc fumo afflata & vaporata Virgo, facta est & ipsa vaporatio redolentis ac dulcis fumi. Ubi enim vulgata legit, (aa) *quæ est ista quæ ascendit & sicut virgula fumi*, Symmachus extulit, *sicut vaporatio fumi.* Quare fumus Dei, odor Dei in MARIA nunquam otiosus fuit; & nunc in cœlis, (ut ascendamus à Con-

(u) *Joan.* 15. v. 5. (w) *Cant.* 3. v. 6.
(x) *Glossa extr. in* 3. *Cant.* (y) *Menoch. Sanch. Corn. à Lap. ibi.* (z) *Eccl.* 24. v. 21.
(aa) *Cant.* 3. v. 6. *Symmach.*

à Concepta ad Coronatam noſtram Reginam) ſic eſt Virga Dei, ſic fumus Chriſti, ut ſemper ſit actualis vaporatio Chriſtiani. Inſtruens Archangelus Tobiam ſuum quomodo dæmonium nuptiis infeſtum eſſet fugandum: (bb) cordis ejus (ſcilicet piſcis tunc capti ad Tigrin) particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, (cc) Hæc autem creditur ab authore naturæ vis, fumo hujus piſcis impreſſa, ut ſuperbi dæmones, rebus corporeis ſubjicerentur. Verum ſi fumus cordis, fluviatilis piſcis, Dæmones extricabat, quantò magis fumus Redemptoris qui ſe pro virgine incendit in cruce, aditum præcluſit hoſti maligno? Conqueruntur filii Iſraël coram Moyſe & Aaron, (dd) *Videat Dominus, & judicet, quoniam feciſtis odorem fœtere noſtrum coram Pharaone.* Quis verò iſte fœtor Pharaonem exacerbavit? niſi infamia affectati otii. (ee) At virgo, nulla non die, nulla non parte ſui odor bonus Chriſti. Nos miſeri vix conceptis, & expiramus Mephitim graveolentem: Virgo cantat: *quaſi Libanus non inciſus, vapor & fumus odoris mei.* Juſti, duo debita promulgans Bernardus, (ff) *juſtus* inquit *proximo debet odorotam famam, ſibi & Deo candidam conſcientiam.* Quid verò Sanctus Sanctorum & caput omnium Juſtorum, an reddidit proximo quod debuit? Inter omnes proximos, proximior eſt illi Mater, quæ concepta non olere,

(bb) *Tob. 6. v. 8.* (cc) *Serar. in c. 6. Tob.*
(dd) *Exod. 5. 21.* (ee) *Corn. à Lap. ibi.*
(ff) *Bern. Ser. 71. in Cant.*

olere, ſed redolere debuit, & redolevit ſpiratquè famam, integra & candidum ſibi & DEO ſemper habens conſcientiam, atque animam.

§ 3.

PRonunciavit Iſaac de Jacob ſuo filio. (a) *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Nec aliter Pater cœleſtis, de Virgine Filia ſibi concepta: ecce odor filiæ meæ, ſicut odor agri pleni cui benedixi. Ambroſius in agro Jacobi quatuor arbores conſitas advertit, (b) vitem cum uva, ficum cum umbra, olivam cum pace, malogranatum cum cuſtodia, Do ejus verba. *In agro Jacob uva illa reperitur, quæ expreſſa ſanguinem fudit, & mundum diluit. In hoc agro eſt ficus illa, ſub qua Sancti requieſcunt, Spiritualis gratiæ ſuavitate recreati. In hoc agro eſt illa oliva fructifera, dominicæ fluens pacis unguento. In hoc agro florent malogranata, quæ plurimos fructus uno fidei munimine tegunt, & quodam fovent Charitatis amplexu.* Hactenus Ambroſius. Ubi obſerva, quatuor arbores in agro Jacob conſitas ſtanteſque enumerari, omninò regii nominis & decoris. Nam vitis, ficus, oliva, ut eſt in ſcriptura, ad regnum invitantur: malogranatum autem ſymbolum eſt regni in ſacra profanaquè literatura. (c) In virgine autem Regina, altiores quære arbores, vel certè ſi eaſdem, viciniores & florentiores. An enim ipſa, ut vitis fœcunda uvam non protulit

(a) *Geneſ.* 27. v. 27. (b) *Ambroſ. l.* 2. *c*, 1. *de Jacob.* (c). *Judic.* 9.

tulit uva quæ expressa in crucis prælo sanguinem fudit & mundi nefas diluit? An ficum non edidit, cujus dulces grossi amaritudinem, & umbræ æstum seculi temperarunt? An pacis olea de ipsa non est nata, cujus unguento curantur vulnera, unguntur luctatores ad Sacra duella? Nec malogranati custodiam in ea desiderabis, cum de ea Rupertum loquentem ruminabis, *transeunt fines regnorum, sed Virgo regna custodit.* S. præcitatus Mediolani Præsul, postquam tàm præclara de regio Jacob agro locutus est, quasi coronidem laudum imponens, ager hic est de quo Dominus, *Species agri* (e) (vulgata legit pulchritudo agri) *mecum est.* Hoc verò Reginæ Conceptæ vel inprimis congruit: cum qua enim Dominus, est, fuit, erit, cum ipsa omnis agri pulchritudo, omnis Sanctorum species est. Quæ est verò species, seu pulchritudo agri rationalis? Augustinus respondet, (f) *audite canticum? Summa & Vera pulchritudo est justitia, ibi eum non Videbis pulchrum ubi deprehendis injustum.* An autem in Regina nostra, vera & summa resplendet justitia? non appello ad alium, quàm ad ipsum, testem Augustinum, (g) qui pulchritudinem ejus describens, si te inquit virgo, matrem gentium dicam, præcedis. Si Dominam Angelorum nominem, pei omnia comprobaris: si formam Dei apellem, digna existis. Si virgo præcedit Matrem gentium qua

(d) *Rupert. in Cant.* 7. (e) *Ambr. ubi supr. Ps* 49. *V.* 12. (f) *Aug. in Ps.* 44. (g) *Aug apud Bona. in Spec. B. V. c.* 3.

quæ eſt Eva, munda eſt in ſua origine, & tota vita & ſi Angelorum Domina: non ergo barbari ut Chriſoſtomus ait (b) peccati ſerva: denique ſi forma Dei, nil habet de informi maſſa, qua fermentatum eſt omne ſeculum, Adamæi peccati: Quemadmodum cum rex in agro ſuum ſignum, poſſeſſionis initæ fixit, nemo audet eum aratro taminare, & ruere vomere: ita quia cum Virgine ut agro ſuo fuit ſemper Deus, injuſtitia nulla auſa eſt eam contingere, aut maledictio violare. Proinde dic & exulta ſumme Pater, ecce odor filiæ meæ Conceptæ ſicut odor agri pleni, cui benedixi repete Davidis carmen. Species & pulchritudo juſti agri, Matris filii mei, mecum ſemper erat, eſt, atque erit.

§ 4.

CReans Iſaac filium ſuum Jacob Regem: *det* inquit (a) *tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ.* Ubi autem vox regni? Sequitur. *Serviant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii Matris tuæ.* Grande, grande regnum, & quidem geminum filio dedit, qui Dominum cœli ac terræ eum inſtituit. Et qui rorem cœli cum terræ medulla ſive pinguedine conjunxit, & ſic conjunctum dedit, quid ei ſebtraxit? unde & meritò, cum rugitu & lachrimis Eſau portionem regni petenti, reſpondit, (b) *& tibi poſt hac fili mi, ultra quid faciam?* Et verò, & decet,

 & oſten-

(b) *Chriſoſt. in Gen.* (a) *Geneſ. 27. à v. 28 ad v. 30.* (b) *Geneſ. 27. v. 37.*

& oſtendit reges magnos, ros de cœlo, pinguedo de terra. Cœli rorem, ut vocant interpretes, (c) intelligo dona cœleſtia, ſine quorum præſidio Sceptra condignè tractari non poſſunt. Inter quæ eminet & in capite reponendus eſt ros pietatis ac ſinceræ erga Deum religionis. Audi M. Theodoſium Imperatorem, (d) *inter cæteras ſollicitudines*: inquit, *quas amor publicus pervigili cogitatione nobis indixit, præcipuam Imperatoriæ majeſtati curam eſſe perſpeximus, veræ religionis imaginem. Cujus cultum ſi tenere poterimus, humanis aperimur inceptis*: (e) Pinguedinis autem ſymbolo dicamus notari dotes & præſidia naturæ, quibus reges in terra fulciuntur, ut ſunt Sapientia & liberalitas, opum affluentia & populi multitudo, ſervorum & amicorum fidelitas. Porrò in Jacobo filio Iſaaci & ros cœli, & terræ pinguedo duo regnandi fundamina convenerunt. *Non defuit illi*, inquit Procopius, (f) *ros ille qui ex regione illa ſemper viventium deſcendens, piorum animis inſtillatur, nec pinguedo terræ, quia collata eſt ei facultas, & propagandi in ſua familia reges, & eos gubernandi*. In filia autem Jacob, Regina reginarum, quid loco roris cœleſtis & pinguedinis terræ ſtatuemus? Gloſſa (g) geminæ Virginitatis decus, corporalis ſcilicet & mentalis intellexit. Duo enim grandia regna habet, qui mente & carne intege

(c) *Pintus Hector Sanct. in c. 45. Iſai.* (d) *Nicephor. l. 33. c. 1.* (e) *Gloſſa in Gen.*
(f) *Procop. in c. 23. Gen.* (g) *Gloſſa extraor. in Cant-*

integer eſt. Carne autem integer eſt pudicus, mente autem carens conſcientia criminis. (i) *Latius regnes, avidum domando Spiritum quam ſi Libyam remotis Gadibus jungat & uterque Pœnus ſerviat uni.* Similiter latius & glorioſius regnatur, cum caro Spiritum puritate, Spiritus autem Deum æmulatur. Magnificis ſuis implens Deus promiſſionibus populum recenter de Ægipto eductum, & ad mandatorum ſuorum obedientiam ſuaviter, atque efficaciter invitans, *ſi* inquit (k) *audieritis vocem meam, vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens Sancta.* Quod ipſum Princeps Apoſtolorum genti inculcat Chriſtianæ, *vos* inquit (l) *genus electum regale Sacerdotium.* Cur ita? quia à gente Sancta, totius hominis, ſive duplex repetitur perfectio, animi, nomine Sacerdotii: carnis, nomine, regni. *Quid enim* fatur M. Leo, (m) *tam regium, quam ſubditum Deo animum corporis ſui eſſe rectorem?* Et quid tàm Sacerdotale, quâm vovere Domino conſcientiam puram, & immaculatas pietatis hoſtias de altari cordis offerre? *Multos reges ſi ratio te rexerit* inquit Seneca: (n) plenius dixiſſet, multos reges: ſi carnem ratio, rationem Deus rexerit. Sic enim rore cœli mundus conſcientia, & medulla terræ, purus caſtimonia, abundabis. Quorum utrumque ut

G 2 rectè

(i) *Horat. l. Carm.* 2. *ode.* 2. 5. 6. (l) 1. *Petr.* 2. v. 5. 3. *de animæ ſuæ aſſump.* (k) *Exod.* 19. v. (m) *M. Leo. Ser.* (n) *Senec. Epiſt.* 37.

rectè Glossa dixit, (o) regina de tribu Jacob concepta, possedit.

§ 5.

ACerrimus & gloriosissimus puritatis Marianæ propugnator Ildefonsus, (a) inter alios illustres titulos, dedit Reginæ nostræ & hunc, Æternitas virginitatis, cujus autem, non expressit. Atque inprimis, confitetur mundus Christianus omnis illam ante partum, in partu, post partum virginitatis gloria floruisse corporalis, proinde æternitatem Virginitatis corporalis penes eam esse. An item regina virginitatis mentalis, sive æternitas virginitatis Spiritualis dicenda? S. Cyprianus, (b) utramque ei æternitatem assignat. *Matri* inquiens *divinæ plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis virginitate insignis Spirituali & corporali, intus & extra, Christi præsentia frueretur.* In eandem sententiam alloquitur pius & subtilis Rupertus Reginam nostram: (c) *Venter tuus ô Virgo nulli viro, nulli carnali commercio accessibilis, & mens tua nulli vitio, nulli Spiritui nequitiæ fuit penetrabilis.* Restat itaque ut carmine S. Bonaventuræ concludamus, (d) *scuto Dei obumbrata, nunquam virgo deflorata:* Non deflorata carne quia vir illi non accessit, non Spiritu, quia inquit Rupertus *nullu*

(o) *Glossa ubi supr.* (a) *Ildefon. de Virgin. B. M. c.* 10. (b) *Cypr. Serm. de nativit.* (c) *Rupert. in c. 4. Cant.* (d) *Bonav. in Psalter. B. V. minore, quinquag.* 1.

nullus nequitiæ Spiritus mentem ejus penetrabit. Extra eam defendebat Christi humanitas, intus illam muniebat Christi divinitas. Cum Doctor unius Sacræ familiæ, de æternitate virginitatis. nostræ Reginæ nonnihil addubitaret, S. Ægidius M. Francisci discipulus, (*e*) ejus internam per- videns tempestatem ter baculo tutudisse terram refertur, & tria lilia, virginitatis MARIANÆ triplicis ora, & testimonia excitásse. Virgini- tatem autem mentis æternam Reginæ nostræ quis persuadebit nobis? Stant in terra, florent, & redolent duo ejus lilia, puritatis scilicet à mortali, & veniali personali culpa. Tertium autem ut erumpat lilium, & personet consono ore mundus, munda virgo in sua origine, quis nobis dabit? Profer Christe crucem, tunde so- lum baculo. Quomodo verò. Rugitus M. Leonis est, (*f*) plenus veritatis, *omnes in Chri- sto regeneratos, signum crucis efficit reges.* Ap- plicatur infantulo ad fontis sacris præsentiam ignum crucis, & anima ejus per originale pec- atum deflorata, florem accipit mentalis Virgi- nitatis. Quis nos prohibet credere, Deum Ma- tri suæ signum & meritum crucis suæ omnibus hominibus maturius præapplicuisse? Antequam viro desponsaretur, munivit eam signaculo voti orporeæ virginitatis antequam anima ejus ontactu & unione carnis, inquinaretur, præ- munivit eam suo merito, speciali privilegio. Est, qui concludat: MARIA semper Virgo

 carne,

(*e*) *Sur.* 23. *April. in Vita S. Ægidii.*
(*f*) *Leo. M. Ser.* 3. *de anni. assump.*

carne, ergo & Spiritu. Urget consecutionem os sacri auri: *nihil sanè* inquiens (g) *est tenebricosius quàm Virginitas oleo carens.* Quali oleo? reddit Bernardus: (h) *castitas sine Charitate, lampas est sine oleo.* Si autem Virgo, sine charitatis oleo, quomodo cum filia vitæ, filia & lucis? quomodo mentis integritate pollet? Jacob antequam natus, Deo præ Esau dilectus: (i) Virgo quoque priusquam concepta, dilecta, & in Matrem Deo electa Jacobo Deus in omnibus fuit scutum: *MARIA* autem canit S. Bonaventura, (k) *nunquam deflorata, scuto Dei obumbrata.*

§ 6.

FUlminat S. Ambrosius (a) in quandam puellam lapsam, quo tonitru? audi. *De Virgin* inquit, *facta es corruptio Sathanæ, de habitacul Spiritus S. tugurium Diaboli: quæ incedebas u columba, nunc lates in tenebris ut stellio: qu fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem nunc vilior facta es luto platearum: quæ fuera stella radians in manu Dei, veluti de alto ruen conversa es in carbonem.* Sic ille. Jam verò Regina mundi, mente per peccatum primum deflorata, nonne his quæ Ambrosius recensu dedecorum notis, erit aliquomodo deformata At non sic eam Sponsus suus, pingit in Cantici Sp

(g) *Chrisost. h. 29. in Matth.* (h) *Bern. in Epi* (i) *Ambr. l. 2. c. 1. de Jacob.* (k) *Bonav. Psal. min. B. V. ubi supra.* (a) *Ambr. lapsam virg. c. 8.*

Spiritus Sanctus. (b) *Una est formosa mea, una columba mea, una perfecta mea.* In quæ verba Doctor Angelicus, (c) *una* inquit *est Catholica per orbem terrarum diffusa Ecclesia, quæ ex reginis & adolescentibus constat. Quæ & rectè columba vocatur, quia Spiritus S. dote, qui in Specie columbæ apparuit, Christo desponsata est. Hæc una est matri suæ, quia ad exemplum illius, Ecclesiæ, quæ jam Christo fruitur, ipsa in hac peregrinatione instituitur & formatur.* Hactenus Angelicus. Cæterùm hæ laudes quæ dicuntur & exponuntur de Ecclesia, principali ratione de primo & principali ejus membro, quod est MARIA intelliguntur: ipsa enim maximè una est, & nullo schismate & scissura peccati à se vel sponso suo divisa: ipsa prima & ditissima dote Spiritus S. ornata columba: ipsa præ cæteris Sanctis una matri suæ & nostræ, scilicet Hierusalem triumphanti, eam perfectè referens sine macula & ruga. Et si illa non est perfectè Matri suæ una, nulla alia Ecclesiæ pars assignari poterit, quæ sit similis, imò eadem, imò una cœlesti Hierusalem: illa denique constat reginis & adolescentulis, quia Matrem suam Deus non solum elegit sed præelegit super omnem chorum Sanctorum Ecclesiæ, (d) Filius ejus de se sibi inscripsit, *rex regum*, & in capite portat diademata multa: ipsa autem de gratia filii uberibus suis inscriptum portat, regina reginarum, & in capite coronata nitet non solum coronis Apostolorum,

(b) *Cant.* 6. 8 (c) *S. Thom. in c.* 6. *v.* 8. *Cant.*
(d) *Apocal.* 19. 16. *Apoc.* 19. 12.

ſtolorum, ſed etiam paradiſi, ac cœli principum, proinde, una, perfecta, immaculata, columba. Ne quære in illa tugurium deſertum, ubi ſemper fulſit habitaculum Spiritus S. non tenebreſcit illa ut ſtellio, ſed candet ut lacte lata columba: dicat tota generis noſtri maſſa Domino, tu pater noſter es, nos lutum: Virgo ſemper ut ſepties colatum aurum. Denigretur alius ut carbo, virgo in manu Dei radiat ut ſtella. Jacob Patriarcha, (e) nato filio ultimo nomen indidit ſplendidnm, filius dexteræ, (f) quanquam Rahel eum vocârit, filium doloris. Credo more veterum, quibus curæ fuit, nomina fauſta & pulchra imponere filiis vel amicis. ita is qui prius apellabatur teſte Strabone (g) Tyrtanus, ab Ariſtotele magiſtro ſuo vocatus eſt Theophraſtus: (h) Benjamin autem vocatus eſt à Patre ſuo filius dexteræ: vel quia dextera proſperitatem ſignificat ſicut Siniſtra infauſtam ſortem: vel quia dextera ſignum eſt Fortitudinis, plus enim ea, quàm Siniſtra habet virium: vel quia dextera, index eſt amoris & honoris, qui enim ad dexteram locantur, cariores & honoratiores vulgò cenſentur. Sic ergo Pater dexteræ, filium dexteræ nuncupavit. Virgo autem Virginum, ubi primum vitam mortalem guſtare cæpit, & dexteram Dei cœpit. (k) *Adſtitit*, inquit

(e) *Geneſ.* 35. 19. (f) *Oleaſter ibi.*
(g) *Strabo. l.* 13. *de. Theophraſto.* (h) *Perer. in c.* 35. *in Geneſ. num.* 41. *Oliaſt. in c.* 35. *Gen. Rupert. ibid.* (k) *pſal.* 44. 12. *Gloſſa extr. ibi.*

quit Psaltes *regina à dexteris tuis, in vestitu deaurato circumdata varietate.* Quia nimirum virgo ex aureo regum, & principum ordine, bello & pace insignium prodiit. Sed hoc cedat ad partem. (*l*) Sequitur, omnis gloria filiæ regis ab intus. Augustinus ex 70. legit intrinsecus & quærit quæ sunt interiora pulchritudinis? respondet conscientia. Ibi videt Christus, ibi amat Christus, ibi coronat Christus. Virginis autem conceptæ qualis gloria? intus, in conscientia, omnis gloria. Ibi reginam rex Christus coronavit, quando Angelorum à dextris suis creatorum, initium ei simile concessit. Quod si hanc non habet, non est regina à dextris, erit ab una & altera dextera Dei, non tamen ab omnibus dextris Dei: nec omnis gloria, in ejus invenietur, intrinseco, quia gloria Angelici primi momenti, quæ potuit ei dari, subtracta est. At, non vidit subtractam, qui dixit reginam à dextris, nec dixit â Sinistris: qui intonuit, omnis gloria filiæ regis, filiæ primæ Dei ab intus, in conscientia. Ibi eam amavit Christus, ibi coronavit: (*m*) ibi dexteras suas ei imposuit.

§ 7

EXhortans S. Ambrosius alteram Virginem, ad curam castimoniæ, (*a*) *adverte* inquit, *quantum Spiritus S. regnum detulerit: vel quia Sponsa es regis æterni: vel quia invictum animum gerens,*

G 5

(*l*) *Psal.* 44. 16. *Aug. in Ps.* 44. *ex* 70 *vers.*
(*m*) *Aug. in Ps.* 44. (*a*) *Ambr. l.* 1. *de Virgin.*

gerens, ab illecebris voluptatum, non captiva haberis, sed quasi regina dominaris. Hæc verò, ut patet, filia divinæ dexteræ, quia Deo desponsa, quia suis affectionibus imperans regina, meritò dici potest. Sed regina, communis, non alta & sublimis: Virgo & regis sponsa, sed choro similium conclusa, & finita. Altera quædam est, filia dexterarum, & una super reginas, & vna super omnes, de qua dicitur: (*b*) adducentur regi, scilicet, virgines hoc est animæ mundæ, sed post eam. Post quam verò eam? utique post eam, supra quam nulla est, quæ humeris orbem portantibus, quæ uberibus Deum lactantibus, quæ vertice & capite Conceptionis suæ excedit omnes. At enim inquies, lego apud Gregorium in Menæis Græcorum, hæc verba, (*c*) *ille qui à dextris Patris nunquam digressus, substantiam omnem transcendit, in te sibi diversorium delecturus advenat, ut te à dextris suis constituat, tanquam reginam dignitate sibi propinquam, utque te velut dexteram suam omnibus lapsis ad resurgendum extendat.* Quare antequam in Virgine diversorium sibi Deus constitueret (inferes) nondum fuit regina à dextris, nondum dignitate sibi propinqua. Non inferes rectè. Etenim non solum virgo, diversorio humanitatis suæ excipiens regem cœlis regina à dextris est constituta: sed etiam quando ut diversorium constructum & primò animatum stetit, regina à dextris stetit. An enim

(*b*) *Psal.* 44. 17. *Genebr. ibi. Bellar. ibi.*
(*c*) *Greg. in men. Greg.* 24. *Mart. ode.* 8.

enim ſiniſtram Dei MARIAM concipi fecit? an diverſorium regis æterni primò vivens & ſpirans, non regis aliquando fuit? an qui ſibi illud fecit, (*d*) alteri & quidem hoſti ceſſit? an qui in utero matris clauſam ſibi dedicavit, in utero matris ante Jeremiæ tempus eam ſibi non conſecravit? At, cum in eam ut in diverſorium ſuum deſcendit, tunc reginam à dextris conſtituit? Sic eſt: ſed reginam apparenter coronatam: ſed reginam non parvulum ætate, ſed grandem poteſtate, unam velut dexteram ſuam omnibus lapſis ad reſurgendum extendit. Multum autem differt, regina à dextris DEI ſtans, & regina velut dextera Dei lapſos erigens. Gaudeat ergo & plaudat filia Jacob, ut filia dexteræ, ut regina à dextris, & non à Siniſtris concepta.

§ 8.

PRomittit DEUS Jacobo, (*a*) *ego ero ei quaſi ros, Iſraël germinabit quaſi lilium & erumpet radix ejus ut Libani. ibunt rami ejus, & erit quaſi oliva gloria ejus, & odor ejus ut Libani.* Illuſtriſſima promiſſio, DEUS erit Jacobo ut ros, & ille ut lilium florebit, ſic 70. efferunt: (*b*) & ille radicem emittet, quæ ſe in arborem dilatabit in gentem, glorioſam ut olivam, odoratam ut ſilva Libani. (*c*) Non pauci, Deum Iſraëli factum rorem, cum eſt incarnatus, exponunt. Tunc enim ut eſt petitus ſic deſcendit:

(*d*) *Eccl.* 49. 9. *Jerem.* 1. 5. (*a*) *Oſeæ* 14. 6.
(*b*) 70. *textus.* (*c*) *Ruper. Liran. Menoch. ibi.*

dit: (d) petitus est autem ut ros, rorate cœli desuper, & datus ut ros. (e) Idem nihilominus Deus, matri suæ conceptæ, quanquam nondum humanatus, ut ros stetit non solus Jacob, sed & filia Jacob, Deum quasi rorem sibi cadentem & faventem experta est. S. Hieronimus præmissa Oseæ verba sic elucidat, (f) *ero eis quasi ros ut fornacem Babilonicam, & caminum æstuantis incendii, meo rore extinguam.* Hoc verò quàm pulchrè in primo Virginis ortu impletum est? Concupiscentia illa carnalis in qua concipimur omnes, nonne fornacis magnæ meretur nomen? utpote quæ per secula & omnia mortalium genera funditur, qua afflamur omnes, accipientes inde velut fuliginem peccati maculam, & tanquam pertinacem scintillam, fomitem delinquendi. Hujusmodi fornax, ne primum in utero denigraret virginis ortum, ros Deus intercessit, filius Dei eum impedivit, prout figura in tribus pueris fornacem Babilonicam patientibus præcessit. (g) Nam ipse Rex ejus fornacis author exclamavit: ego video 4. viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & Species quarti similis filio Dei. Ut igitur tres pueri, periculo ignis & mortis circumsepti quidem fuere, sed Dei filii virtute, non sunt a flamma contristati, Salvi sunt reservati, & in ardoribus ventum roris invenere: Sic idem filius Dei, Matrem suam à concupiscentiæ & primi peccati effectu, affectu-

(d) *Sal. in l. 3. c. 17.* (e) *Isai. 45. 8.*
(f) *Hier. in c. 14. Ose.* (g) *Daniel. 3. 92.*

affectuquè exemit. Considerans Doctor Angelicus, (h) qualiter infinita propè vis Martyrum ad supplicia tanquam ad præmia cucurrit, & in iis tanquam in regalibus delitiis exultavit, assignat causam, *quia* inquit *Martyres in tormentis existentes, percipiebant aliquid de divina gloria, non quasi eam in suo fonte bibentes, sicut illi qui Deum per essentiam vident, sed aliqua gloriæ ejus respersione refrigerabantur.* Sic igitur & virgo quanquam humano modo sit concepta non est tamen peccati primi igne tacta, quia ipsam divina gloria, Dei filii respersit ac refrigeravit, Quare S. Cyprianus, (i) vas inquit electionis Virgo, naturam communicabat, puta concepta, non culpam, eratquè ei proprium privilegium esse simul Matrem & Virginem, Matri plenitudo gratiæ debebatur, Virgini amplior gloria, quæ carnis & mentis integritate, intus & extra Christi essentia fruebatur. Sic igitur Jacob filia, Deum habens assistentem sibi, refrigerantemquè sese rorem, effloruit & germinavit ut lilium, ut inquam Regina inter omnes flores Puritatis: facta est radix sancta, unde erupere virgæ in carnem dominantium: unde exivere rami semper castitate virentium, unde processerunt olivæ pacem in carne & mente habentium, deniquè unde se diffuderunt silvæ nobiles, Saltus Libani, mundum implentes, cœlum odore lætificantes. Huic item reginæ semper reginæ virginitatis utriusquè, (l) clamant de toto

---

(h) *S. Thom. de verit. qu.* 13. (i) *Cypr. de Christ. nativ.* (l) *Hymno, ave maris stella.*

toto mundo hortuli & plantæ ejus, nos culpi solutos, mites fac & castos.

ARTICULUS II.
REGINA NATA.
§ 1.

DEus magnus Dominus volens sibi unum regnum speciale in terris fundare, tres sibi Sanctas elegit fæminas, Spiritu principes, sterilitate humiles, regum deinde matres, quarum unam Abrahæ, alteram Isaaco, tertiam Jacobo propriam dicavit. Sara enim, Rebecca & Rachel, fotmâ quidem liberales, sed pariendi virtute pauperes. (*a*) Isaac certè 40. annis Castissimus & innuptus, viginti deinde maritus sed non pater, non ex se, sed ex impedimento suæ Rebeccæ infæcundæ. Quærit causam Theodoretus cur tanto tempore Isaaci domum tenuerit sterilitas? & respondet; (*b*) *Volens DEUS componere genus Israëliticum, ostendit illud, non naturali successione sed gratiâ & favore suo multiplicandum*: quia ChristusD.unigenitus Dei filius, inde secundum carnem nasci debebat. Christi autem excipit Chrisostomus (*c*) introitus in mundum fuit regius. Quomodò verò regius? quia Gratiæ divinæ, ut Maxima Reginarum servit omnis vulva naturæ, Christum autem in uterum Virginis traxit, & de utero ejusdem

(*a*) *Genes.* 25. 20. (*b*) *Theod. qu.* 74. *in Genes.* (*c*) *Chrisost. hom* 49. *in. Genes.*

ejusdem eduxit. Gratia non natura. Porrò Virgo Mater, regni divini pars magna & Patriarcharum filia, item de ſterilibus, per ordinem & vim diuinæ gratiæ proceſſit: quare item ejus in orbem introitus, fuit introitus regius, & ipſa de Reginâ Gratiâ regina. Acclamandum ergo illi meritò eſt, Salve Regina: (*d*) utpote quam Sol ſimul hominem vidit ſimul principem, quod dixit hiſtoricus de M. Commodo Imperatore.

§ 5.

PErpendens Rupertus vitium ſterilitatis in Rebecca. *Benè* inquit (*a*) *divina providentia talem in qua non poſſit omnis caro, ſed ſola fides gloriari providit.* Unde licet colligere, unum regnum, quod omnia regna tranſcenderet erigere voluiſſe, ovi natura ſubeſſet, gratia præeſſet, quodquè regnum Regnorum vocandum eſſet. Et verò omnia regna hominum quæ natura parit, aut induſtria humana excitat, conſtant ex partibus, & ſimiliter temperatis, nam omne regnum in ſe diviſum, deſolari ac ruere diſſiparique neceſſe eſt. Vide regnorum caput, regnum Romanorum, (*b*) quod concordia eorum de Societate paſtoritia, crevit in urbem orbemque Regum, diſcordia autem civili, ſe ſe evertit, orbem ruina implevit. Porrò Deus cœli quod regnum ſibi in una gente Iſraëlitica fundavit, ejus gentis ac regni fundatores

(*d*) *Herodianus in Commodo.* (*a*) *Rupert in c.* 25. *Gen.* (*b*) *Florus. lib.* 1. *c.* 1.

tores, ut sunt tres primi Patriarchæ, Abraham, Isaac & Jacob, ex dissimilibus, ac contrariis constare voluit. Missis cæteris Isaac & Rebeccam considero: isti regni hujus Satores, quanquam in multis concordes, in regno tamen propagando omninò discordes ac contrarii. Constat enim Isaac fœcundum, ut DEUS ipse testatus est Patri ejus, ejus autem thori sociam Rebeccam, infœcundam naturâ extitisse, (c) Viginti enim annis viro juncta, sterilis tamen reperta est. Nihilominus cum divina gratia eam respexit, uno concubitu duas reges concepit, in uno utero duos populos portavit, (d) uno partu, quomodo nulla alia, duo regna effudit. Hoc autem peradmirabile contrariorum vinculum & mixtura quid respiciebat? Rebecca, MARIAM S. aurei oris, ubi secum considerâsset, trium priorum regum, intelligo Patriarcharum, reginas steriles fuisse, causam assignat, (e) *ut ex admirabili partu sterilium fœminarum, jam tunc præstrueretur ac muniretur fides, partus Virginis.* Quod si Rebecca grandis regina, quia mater duorum regum ac regnorum de divino favore ac gratia, quo tandem in culmine reginarum figenda est. Nata virgo, quæ infœcunda facta est fœcunda, & victa natura protulit regem & regnum, quod ut ait Daniel (f) in æternum non dissipabitur, & alteri populo non tradetur, comminuet autem & con-

(c) *Genes.* 25. 20. 26. (d) *Genes.* 25. 23.
(e) *Chrisost. h.* 45. *in Gen.* (f) *Dan.* 2. 44.

& consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum? Et verò in Rebecca & Isaac hujus regni considera radicem, in Virgine autem florem, in partu ejus fructum: & dic tibi: si radix tàm pulchra hujus regni, quid erit flos, quid fructus? Ex contrariis quidem radix ista coaluit, nempe ex fœcunditate & infœcunditate maritali: at flos hujus regni ex pœnitus & longè magis contrariis erupit, & fructum edidit. Quid verò mundo promittit? Promittit contraria non contraria, sed paria & amicabilia se perfecturam, & ultra Rebeccam charitate se erga genus nostrum processuram.

§ 3.

INter alios quibus Virginem Salutant orientales Ecclesiæ, titulos, & iste resonat, (a) *Salve reductrix contrariorum ad idem.* Quorum verò & qualium contrariorum? An ut discordes elementorum naturas in unum colligat? sed hujusmodi moliri unionem, scit natura & sua mixtio. An ut nox vertatur in diem? sed & hanc reductionem ad idem novit facere ignis & Luna. An ut hyems coæquetur æstati? potest hanc conversionem ars humana operari. An alia mundi contraria, mundus enim Augustinus (b) *ex anthithetis constat*: & hoc parum. Illa contraria virgo valet reducere ad idem, qualia divina gratia non natura in se reduxit ad unum nempe sterilitatem Virginis, ad fœcundi-

(a) *Hymnus Græcorum apud Buteonem. p. 126.*
(b) *August. tract. in Joan.*

cunditatem Matris. Quidam ſpartanorum Regum de ſe & uxore loquens, (c) *cum ſumus inquit, concordes, unus nos lectus capit, cum diſcordia tumemus, domus & civitas nobis ſunt, anguſtiæ.* Quid autem homo cum Deo? cum ſunt concordes, omnis locus illos capit: cum autem peccatum eos diviſit, nihil unire, ſociare nihil poteſt. Virgo tamen ad hoc Regina divinitus creata eſt, ut Deum & peccatorem reducat in unum, ut Evam & ejus progeniem reducat ac reponat in Paradiſum. Audi Sergium Hieropolitam in inſigni die Virginis natæ canentem. (d) *In hoc*, inquit *Nativitatis feſto Spirituali buccina clangamus. Etenim quæ præſenti die ex ſemine Davidico naſcitur* (nos dicamus Iſaac & Rebecca) *vitæ mater eſt, Evæ revocatrix, per quam in divinæ naturæ participationem translati ſumus, atque à morte liberati.* Quæ Evam revocat ad innocentiam, ad gratiam, ad vitam, ad Paradiſum, an Evæ filios negliget? (e) Fuit tempus cum Rebecca Jacob & Eſau, utero continuit ambos pariter, uberibus lactavit utrumquè ſimiliter, ubi tamen ad coronam benedictionis paternæ conciliandum ventum eſt, uni favit, alterum ſupplantavit: (f) non duxit utroſque ad unum: & intelligens Eſau contra Jacob moliri inimicitias & mortem, non reduxit contraria ad unum, (g) ſed diviſos animis, diſtraxit locis. Tu autem Regina

(c) *Plutarch. in Lacon.* (d) *Serg. in orat. de nativ. B. V.* (e) *Geneſ.25.23.* (f) *Gen.27.* (g) *Gloſſa in 28. c. Geneſ.*

Regina reginarum, nullum Evæ filium à tuo complexu arces, sed de tuis brachiis in brachia Dei inseris, & filios Iræ- filios gratiæ efficis, nec sistis laborem Charitatis tuæ, donec miserum peccatorem in participationem, supereminentis divinæ naturæ reducas, eumquè Dei hæredem ac Christi tui cohæredem constituas. Salve igitur Regina, Salve contrariorum ad idem reductrix.

§ 4.

ENimuerò, quanquam Rebecca de gratia Dei, Reges utero acceperit atque excluserit, prius tamen tolerantia longa exercita est. Namque viginti annis uxor, sed non mater habita est. Planè nomini suo quod ferebat, respondit. Nam Rebecca S. Hyeronimo (a) resonat PATIENTIAM. Quantum autem patiendi materiem, tantorum tractus annorum, & juveni fœminæ, & amanti virum, & æstimanti domum Abrahæ, & intelligenti ejus temporis, mulierum benedictionem, ministrârit, facile est suspicari, operosum describere. Et quanquam hæc Patientia nupserit Risui hoc est Isaaco, (b) (Isaac autem risum significat) tamen extrinsecus inde linebant solatia, animum, intus autem radix amaritudinis vivebat. Temperabat nonnihil mariti ejus amor afflictam & vulneratam mentem, risu tamen miscebatur dolore, & extrema gaudii luctus occupabat, maximè quando alias nuptas, prole lætas & plenas, se autem vacuam

(a) *Hyeron. in Isai.* (b) *Idem ibidem.*

vacuam ac deſtitutam eâ videbat. Et certè quis dolor urat nuptas & infœcundas ex una Rachele diſce. (c) Quæ talem ſe videns, ut ait Sacra Charta, ait marito ſuo: *da mihi liberos, alioquin moriar.* (d) Ad hæc verba unus interpretum: impotentia deſiderii liberorum, fecit hæc verba inſipienter admodum loqui Rachelem. Cæterùm error Rachelis facilè invenit veniam, ſi conſideretur conditio Matrimonii: de qua Princeps Philoſophorum: (e) non eſſendi cauſa ſolum verùm etiam bene eſſendi mas & fœmina naturæ ope conjunguntur, filiosquè procreant, non ſolum ut id naturæ tributum ferant, verùm etiam ut commoda inde ſuſcipiant. Et ſimul natura per hunc circuitur, adimplet æternitatem quando ſecundum numerum non poteſt, ſaltem ſecundum ſpeciem. Hæc Ariſtoteles. Ergo Rebeccæ noſtræ, eſſe & non benè eſſe, eſſe nuptam nec habere præmium nuptiarum: Vivere in debito, & non ſolvere tributum naturæ, expectare commodi adventum, nec eum videre, ſtare in æternitatis linea, nec circulum ejus adimpletum cernere, nonne vita tormentum, & anni lanceæ erant? In hac tamen longa annorum & cruciatuum rota, patientiá ſibi conſtitit, neque errore & zelo nutavit Rebecca ut Rachel. Planè ante regnum maternitatis, regina virtutis? (f) Gaudet quidem patientia duris, ſed coronatur poſt ſpinas roſis, abeunt dolores in gaudia, & poſt vulnera veniunt Sceptra.

(c) *Geneſ.* 30. 1. (d) *Per. in c.* 30. *Gen.*
(e) *Ariſt. l.*1.*Oecon. c.*2. (f) *Gloſſa in c.*25.*Gen.*

ptra. Quanta in uno Imperio Romanorum fulſerunt, & ſteterunt regna? cujus tamen viribus acquiſita? exprimit ſcriptura, conſilio & patientia. Omnem inquit locum Romani poſſederunt (g) conſilio & patientia. Mittit rex Alexander Siriæ, Jonathæ Machabæo fibulam auream ſicut conſuetudo eſt dari cognatis regum: (h) & cum fibula dat illi Accaron & omnes fines ejus in poſſeſſionem. Fibulam regium fuiſſe ornamentum & ſignum conſtat etiam ex profanis ſcriptoribus. Nam de veſte Didonis Reginæ Maro (i)

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Erat autem fibula in militibus cingulum, in mulieribus pectoris ornamentum interprete S. Thoma. (k) Ut ut ſit, data quidem eſt Jonathæ regia fibula, ſed fibulam excudit bellorum patientia.

§ 5.

QUorum verò hæc diſputantur, niſi ut oſtendatur, Virginum Principem prodire de regina Reginam. Naſcitur enim longo majorum luctu de Rebecca, quam prius longa & regia patientia ante quam filiorum, gemina regalis fibula ornavit. (a) Grande enim regnum in ſe poſſidet, cui patientia in adverſis non nutat. In quo item Patientiæ regno Sanctiſſimi Dominæ noſtræ parentes ſunt reponendi, quorum fœcun-

(g) 1. *Mach.* 8. 3. (h) 1. *Mach.* 10. 39.
(i) *Æneid.* 4. (k) *Thom. in* 1. *Mach.* 10.
(a) *Incognitus in Pſal.* 77.

fœcunditatem Deus in ſenium uſque concluſerat. (b) Non deſunt authores qui referant, in templo Salomonis duos Cherubinos ex auro factas (c) (qui oraculum & arcam tegebant alis) alterum maris, fœminæ alterum Speciem prætuliſſe. (d) Nec item deſunt. qui Beatos Joachim & Annam, Virginis Parentes iis ſignari doceant, ſiquidem ipſi protulerunt Arcam fœderis MARIAM, & oraculum, nepotem JESUM. Cæterùm hi duo Cherubini tametſi primo auro charitatis rutilarent, tametſi ſuper divinæ Providentiæ arcam, deſideria ſua quaſi alas diu tenerent, non tamen gaudium prolis ſuſcepére: Verum arca illa quæ theſauros omnes continet, & unde prodeunt greges & corona filiorum, ſibi tamen tanquam vacua, diu eo torquebat. Nempe, veluti Iſaac & Rebecca diuturnis fatigata moleſtiis Regia Patientia in duobus filiis duo regna parturiebat: ita SS. Joachim & Annæ longè glorioſior quia longævior item Patientia, quam meritis obtinuit, orbi Reginam naturæ & gratiæ exhibuit. Hinc autem tibi orbis terrarum quantum oritur Solatium? Si enim de patientia Rebeccæ & Annæ, Iſaac & Joachim, Virgo tibi regina oritur, utique ſciet iſta regina Patientiæ, ſubditorum onera portare, mores graves perferre, inobedientiam ac irreverentiam ſuſtinere? Imò ſciet divinam Vindictam morari, & habetare, & ad patien-

(b) *Hyeron. tom. 4. l. de ortu B. V.* (c) *Damaſc. de nativ B. V. orat.* (d) 3. *Reg.* 6.

patientiæ ingenium flectere. Bonaventura: (e) si verè utique justitiam loquimini, justitiæ & misericordiæ honorate Reginam: justitiæ quidem Reginam, nam ejus frenat impetum, misericordæ item reginam, nam ipsa est quæ miserias servorum suorum & tolerat patienter, & aufert potenter. Et superaddit Sanctus, Rosæ Martirum te circumdant, ô Regina, & lilia virginum ambiunt (f) thronum tuum. Solænê verò rosæ circumdant de patientia Majorum natam nostram Reginam? etiam spinæ cingunt, etiam tribuli circumstant. Illi tribuli, qui cum sæpe & diu divinam punxêre patientiam, usque ad commotionem iramquè justitiæ, ad te recurrunt votis, ut mulceantur solatiis. Non sola lilia ambiunt thronum tuum, sed etiam urentes & molestæ impudentium urticæ: illæ enim dum pro igne timent ignem, ad te vadunt, ut eum evadant. Quis tot contra se stantes linguas & calamos hæreticorum excepit ut tu? ferè non venit hæresis, quæ non laceret gloriam tuam, tu autem sic cunctas in universo mundo hæreses interimis, ut hæresi infectis plurimis parcas, & omnibus ad te recurrentibus, lumen veritatis, regnum gratiæ pandas.

§ 6.

ARistotelis (g) in oeconomicis est doctrina, *maximus honor est* inquientis, *sobriæ mulieris, si cernat virum suum servare sibi castitatem, &* *se præ*

(e) *Bonav. in Psalt. virg. versu* 32. *in noctur.*
(f) *Bonav. ibid.* (g) *Arist. l.* 2. *oeconom.*

se præ cæteris omnibus ab eo diligi. Hoc verò in suo Isaac experta Rebecca, etsi ex eo honore & amore solatium ingens hauriebat, attamen desiderio prolis calentissimo æstuans, cum alia via ad id consequendam non suppeteret, ad Deum recurrit cum suo marito. De hoc clara Scriptura: (*h*) deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua eò quod esset sterilis, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Quamdiu autem deprecatus? *Non statim* inquit Chrisostomus, (*i*) *exauditus est Isaac, nec assecutus quod optabat, sed* 20. *annos perseverarit orans.* Quid autem Rebecca, an quam dolor intimius, proinde acrius etiam tangebat, ab orandi studio suspendit mentem. Mihi certum est, oràsse. Si enim cum parvulos utero ferret, eosque secum collidi sentiret, (*k*) perrexit Rebecca teste Scriptura ut consuleret Dominum, hoc est ut paraphrastes (*l*) Hierosolimitanus effert, abiit ut peteret misericordiam à Domino, in domo ubi concionabatur Sem. quanto magis misericordiam petiit, cum in utero suo à fœtu vacuo, sua collidi doloribus viscera in dies & horas audiebat? Ecce autem fructus orationis, duo in ventre populi? An verò Regina nostra non item filia orationis, sicut Jacob & Esau? Omninò. Narrat traditio: (*m*) tentabat B. Joachim altare dono suo cumulare, interim ut sterilis,

(*h*) *Gen.* 25.21. (*i*) *Chrisost. h.* 49. *in Gen.*
(*k*) *Gen.* 25.22. (*l*) *Paraphr. Jerosol. in c.* 25. *Gen.*
(*m*) *Epiph. de laud.* 3. *V. Damasc. l.* 4. *c.* 15. *de fide orthod.*

ſterilis, voluntate Summi Sacerdotis ab ara cum ſuo dono rejectus eſt. Quid facere? perrexit ad locum Secretum, intendit preces, ſuſcepit filiam. An reginam verò? *Samſonem* inquit Baſilius (*n*) *jejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium virum efficit*: MARIAM autem Joachimi & Annæ, oratio concepit, lachrima formavit. An autem oratio humilis dum impetrat non imperat? Oratio juſti, regina cœli, Patribus. Reges Græco nomine dicuntur baſes & ſuſtentacula populi: *deprecatio* item ait Chriſoſtomus, (*o*) *ut baſis & radix omnibus virtutibus ſubſternitur.* Nato Bapiſta quærebat vicinia, quis putas puer iſte erit? (*p*) & nos ad infantulæ MARIÆ fuſi ſtratiquè cunas cogitemus, quæ iſta infantula erit? An orationis filia non ſublimabitur ad orationis omnis juſtorum Matrem? an gemituum partus, non præficietur omnibus gemitibus depellendis? An prius de lachrimis quam de Sanguinibus formata non accipiet regnum in omnes lachrimas, & donabitur à Deo brachio & linteo quibus eas abſtergat? Si quæ, ipſius oratio illa elogia merebitur à Gregorio (*q*) deſcripta, oratio eſt robur corporum, recta legum ac juris in civitate conſtitutio, regni vires, belli trophæum, pacis ſecuritas, diſcidentium conſiliatio, conjunctorum conſervatio. Oratio MARIÆ eſt Virginitatis ſigillum, matrimonii fides viatoribus ſcutum,

 dormi-

(*n*) *Baſil, h. 1. de Jejun.* (*o*) *Chriſoſt. l. 1. de orando Deo.* (*p*) *Luc. 1. 66.* (*q*) *Greg. Niſſ. l. de orat.*

dormientibss cuſtos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, abundantia domus, navigantium Salus, præſentium fructus, futurorum repræſentatio.

§ 7.

NUnc verò unum diſce à progenitoribus Virginis, alterum, ex ipſa, oravit Rebecca cum Iſaac pro prole, & Deus vitium naturæ correxit & gatiæ donum, duos reges illis dedit: reſpexit ad patientiam illorum, & orantibus cum lachrimis, reſpondit riſu duorum regnorum. Conſimili modo, & ſterilitatis, & ſenectutis ad prolem ſuſcipiendam impedimentum portavit tolerantiſſimè, & ut depelleretur divinitus exoravit inſtantiſſimè par beatum Joachim & Anna, & deſiderium eorum attulit Dominus. Ab his tu erudiris Chriſtiana anima, & ritè pati, & perſeveranter orare. Exemplum inquit Chriſoſtomus (a) horum ſterilium valet plurimum ad moderandos conſolandosquè animos ſterilium, ut nec viri propterea contemnerent uxores, nec mulieres iniquo animo ferrent Sterilitatem ſuam Et rurſum, (b) Viginti annis perſeveravit Iſaac orans Deum, & uterum Rebeccæ inutilem, generationi fecit idoneum. Quid B Joachim? Quadraginta & pluribus annis oravit Deum, & exoravit ſibi filiam, Dei Matrem, rerum univerſitati Reginam. Benè & Sanctè Auguſtinus: (c) oratio ungit Deum lachri

(a) *Chriſoſt. h. 49. in Gen.* (b) *Chriſoſt. ibia*
(c) *Auguſt in Epiſt.*

lachrima pungit. Unctus Deus oratione SS. Joachimi & Annæ, magnum vas de cœlo per manus eorum dedit mundo, plenum unguentis optimis, ex quo certantes ad luctam & victoriam, reges ad coronam, Sacerdotes ad aram, unguntur. Punctus, DEUS precibus, dedit unum dulcem & superesticacem stimulum, (sic voco Magnam Matrem,) (d) ex qua ortus est ille, qui Saulo de se, durum est tibi contra STIMULUM calcitrare. Nec contra STIMULI hujus, STIMULUM Parentem, potest mundus calcitrare: dulciter enim & molliter hic benedictus Stimulus, justos ad profectum, perfectos ad regnum, peccatores ad ducendum pœnitentiæ aratrum fodicat atquè extimulat. Ex his spes affulget, si conjuges Christiani, sequentes exempla Isaac & Rebeccæ, Joachim & Annæ, pro bona prole precibus certent, eos non gehennæ sed cœlo liberos de gratia Dei suscepturos. Consulit Aristoteles (e) legis latoribus, ut lege sanciant, quatenus mulieres gravidæ singulis diebus Deos qui generationi præsunt, conveniant. An igitur Christianis grave erit, quod Salutare habitum est & factitatum à Gentilibus? Digna res lachrimis, sternunt patres & matres familias suas preces Deo, ut ager spicâ, ut vinea botro, ut pecus grege luxuriet, & posteritati consulentes, memoriam orationis deponunt? Non ergo mirandum, si heroum filii noxæ, si divitum liberi Scandala Sic nos

(d) *Actor.* 9. 5. (e) *Arist. l.* 7. *polit. c.* 16.

tu visita, dicit Ecclesia Deo, (*f*) sicut te colimus. Ergo cum te non colimus, dum thoros nuptiales visitas, nos prætereas. Prodeant ex conjugio, tanquum ex stabulo equi. Novit secreta cœlestia qui dixit: qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut eqvus & mulus, *g*) quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. Exhorruisti Christiane ad vocem dæmonii, & non expalluisti ad vocem equi, & non intremuisti ad oblivionem de mente Dei? Cantant Poëtæ, (*h*) Trojam Asiæ frontem, ab equo ligneo periisse qui armatos noctu fundebat. Acumen est, non veritas, Consentio, Eqvus, Trojam perdidit, Eqvus, sed quem genuit Priamus. Iste enim sicut eqvus, alienam uxorem corrupit, suam patriam perdidit. Audi & sequere Ambrosii vocem: (*i*) qui prolatis eorum exemplis qui pro prole futura supplicarunt, *&* *tu* fatur, *si perfectus fueris, habebis posteritatem lætitiæ, & exultationis hæreditatem.* Perfectus autem Pater, sicut non sola carne constat sed etiam Spiritu, ita filium prius de gemitu mentis postea de Substantia carnis progenerat.

§ 8.

POrrò Nata nostra Regina trium nos admonet, & totidem promittit, admonet autem nativitatis.

(*f*) *Ecc'es. in hymn. Corp. Christi, ad matut.*
(*g*) *Tob. 6.17. Ang. Raphael.* (*h*) *Virg. Æneid. 2.*
(*i*) *Ambr. l. 1. de Abrah. c 7.*

vitatis triplicis, ex carne, ex flumine, in æternitate. Caro nos genuit pauperes pilo filoquè carentes, (a) & tales nos summa dies efferet mundo, & sicut nihil in illum intulimus, ita ex illo nihil efferemus: proinde in pertua animi modestia, & præsentium contemptu vivendum. In flumine verò Sacro, ut est gratiæ baptismatis, divinæ generationis facti sumus participes, sed rursus, ubi dignitatem eam peccando perdimus, ipsa eam in nobis instaurat. (b) *Quæ præsenti die nascitur*, inquit Sergius, *vitæ mater est, per quam in divinæ naturæ participationem translati sumus, & transferimur*. Proinde tinnire debet in auribus nostris sæpe, vox magni Leonis: (c) *agnosce ô Christiane dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem de genere conversationis redire.* Denique post consumptam mortalitatem, restat unicuique nativitas in mortalitate. Ubi vulgata legit, (d) *cunctis diebus quibus milito, expecto donec veniat immutatio mea, alia versio habet, donec veniat Sancta nativitas mea.* Hæc autem immutatio in melius, & Sancta nativitas est gloriæ immortalitas M. (e) Gregorio, Generatio transit ut videmus, & tamen eam expectamus in campis: in caulis, in vineis, cur non magis expectanda & curanda generatio rectorum quæ non transit? Jam verò Regina

 nostra

(a) 1. *Timoth.* 6. v. 7. (b) *Gerg. in orat de Nativ. Deip.* (c) *Leo Serm.* 1. *de nativ. Christ.*
(d) *Job.* 14. v. 14. (e) *Greg. in mor. lib.* 12. *c.* 9.

noſtra nata ex Rebecca tria ut dixi nobis pollicetur, Rebecca Apoſtolica mulier, & cariſſima mater Jacobi, tria illi fecit, (f) induxit primò ut primogeniti perſonam indueret, colli nuda protexit & manus: cibos denique quos Patri offerret coxit. Nec aliter filia Rebeccæ & noſtri amantiſſima mater MARIA: inducit nos & perſuadet ut Chriſtum moribus induamus, cujus Sacramenta frequentamus: ſed & cum noſtra paupertas nec pilum aliquando boni hominis habet, ipſa nuditatem noſtram DEO coram protegit, atque, ut eam nos quoque videamus & horreamus, efficit. Denique quis efficacius illà ad obſervantiam præceptorum, ad obedientiam divinæ voluntati deferendam nos urget atque ipſa? Cibus autem Dei, imò convivium feſtivum, noſtra obedientia. (g) Attollamus igitur vocem cum Sancto: miſerere mei Regina gloriæ & honoris, & ab omni periculo cuſtodi mentem meam, & Salve.

ARTICULUS III.
REGINA ANNUNCIATA
§ I.

UBi Deus in Virginis deſcendit uterum, Virginem ad regale aſcendiſſe faſtigium, indubitatum eſt. Approbat orbis Chriſtianus confeſſionem Joannis Damaſceni, (a)

(f) *Rupert. in Geneſ.* (g) *Bonav. in Pſalt. Virg. majori.* (a) *Damaſc. l. 4. de orth. fid. c. 15.*

ferè rerum omnium conditarum Domina facta est Virgo, cum creatoris mater extitit. Quid autem ante descensum æterni Verbi? an etiam tunc reginæ regnantis principatum tenebat? omninò. Hoc prodidit os salutantis Virginem Archangeli, hoc ostendit vox in verba Archangeli, consentientis Virginis. An enim qui gratia plenam Salutavit, gratia plenam non vidit, non invenit prior? Gratiæ autem plenitudine circumfluere, est plusquam regali coronamento splendere. Nemo Sapientum adhuc Jamblichi improbavit Sententiam, (c) qui inter omnia Regum ac principum opera prætulit, liberalem eorum magnificentiam, cum gratias inquit ingenuè proferunt nudas & sibi cohærentes. Hujusmodi enim gratiarum decus meritò coronam imperii appellaverim. Quod si gratiæ humanæ regiis de canalibus dimanantes ostendunt in rege non hominem de vulgo, sed regem supra vulgum, quantò amplius, divina gratia cui affluit, supra reges terrarum, regem & coronam indicat? Sed & suo ore Virgo se prodidit quid esset. Nunquid enim, (d) ecce ancilla Domini quæ de se dixit, non reginam & Dominam Dei se fecit? Duo loquendo universim regio throno applicat mortales, sublimitas animi, & humilitas cordis. Illam homines in hominibus attendunt maximè, istam Deus. (e) Vidit Deus unius anni puerum Saulem, cum

(b) 1. 2. *qu.* 113. *ar* 9. (c) *Jamblic. in Epist. ad Dyscolium.* (d) *Luc.* 1. 38. (e) 1. *Reg.* 13. 1. *Puer innocentia puerili. Menoch. ibi.*

tamen verſandæ maturus eſſet *Stivæ*, & quem humeris ſuper vulgum eminere fecit, poteſtate prima vulgo præfecit. Vidit in Davide, quanquam victore urſorum, domitore leonum, animam inſtar pulveris minorem, eumquè Iſraëli Regem, (*f*) ſibi Patrem & Dominum elegit. Rectè in carmine ſuo Mater Samuelis, (*g*) ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem. An non de pulvere & quidem ut habræa origo habet, minuto primum hominem, hoc eſt Regem terrarum, & naturæ viventis finxit? (*h*) qui de pulvere, virum formare atque animare potuit, an de Smaragdo educere, an de adamante extruere, an de auro ædificare eundem non potuit? Noluit tamen: nempe ab initio mundi illum ad regnum per regnum diſponebat: ad regnum cœli per regnum terræ. Ut igitur regnum univerſæ terræ non contulit Smaragdino, admantino, aureo, ſed pulvereo homini: ita cœleſte Sceptrum indicavit ſe illi tantum daturum qui originis ſuæ meminiſſet, & ſic Deo ſubditus perſtaret, quomodo pulvis manui artificis, pedi viatoris. Benè Septimius (*i*) *tunc imperator omnibus major eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Olim rei, volentes judicum aut principum captare favorem, triſtem (*k*) Saccum aſſumebant, cinere caput reſpergebant, & in pulvere conſidebant. Qui ſi gratiam inve-

(*f*) 1. *Reg.* 16. (*g*) 1. *Reg.* 2. 8.
(*h*) *Geneſ.* 2. 7. *hebr. vers.* (*i*) *Tertul. in apol.* c. 30. (*k*) *Roſin. in antiq. Rom. de judicio.*

invenissent veste mundiori donabantur, & in sedibus honoratis locabantur. Ut autem reus ad Gratiæ, sic homo ad solium gloriæ apud Deum ascendit, & inter suos principes sublimem accipit locum. Certè, si humilitati saccum animus portat informem, si originis suæ meminit pulverulentæ, si finis sui meminit cineris, dignum Deus judicat, quem cæteris præficiat.

§ 2.

OLim Reges in publicum quadriga equorum, nivis instar candentium provehebantur: (a) porrò à privata sorte ad majestatem, iidem quatuor virtutum jugo evehebantur, scilicet Sapientia & clementia, beneficentia & despicientia rerum. Et verò Sapientiam regibus esse pernecessariam, in confesso est (b) *Intelligens*, inquit Spiritus S. *gubernacula possidebit.* Et meritò: Si enim Sapiens quæritur gubernator qui navem per undas agat: quantò urgentius in eo scientia & prudentia requiretur, qui inter fluctus populorum & temporum, magna navigia moderetur regnorum; Constat in Christiana Philosophia, (c) intelligentias cœlestium regimini orbium præesse, & tamen machinæ cœlorum turbari ac resistere, tumultuari & misceri nesciunt. At in Sphæris regnorum, quod & quoties ocurrunt tumultuosi, & turbarum ac novitatum amantes? proinde istis

(a) *Æneid.* 12. (b) *Prov.* 1. 5. (c) *S. Th. l. de cœlo Conimb. ibid. Suar. in metap.*

præesse Magnam oportet, licet carne onustam Intelligentiam. Quærit Aristoles, (d) *quid conducat amplius, sub viri optimi, an legum optimarum esse imperio?* & post multa, determinat, leges satius quàm viros prodesse posse reipublicæ: quia inquit leges non sunt, homines autem sunt obnoxii perturbationibus (e) Item, quia qui legibus gubernantur, Deo parent: qui autem homini tradit imperium, sæpè belluæ tradit, utpote quem de mentis statu, ira & avaritia, odium & amicitia deturbat. Ad nostrum dicamus propositum: leges semper prudentes, sicut & Deus nunquam non Sapiens: homines autem dum non timentur, nec putant, desipiunt. Nec minus Clementia, reges decet, (f) *Misericordia* inquit Salomon *& veritas custodiunt regem, & roboratur Clementiâ thronus ejus.* Sapienter Rabanus: (g) qui præsunt populis si volunt firmum esse solium, semper hilaritate & gratia vultus plenos exhibeat, ne per arrogantiam rigidi, plebis odium incurrant. Prudenter Jacobus Caldora, dux sua ætate clarissimus, (h) cum serenissimos ad faciei Serenitatem populis exhibendam invitâsset, rationem adjecit, *quia*, inquit, *dextera corpus, animam vultus pascit.* Distinguens primus Philosophus tyrannum à rege, (i) *ille*, fatur *nolentibus & invitis, iste volentibus & lætis imperat*: nempe quia ille clementer, iste superbè & in-

(d) *Arist. l. 3. polit. c. 11.* (e) *Arist. l. 1. Rhet.* (f) *Prov. 20, 29.* (g) *Raban. ibi.* (h) *Joseph. Lang. verbo rex.* (i) *Arist. l. 5. c. 10. polit.*

& indignanter præest: Rex est in primo semper blandissimus anno, canit (k) Thomas, Morus ego infero, Sole ergo simili rideat ille suis. Porrò rex qui beneficentia caret, quo caret? Si Sapientia, capite, si clementia corde, si beneficentia, brachiis. Proclamatum est à compluribus seculis, regibus insunt longæ manus, scilicet, cum munificentia non arctantur, nec Chiragra tenacitatis laborant. Invitatus unus ad Sceptrum, (l) esto princeps noster, respondit non sum medicus, non est in domo mea panis. Q. d. principari non possum, (m) quia prudentia & consilio, ut morbis Reip. vestræ medear, non valeo: Sed neque beneficentia animos mihi adjungere novi, nam copia largiendi mihi deest. Refert Aristoteles, (n) olim beneficos, proficere solitos ad Regum fasces, *hoc enim* inquit *est bonorum virorum officium.* Nobiliter Boëtius: (o) communis fatur est provincialium sermo, *annum bonum non tàm de magnis fructibus, quàm de benè & justè regnantibus esse existimandum.* Nec minus Sallustius prudenter: *existimo regem armis quam munificentia vinci, minus flagitiosum.* (p) Ratio in promptu est, quia qui vincitur armis rex, non solus vincitur, unde & plures id infamiæ pondus baiulare coguntur: at rex qui munificentia vincitur, solus vincitur, & solus gloriæ suæ appen-

(k) *Morus in carm.* (l) *Isai. 3. v. 6.* (m) *Hect. Pint. ibi. Sanch. à Lap.* (n) *Arist. in polit.* (o) *Boët. l. 1. de consolat. philos.* (p) *Sallust. de bello Iugurth.*

appenſam oneroſam notam cogitur portare. Denique deſpicientia rerum, earumquæ mortales infatuant, regi fugienda. Ut enim venatici canes, quorum vis odora eſt, cum ſe poſt leporem egerunt, non ſinunt ſe ab odoratis, pratis, herbis floribus detineri: ita regi cui publici boni incumbit venari prædam, cætera oportet ſint faſtidio. Pr. Magni Conſtantini Chlorus accuſatus, quod colligendi curam theſauri deſpiceret: *publicæ* inquit (q) *opes melius à pluribus, quam ab uno habentur.* Et bonus princeps qui magis â ſuis diligitur, quam timetur, habet, quicquid cives poſſident. Non ſemel Magna Magni vox audita eſt Alexandri, (r) *de paupertate ſecurus ſum, de gloria regni laboro.* Sed & Socrates, planè ut Socrates, hoc eſt Vir Sapiens monebat, (s) *illud regnum in gradu æterno ſtaturum eſt, ubi minimum virium, veneris pecuniæquè cupido ſibi vindicârit.* (t) Romanorum clariſſimos, adeò pauperes mors oſtendit, ut viri triumphales ad juſta extrema non haberent pretium in arcula, ſed eorum cadavera publico ſumptu ſint ritè curata.

§ 3.

HÆ itaque & virtutes velut quadriga rariſſima reges ad ſolium de ſolo vulgari provehunt: quæ etiam in Virgine clariſſimè, cum alias ſemper, tum maximè Annunciante Angelo DEI deſcen-

(q) Lang. verbo. rex. (r) Curt. l. 5. de reb. geſt. M. Alex. (s) Laërt. in Socr. (t) Florus. l. 1.

descensum refulserunt. (a) *Prudentis & Sapientis proprium est* inquit Seneca, *examinare consilia, & non cito facili credulitate ad falsa prolabi* de dubiis non definitam sed suspensam tene Sententiam. Regina verò nostra, audita Angeli nunquam audita Salutatione, animo hæsit, & cogitatione apud se discussit, qualis esset ista salutatio, (b) quin & turbata ;non subitò vocem effudit. Pulchrè Bernardus, (c) *quod turbata est* inquit, *verecundiæ fuit Virginalis: quod non perturbata fortitudinis: quod tacuit & cogitavit prudentiæ.* (d) S. Ambrosius (e) ad illa Simeonis verba, tuam ipsius animam gladius pertransivit, nomine gladii intelligit verbum Dei, quod totam animam MARIÆ hausit & pervasit, & insigni prudentia replevit. Do ejus verba. *Non anima sed corpus materiali gladio transverberatur. Et ideò prudentiam MARIÆ haud ignaram misterii cœlestis ostendit. Vivum enim verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutissimo, secreta scrutatur animorum.* Rogatus Regum unus cui relinqueret regnum, respondit, illi qui acutiorem habet gladium, (f) intelligebat autem de gladio bellicæ fortitudinis, Melius fortasse de gladio tenuisset prudentiæ, qui ipsum gladium belli & moderatur, & exacuit. (g) Ut enim jacula minus feriunt quæ Sapientia prævidet: ita gladii intimius secant, & for-

(a) *Senec. de Vert.* (b) *Luc.* 1. (c) *Bernar. Ser.* 3. *super missus.* (d) *Luc.* 2. (e) *Ambr.* Lib. 2. *in c.* 2. *Luc.* (f) *Plut. in Pirrho.* (g) *Greg. hom.* 35. *in Evang.*

& fortius dividunt, quos prudentia regit, & expolit. Quare cum Mater Dei, omnibus Sanctis gladium prudentiæ habuerit acutiorem, regina eorum & totius mundi jure optimo habenda est & colenda. Nam, non summa acie verbum Dei, omni gladio acutius, MARIÆ animam attigit, sed totam penitus pervasit. Et nos miseri, veneramur eos, & intumescimus ipsi, si verbum Dei, nostras fecit animas acutas, si prudentia dotavit, si Sapientia ornavit: & tamen gladius verbi Dei, non totas nostras ut sunt profundæ penetravit animas, sed istam, parum attigit, illam magis intravit. MARIA animam autem, Gladius verbi Dei totam pervasit, & pervadendo, in ea gladium Prudentiæ, qualem nulli concessit, reliquit. (h) Et verò si in aliqnibus refulsit prudentiæ gladius, refulsit plumbeus. Dicamus quod res est, omnis Tullii eloquentia, virgilii Poësis, Aristotelis Sophia, Salomonis Sapientia, Platonis Politica, gladii sunt sed plumbei: liquescunt enim cum morte, & non sunt digni, reponi in divino Sanctuario, (i) involvi ephod, & denique recondi in ea vagina, in qua vivunt cœlestes, cœlesti Sapientia acutæ animæ: (k) de qua vagina psaltes, in memoria æterna erit justus.

§ 4.

NUnc alteram Regum virtutem in Regina nostra attende, scilicet Clementiam, & misericor-

(h) *Diog. Laer. in Cinic. Diog.* (i) 1. *Reg.* 21. 9. (k) *Psal.* 3. 6. 6.

ſericordiam. (a) Audis eam Salutari ut gratia plenam, ut inter mulieres benedictam, & nonne intelligis claudi in ea Clementiæ gratia. Miſericordiæ theſauros? (b) *Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco*, ait una regina: noſtra autem, non ignara mali miſeris ſuccurrere novi. Verè, noſtræ clementiæ & miſericordiæ, dum vivitur, diſcuntur, & dum ſpirantur, nondum perfectè ſciuntur. Virgo autem, quoniam gratia plena, ante Salvatoris adventum eſt inventa, non opus habebat diſcere miſereri, & clementiam largiri. Modò autem, regina Miſericordiæ facta & in æternum confirmata, cui parcere non ſcit, cui iraſci novit? cui gratiam protulata non impertit? (c) Illa verba Serpentis, eritis ſcientes bonum & malum (quæ ſunt dicta ad Adam & Evam) aliqui ſic diſpartiunt, ut ſcientiam quidem boni viro primo & in eo natis ejus: ſcientiam autem mali, Evæ & filio ejus aſſignent. Audi quid ipſæ apud Euripidem fateantur; (d) *nos timore plenæ ſumus, ferrum aſpicere non poſſumus, mulieres ſumus ad bona conſilia pauperrimæ, malorum autem omnium artifices Sapientiſſimæ, & tandem, mulieres ſumus miſerrima planta.* Probat S. Auguſtinus, (e) mulier nec docere poteſt, nec teſtis eſſe, nec fidem dicere, nec judicare, quantò magis nec imperare Sed hæc mulierum naturalis & miſera conditio, compenſatur bono miſericordiæ.

Non

(a) *Luc.* 1.28. (b) *Æneid.* 1. *Dido.* (c) *Geneſ.* 3. 5. (d) *Eurip. in medea.* (e) *Aug. in quæſt. Vet. Teſtam.*

Non ignaræ enim mali, miſeris ſuccurrere didicerunt, & citius ac copioſius iisdem ſuccurrunt. Hinc Ariſtoteles: (*f*) *mulier* inquit *eſt melioris pietatis, & compoſitionis quam vir.* Et alius Philoſophus dixit, mulier immiſericors monſtrum. ita miſerrimæ plantæ ut dixit Euripides, bonos miſericordiæ fructus producunt. (*g*) Porrò Virgo SS. mulier natura, miſericors natura: ſciens ſupra omnes viros bonum, (*h*) ſciens item ſupra omnes mulieres malum, cui clementiam & gratiam fundere non eſt parata? Gratia plena eſt, vas plenum miſericordia eſt, invocatur & audit, tangitur gemitu, & funditur ſuccurſu. S. Bonaventura, (*i*) illa Pſalmi verba, moveatur mare & plenitudo ejus, virgini accommodat, (*k*) quam & mare magnum in quod omnia flumina gratiarum intrant, vocat, & hortatur fideles, moveatur mare, moveatur MARIA, *moveatur* inquit *ſuſpiriis & caſtigationibus, lacrymis & orationibus, moveatur eleemoſynis & aliis venerationibus, moveatur plenè ut nobis effundat de ſua plenitudine.* Et ſubjicit opportuniſſimè dictum S. Bernardi: (*l*) qui ait, *vas liquore plenum, ſi moveatur, de facili ſubvertitur & effundit liquorem.* (*m*) *Sic B. MARIA, Bonaventura excipit, ſi moveatur precibus, effundit liquorem nobis.*

Quan-

(*f*) *Ariſt. l 8. de animalib.* (*g*) *Seneca de Clem.* (*h*) *Eurip. in Medea.* (*i*) *S. Bonav. in Spec. Mar. c. 7.* (*k*) *Pſal. 97. 8.* (*l*) *Bern. ibi. apud ipſum.* (*m*) *Bonav. ubi. ſup.*

§ 5.

QUanquam verò ex dictis, & tertia regia virtus MARIÆ, nempe beneficentia possit intelligi, pergamus tamen ulterius eam in illis verbis Archangeli, benedicta tu in mulieribus scrutari. Exclamat S. Anselmus. (a) *O benedicta & exaltata non tibi soli, sed etiam nobis. Quid est? quàm magnum est, quàm amabile est, quod video per te evenire nobis, quod videns gaudeo, quod gaudens dicere non audeo.* Et subdit. *Si enim tu Domina es mater Dei, nonne & alii filii tui sunt fratres Dei?* Sic ille. Ex his patet quid benedicta inter mulieres, proinde & exaltata super mulieres, imò & super omnes puros filios Adæ, agat atque operetur benè. Nempe, quia nos facit filios sibi, fratres Christi. An autem huic beneficentiæ par esse aliquid aliud potest? Cum Athenienses tempori & adulationi servientes, cogitarent Alexandro M. divinos deferre honores, Demades Sapienter eos perstrinxisse hisce refertur: (b) videte Athenienses quid agatis, ne dum cœlum alteri datis, ipsi terram perdatis, Dii enim terrarum, norunt inferre: & concludere sic, cujus est cœlum, ejus & terra, ego explico. Virgo autem virginum, cum nobis divinos conciliat honores, perdit nihil. Quin etiam dum nos Christo fratres edit, ipsa in honore regali crescit. Nam incipit quot Christianorum, tot regum esse mater

(a) *Ansel. apud Bonav. in Specul. MAR. c. 13.*
(b) *Plutar. in apoth. Græcorum.*

mater nec regum utcunque, ſed Chriſto ſimilium. Satis habuit ille prodigus Evangelicus, (c) ſi pater ſuas illum ſicut unum de mercenariis feciſſet: Satis Rex David, ego Servus tuus, clamâſſe Domino. Illi ſiqui amici Dei facti, nimis honorati, nimis principatu fortes & potentes effecti prædicantur. Angelorum bonorum, Dei filiorum datur titulus, & ſufficit, nobis autem, (clamat S. Anſelmus ad virginem) (d) video per te evenire, ut ſimus non ſolum mercenarii & Servi, amici & principes ac Dei filii, ſed fratres Chriſti, quod utique nemo habet Angelorum. Oranda proinde eſt virgo, & S. Bernardi (e) affectu pulſanda, *fac ô benedicta per gratiam quam inveniſti, ut qui te mediante fieri dignatus eſt particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente nos faciat participes beatitudinis & gloriæ ſuæ, Amen.*

§ 6.

JAm ſi deſpicientia rerum fluxarum in Regina noſtra quæritur, hæc quanta? quàm ſimilis ejus Magno filio? (a) Statura tua aſſimilata eſt palmæ. Nomine Palmæ. Salvator mundi non raró exprimitur. S. Petrus Damiani, (b) vocavit eum palmam beatorum, alii palmam victorum: eò quod omnes Sancti ab eo decerpſerint & vires pugnandi, & conſtantiam vincendi, & gloriam triumphandi. Iſta autem PALMA beato

(c) *Luc.* 15. v. 19. *Pſal.* 115 v. 16. *Pſal.* 138 v. 17. *Job.* 1. 6. (d) *Anſel. ubi ſupra.*
(e) *Bernar. ſuper. miſſus.* (a) *Cant.* 7. 7.
(b) *Damian. in carm. ad perennis vitæ fontem.*

beatorum, quàm pauper fortunis, quàm vacua honoris? non habet ubi caput reclinet, incipit in ſtabulo, deſinit in patibulo vivere: (c) feris ſilvarum egentior, avibus cœli miſerior. Atquè in eam deſpicientiæ mundi curam, abundè traxit ſuam matrem. Quare Annunciatæ deſcribens Evangeliſta ſtatum, (d) miſſus eſt inquit Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam Joſeph. *Quæ eſt iſta*, exclamat Bernardus, (e) *Virgo, tam venerabilis ut ſalutetur ab Angelo, tàm humilis ut deſponſata ſit fabro*? & reſponderi aliud aptius nequit ſtatura tua aſſimilata eſt Palmæ: forma tuæ vitæ, tracta eſt à forma incarnatæ vitæ. Ideoquè vocatur à S. Hieronimo (f) quæſtuaria, quæ manuum ſuarum labores manducavit: ab aliis pauper, quæ opes ex animo penitus proſcripſit. Dabiturne etiam nobis expirantibus audire encomiaſten, ſtatura tua aſſimilata eſt palmis? martyres contemnentes juſſa principum meruerunt præmia æterna, & coronati accipiunt palmas: tu contemnendo, irritamenta mundi, an item coronaberis & accipies palmam? (g) Ponderat unus Sapientum apud ſe bona mundi, & ſic argumentatur: aut iſta bona non ſunt, quæ vocantur bona fortunæ, aut homo felicior eſt Deo. Quæ enim nobis bona videntur non habet in uſu Deus. Nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes. Impoſſibile autem eſt, ut homo

(c) *Matth.* 8. 20. (d) *Luc.* 1. 26. 27.
(e) *Bern. Ser.* 1. *in miſſus.* (f) *Hier. in Matth.*
(g) *Senec. Epiſt.* 87.

homo ſit felicior Deo, ego infero: oporte igitur humana mundi bona non eſſe bona, quoniam non dignatur iis uti Deus. Quid verò tu dixiſſes Philoſophe, ſi vidiſſes Deum in carne, & in ſumma ſimul pauperie ac defectu rerum? tunc credo non calamo tantum, ſed totus clamâſſes, diſcite mortales, & ponite ſtultitiam, bona quæ vocatis bona, bona non ſunt, neque enim illa Deus, & Homo Deus, habet in uſu. Ego verò & aliud concludo, vacuum paupertatis, dignitatis carentia, eclipſis ſplendorum, neglectus voluptatum non poſſunt eſſe mala, alias, aut homo contraria iis poſſidens, eſſet felicior Deo: aut Deus mala eligendo, infelix. Ægiptii cum vellent magnum hominem, minuta hæc & vilia mundi perſequentem exprimere, pingebant elaphantem, (*b*) principem belluarum, mures venantem. Quemadmodum enim & nullius commodi, & indecentiæ grandis eſt, venari mures: ſic, & inutilis & indecens cura eſt, ut homo ſollicitudine multa, bona venetur mundi. Hoc enim eſt mures venatu perſequi, & omninò indigna, rege cœli futuro, occupatio. Oranda virgo ſæpius cum Eccleſia: (*i*) vitam præſta puram, iter paratutum, ut videntes JESUM ſemper collætemur: non orat Eccleſia, vitam præſta divitem, honoratam, delicatam, ſed puram: ſit illa pauper, ſit deſpecta, ſit arcta, modò pura. Pura enim vita facit iter tutum, & pervenit ad termi-

(*b*) *Pier. hierogl. lib.* 2. *c.* 7. (*i*) *Ave Mariæ ſtella hymnus.*

terminum JESUM. Vita autem non pura, quanquam opum abundans, quanquam omni ſenſuum voluptate affluens, iter facit non tutum, & excoecata JESUM non videt, & poſt momentaneam lætitiam, æternum non collætatur, ſed audit? (k) quantum glorificavit ſe & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum, quia in corde ſuo dicit, ſedeo Regina. Et ecce iſta regina, omnium tormentorum ſerva. Quantò melius regina fuiſſet, ſi ſtaturam vitæ ſuæ, ad ſtaturam cœli Reginæ accommodâſſet.

§ 7.

QUid ni verò Regina noſtra, hæc inania & futilia mundi gaudia & bona non deſpexiſſet, quæ ſeipſam, ſibi ſuppreſſit? Quid enim fecit, quando Archangelo, ecce ancilla Domini reſpondit? (a) Nimirum ſe ſuper omnes choros Angelorum privilegio Maternitatis exaltatam, ad ſcabellum Dei, ad pedes Servorum ejus detraxit. S. Chriſoſtomus (b) ad illa verba, quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco: *Sane* inquit *propter hoc pariens filium, quia virum non cognoſcis. Si enim virum cognoſceres, non fuiſſes digna, ut huic miniſterio ſervires.* Nos verò adjungamus & aliud, dicamusquè Reginæ noſtræ, ſi virum non cognoſceres, & te gloriosè circumſpiceres ac cognoſceres, non fuiſſes digna, ut huic miſterio ſervires. Regina

eras

(k) *Apoc.* 18, 7. (a) *Luc.* 1, 38. (b) *Chriſoſt. h.* 44, *in Gen.*

eras Angelis, & tibi latebas: mater aſſignata Deo, & tibi non apparebas: in Deo eras, & profundè in Deum intraveras, in te ergo non eras, & tibi, ut cognoſceres teipſam, non aderas. Obumbravit tibi Pater æternus, (c) ne te immenſus filii ſui ſplendor obrueret. nec minus idem Pater, ſpecioſam ac pretioſam umbram interpoſuit, ne te, quanta eſſes, videres. Jactet ſe qui volet ſub umbra Galliæ trium liliorum, tibi umbram Beatiſſima edidit Trinitas, ſub qua ſecura ab æſtu claritatis meridianæ ſederes. Utinam Reginam famuli ſequamur: & in noſtris oculis, quando ſplendemus in alienis, tenebreſcamus & vileſcamus. Regius fuit JESU Chriſti, referente Chriſoſtomo, (d) introitus in te, atque in mundum, quia tu ei totam te velut limen pedibus ſubſtraviſti: ſternamur & nos, qui cupimus Deum venire in nos, vileſcamus nobis, ut cari evadamus Deo, *Humilitas virtus eſt* inquit Bernardus, (e) *qua homo veriſſima ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit.* Qui ergo ſibi ipſi non vileſcit, vera agnitione ſeipſum non capit: aliquid aliud cognoſcit, & non ſe. Rectè apud Rufinum (f) S. Senex quidam: niſi piſtor velaret oculos animalis ad molam circumeuntis, farinamquè frangentis, comederet animal omnes labores ſuos: ita cum homo ſe, ſuosquè labores circumſpicit, morſu inanis gloriæ eos conſumet. Velandi ergo ſunt oculi mentis, ne ſeipſum homo devoret.

§. 8. Hac

(c) *Luc.* 1. 35. (d) *Chriſoſt. hom.* 49. *in Gen.*
(e) *Bern. de grad. humil.* (f) *Rufin. l.* 3. *vitæ. PP. n.* 28

§ 8.

HAc igitur quadriga virtutum, aurigante humilitate, virgo provecta ad Reginæ fastigium: & hujus intuitu, regnum sibi à Patre petiit, quod mireris, sempiternus filius (a) *Synagoga potentium*, inquit, *quæsierunt animam meam: & tu Domine Deus respice in me & miserere mei: da imperium tuum puero tuo, & Salvum fac filium ancillæ tuæ.* Ubi Ambrosius. (b) *Christus*, inquit, *se servum & puerum Dei nominat, ut qui matrem ancillam Domini habeat, secundum formam servi.* (c) Hugo his verbis docet â Christo postulari, liberationem à miseria, judiciariam potestatem, revocationem sui ab inferis, ac resuscitationem corporis, interposita matris conditione. Hieronymus, (d) Augustinus, & Arnobius hæc verba de Salvatore in patibulo moriente, Patremquè orante exponunt, ut is per merita matris suæ, petitioni suæ annuet. Hinc concludamus, quantam vim habeat ancilla humilis MARIA, ad obtinendum æternum regnum, siquidem Dei, filius, non per labores passionis & vitæ, nec per merita crucis & mortis sibi imperium dari oravit, sed quia esset filius ejus, quæ dixit, ecce ancilla Domini. Sed & hinc discimus regiam viam ac introitum certissimum ad Dei sublime regnum. Benè Ambrosius: (e) *qui cupit divinitatis tenere fastigia*

(a) *Ps.* 85. 14. 16. (b) *Ambr. l.* 5. *c.* 3. *de fide.*
(c) *Hugo in Ps.* 85. (d) *Hier. Aug. Arn. ibid.*
(e) *Ambr. in Serm. quodam.*

faſtigia, humilitatis ſectetur ima. Ecce enim MARIA, quia humilitatis ſectata eſt ima, divinitatis occupavit faſtigia. Sapientiſſimè quærit & reſpodet Auguſtinus, (*f*) altitudinem quæritis? *per vallem pervenitur ad montem.* Vis regnum tibi dare Magnum interrogat Seneca? (*g*) rege te ipſum. Quomodo verò? per vallem ad montem. Ecce Regina noſtra per vallem pervenit ad montem: occupavit montem divinitatis, ſed deprimendo ſeipſam ad vallem humilitatis. Ideôquè ut ait (*h*) S. Bonaventura facta eſt vallis benedictionis.

ARTICULUS IV.

REGINA VISITANS.

§ 1.

POſtrema ordine, non poſtremo pretio S. Eliſabeth verba fuiſſe inveniet, qui expendet. Dixerat illa laudes ſuæ cognatæ pangens, perficientur ea quæ dicta tibi ſunt à Domino. (*a*) *Illa autem* exponit Lira, (*b*) *dicta ſunt tibi à Domino, quæ ab Angelo ejus propoſita.* Propoſuerat verò Angelus, virginem parituram eſſe regem. cujus populus eſſet, domus Jacob, cujus thronus eſſet ſedes David, (*c*) deniquè cujus duratio, æternitas eſſet. Hoc autem regè aucta, & plena, in conſpectum Eliſabeth dedi ſeſ

(*f*) *Aug. Ser. 16. de SS. mart.* (*g*) *Senec. in Epiſt. 37.* (*h*) *Bonav. in ſpec. MAR. c. 13.*

(*a*) *Luc. 1. 45.* (*b*) *Liran. ibi.* (*c*) *Luc. 1. 32*

ſeſe MARIA, proinde & grandis Regina. Hoc vidit quæ exclamavit, unde hoc mihi, (*d*) ut veniat mater Domini mei ad me? Hic Toletus: (*e*) Dominum ſuum appellat, quia Chriſtus Deus erat ac Dominus. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*, prophetat Pſaltes de Domino ſuo, & illi conformiter Iſaias: (*f*) *rorate* inquit *cœli deſuper*, ſcilicet aërei, *& nubes pluant juſtum.* Cur verò rori & pluviæ, deſcenſus Dei in carne comparatur? Cur non alteri alicui ſplendidiori rei? an tanta majeſtas, minuta potuit exprimi gutta? an ad dignitatem Maternitatis divinæ conformiter dicitur MARIA, vel vellus pluviam excipiens, vel herba rorem colligens? (*g*) Quemadmodum cum Deus nubem fœtam rumpit, & in terras diſtillat, id quod nube claudebatur, deſcendit in prata, & terras, ſi nix, nix: ſi grando: quando ſi aqua, aqua. Imò ſi quæpiam nubes onuſta foret, vel auro, vel gemmis, aurum & gemmæ ea ſciſſa deciderent. Ita viſcera miſericordiæ Dei, quæ velut nubes Chriſtum continebant, dante virgine conſenſum ad Archangeli verbum, verbum Deum in uterum virginalem demiſerunt. Ut igitur terra liquido perfuſa auro, evaderet aurea, & gemmis ſtrata, gemmea: ſic virgo, (*h*) Regem regum velut rorem ac pluviam ſuſcipiens, quæ ſibi fuerat Ancilla, facta eſt rerum univerſitati regina. Quod ſi petas, cur non potius Senicula acclamârit ho-

(*d*) *Luc.* 1. 43. (*e*) *Tolet. in c.* 1. *Lucæ.*
(*f*) *Pſal.* 71. *v.* 6. *Iſai.* 45. 1. *Hieron. ibi.*
(*g*) *Gloſſa in c.* 45. *Iſai.* (*h*) *Gloſſa in c.* 3. *Luc.*

ſpitæ, unde hoc mihi ut veniat mater regis mei ad me? hoc enim auguſtiorem videtur ſonare majeſtatem? Reſpondetur, quia ad intentionem declarandam, magis illud quàm hoc ſerviebat. (i) Intentio verò fuit Eliſabeth, declarare indignitatem ſuam, quæ tantæ viſitatione Matris honorabatur: indignitatem autem magis oſtendit ſubjectio famulæ ad Dominam, quàm ſubditæ ad Reginam. Reges enim & reginæ præſunt, non Servis tantum, ſed & liberis & amicis, & nobilibus & principibus, imò & conſanguineis ac affinibus. Domini autem nomen reſpicit ſervos, ſicut Dominæ, ancillas. Nos verò eam Virginis Sanctiſſimæ viſitationem attendentes, elevemus vocem & mentem dicentes, Salve Mater Dei, Salve Regina mundi.

§ 2.

OBſervatum eſt à viris eruditis, Paſtoris ac regis nomen in literatura Sacra & profana ſæpè confundi. Ait DEUS apud vatem: (a) *qui dico Chriſto meo Cyro, paſtor meus es.* Et apud (b) Xenophontem, aliquis, *ſimilia*, fatur, *opera ſunt regis & Paſtoris.* Et Philo Judæus artem paſtoritiam præludium vocavit magiſtratuum. Sed & Poëtæ, (c) reges Paſtorum nomine compellant, ac cauſam dictus Philo, (d) *quia pulcherrimo gregi hominum præſunt.* Porrò primarium Paſtoris officium & regis eſt, gregem ſuum viſi-

(i) *Liran. in c. 1. Luc.* (a) *Iſai 44. 18.*
(b) *Xenoph. l. 8. Cyropæd.* (c) *Philo l. de Joſeph.* (d) *Ibidem.*

visitare, ut se habeat ille dispicere, & malum quod illi adhærere invenerit, depellere, juxta illud Sapientis. (e) *Diligenter agnosce vultum pecoris tui: tuosque greges considera.* Quem locum Ven. (f) Beda Pastori Ecclesiæ applicat, ut greges suos lustret, agnoscat animos, actusquè singulorum, & si quid in eis vitii sordidantis invenerit, citius castigare meminerit. Basilius Imperator (g) dans filio suo Leoni præcepta, *obstringe te inquit necessitati huic, ut omnia tibi oculis inspicienda esse discas, & nihil non inspectum prætermittas.* Regem habes eum qui dominatur in cœlis, cui sicut omnia curæ sunt, ut Deo necesse est, & tibi curæ esse, ut regi. Cæterùm rex Deus, & in cœli, & in Virginei uteri solio residens, curam habet, providentiam suscipit suorum Ecce habitu ut homo inventus, (h) hoc est more infantum infans clausus utero, tacens eloquio, & quasi nihil operans, matrem tamen movet ad Joannem, & illa mota, exurgit diluculo, abit in montana, intrat Hebron, (i) subit domum Zachariæ. & dum Salutat cognatam, virtute filii, voce sua Sanctificat cognatæ Senioris prolem. Planè Regina regnans, quia in officio visitandi gregis sui vigilans. Tandem raucæ ac totis seculis clamantes Prophetarum vices & voces accipiunt finem. (k) Visita nos in Salutari tuo detonabant illæ Deo: ecce in ma-

(e) *Prov.* 27. 23. (f) *Beda in* 27 *Prov.*
(g) *Basil. Imp. apud Baron. ad annum* 886. *Christi. D.* (h) *Philip.* 2. 7. (i) *Tolet. in c.* 1. *Luc.*
(k) *Psal.* 105, 4.

tre & cum matre sua visitat, & Salutaris, sive Rex Salvator, gratiam novæ Salutis Joanni impertit: & simul nos cum Matre sua, regina Salutis, se visitaturum promittit. Quod uni, hoc omnibus fiet, (*l*) non enim est distinctio apud eum Judæi & græci, liberi & Servi, dives in omnes sparget suæ beneficentiæ radios ad omnes. Docet S. Thomas, (*m*) reges reginas, principes, sine motu irradiationis ut inquit ille divinæ, non posse greges suos ritè regere' Quos inter motus præcellit ut ille vocat circularis. Tunc autem circularis motus radiorum divinorum exercetur, quando Princeps (aut Regina) divina illuminatione ipse prius irradiatus, irradiat subditum, hic autem illuminatus, elevatur ad contemplandum amandumque Deum. Sic enim ab eodem in idem reditur. Jam verò Dei Mater, nostra autem Regina, in hoc circulari motu versatur perpetuò: ut enim, ipsa divino Radio substantiali atque infinito, perfusa, luce perfudit Joannem, (ut ille qui nondum noverat Matrem agnosceret, incognitum cœli Regem) ita & cæteros, maximè lucis suæ sitientes, irradiata irradiat, & irradiatos in Deum attollit & movet. (*n*) Aliquis Sapientum Principem erga suos vigilem, cum Sole contulit: eò quod sicut Sol circuit terram & illuminat, & illuminando eam perficit: ita bonus Princeps non suæ quieti tantum vacat, sed lustrans omnia, & seminans bona, alios ad fælicitatem

(*l*) *Rom.* 10. *v.* 12. (*m*) *Thomas de regim. Princ. l.* 3. *c.* 2. (*n*) *Ægid. de regim. princi.*

citatem diſponit & maturat. Hujusmodi Principis in officio verſatur Virgo continuò: circuit enim terram ut Sol, & irradiat omnes qui ſe concupiſcunt. Cæpit viſitare ſuos Regina à Joanne. & pergit & non deſinit, nec viſitationem ſuam finiet, niſi cum Sol moveri finiet. *Rex*, inquit Proverbiaſtes, (o) *qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Nec aliter rex Deus, in cœli ſolio reſidens, diſſipat omne malum judicio ſuo. Idem in Matre ſua, novi honoris novo throno collocatus, ejus adventu, ſuo intuitu, omne malum diſſipavit Joanni: nec diſſipare ceſſat in nobis, quoniam regina à dextris ejus ſedens, illum nobis, cum pro nobis ſupplicat, applicat. Exclamat Doctor Seraphicus, (p) *ô Regina, tu es via, per quam nos Salus de ſupernis ſedibus viſitavit*, addamus, & viſitat & viſitabit. Quamdiu clamare terra non ceſſaverit, (q) vide & viſita vineam iſtam, tamdiu Regina mundi nos viſitare in Salutari ſuo, in quo Spiritus ejus & exultavit, & exultat, non omittet, non deſinet.

§ 3.

ENimverò ſi viſitantis noſtræ Reginæ effectum placet intueri, illum optimé S. deſcripſit Petrus Chriſologus. (a) Hic conſiderans parvuli mutationem Joannis, exclamat, *ante* inquiens, *pervenit ad cælum, quam tangeret terram: ante*

(o) *Prov.* 20. 8. (p) *Bonav. in Pſalt. B. V. ver.* 6. *poſt nocturnum.* (q) *Pſal.* 79. 15.
(a) *Chriſol. Serm.* 91.

accepit divinum Spiritum quàm humanum: ante suscepit divina munera, quàm humana membra: ante cœpit vivere Deo, quàm sibi. Hæc autem omnia ad præsentiam Virginis, qua velut suo organo usus est infans Deus, sunt perfecta. Induimus ergo fiduciam, etiam nobis de favore hujus Reginæ eventurum, ut saliamus de terra in cœlum: ut accipiamus divinum Spiritum: ut suscipiamus cœlestia munera: denique ut Deo & non nobis toti vivamus. Ordior à primo. Salire in cœlum, grande negotium, Saltus Angelorum. (*b*) Saliit eum Saltum Joannes cooperante MARIA: docebit nos quoque ita salire benigna Regina. Omnes, cum terram linquemus, sub terram, ubi nullus est ordo salire nolumus, sed in cœlum. Bonum votum, fiat medium: Linquamus vivi & spirantes terram, & sciemus mortui supra cœlos exilire. Ecce hodie virgo. Visitans exultat & salit animo in Deo, (*d*) proinde super omnes cœlos, prius tamen illa cum ad Elisabeth festinavit, terram calcavit. Quomodo non calcavit, quæ respectus humanos conculcavit? calcavit linguas, ecce sola fers puella calcavit judicia, ecce Vaga sine comite juvencula: calcavit cunctationes & moras exhibendæ humanitatis, nam Deo concepto ut viseret Joannem, festinavit. Ergo ejus exemplo animemur ad conculcandam animo terram, terrenosquè respectus, & discemus subvolare nostrâ Choreâ in cœlum, S. Grego-

(*b*) *Genes.* 28. 12. (*c*) *Job.* 10. 22.
(*d*) *Luc.* 1. 47. *Glossa. ibi.*

Gregorius M. (e) explicans illud, *ecce iste venit Saliens in montibus*: *veniendo* inquit *Dei filius ad redemptionem nostram quosdam ut ita dicam Saltus dedit. De cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepi venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit ad cœlum.* Ad eum porró modum Virgo suos salire docet, sed inverso ordine, nempe ut inde ipsi Saltum suum inchoent, ubi Christus descensum suum terminavit: Christus autem de Cruce in sepulchrum, & infernum descendit. Ergo ascensus Saltus nostri ab inferis & sepulchro inchoandus. Quid enim? nunquid cum de pulvere terræ cœlos nobis fingimus, peccatores apud inferos nosmet non invenimus? Invenit se ille qui conquestus est, (f) *repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.* Concilium Salagunstadiense in Germania 1022 celebratum constituit ut psalmus iste, (g) ex quo præsens versiculus decerptus est ægris recitaretur, nempe ut memores peccatorum, quibus animam suam malè repleverunt, discerent etiam pœnam peccati, nempe infernum, ex cujus horrore compungerentur ad pœnitentiam, & componerentur ad dolorum patientiam. O quanti gemuerunt & gemunt, repleta est malis peccatorum anima mea, & vita inferno appropinquavit! O quanti putaverunt ad portas cœli se stare, & ipsi invenerunt se ad portas inferorum hærere. (h) Invenerunt inquam, quia

(e) *Greg. hom.* 29. *in Evang.* (f) *Psal.* 87. v. 4.
(g) *Lor. in Psal.* 87. *in argumento* (h) *Isa.* 38. 1.

quia utcunquè colentes suam REGINAM, radium ab ipsa lucis acceperunt, & ubi essent, viderunt. Et simul cum prodigo ad se reverso dixerunt, surgam, (*i*) dicam, peccavi in cœlum. (*k*) Non solum Abraham homo cœli, non solum justus qui sub protectione Dei cœli, homo cœli, moratur: & ego homo cœli, quia à Rege cœli pro cœlo sum creatus: & ecce vivens descendi in infernum. Nunquid autem qui descendi non ascendam? Surgam & dicam, peccavi in cœlum. Ubi Chrisologus, (*l*) surrexit iste de profundo inferni, cœli alta contingens. B. Noster Franciscus Borgias (*m*) mysticæ Theologiæ, sive confusionis theses propugnaturus, & respiciens ad retroactum vitæ cursum, inter alias hanc quoque scripsit, infernus domus mea est. Hanc autem absconditam à multorum oculis domum (*n*) Virgo Mater ei retexit, quam singulari pietate coluit. Quod ipsum permultis aliis sui Regni subditis fecit: jam peccata gravia, non reputata ostendendo, jam culpabili oblivione obruta, revelando: jam & eorum cum suppliciis restantibus, eradendam plenitudinem ac pertinaciam animando. Alios memoria sepulchri vel pulchrè terruit, vel potenter ad Sanctitatis consummationem invitavit. Alios eductos ab inferis terræ restituit. Nempe, ut reconciliati Deo, & erepti

(*i*) *Luc.* 15. 17. (*k*) *Philo. l. de gigant.*
(*l*) *Chrisol.* Ser. 3. *de prodigo.* (*m*) *Orlandinus hist.* 5. 7. *l.* 9. *n.* 8. *thesi* 4. (*n*) *Orland. ibid. l.* 13. *n.* 49.

erepti de inferno, (o) redderent terræ, quod terræ est: nempe hostibus amorem ac reconciliationem, injuria à se vexatis, congruam satisfactionem & compensationem, superioribus honorem & obsequium, officiis suis vigilantiam ac diligentiam. Multi etenim opinantur se in tuto stare & de inferis in cœlos transiliisse, si peccata sua Sacerdoti detegant, & de cæteris parum curant. Christus D. ab inferis non statim evolavit in cœlos, sed prius rediit ad sepulchrum, & relictam terram, in qua per dies 40. ordinavit rite sua & suos. Sic & Christianus reversus ab inferis, videat quomodo tumulum suum, tabulis ultimæ voluntatis exornet, & præterea aures arrigat, an angulus terræ aliquis se contra non murmuret? Et si murmurat, faciat eum quiescere & silere, aliter Saltum cœli, quem benè cœpit, consummare non poterit. Imitetur S. Bonaventuram qui de se, (p) *ego dixi circa dimidium dierum meorum, vadam ad MARIAM ut me Christo reconciliet.* Addamus, inventam tenebo MARIAM, ut me post Christum ad cœlum salire doceat, *ut sic Salvatori Christo*, inquit Augustinus, (q) *nostro Choro respondeamus.*

§ 4.

ALterum Reginæ visitantis numeramus beneficium, divinum ab ea suscipere Spiritum. Corpus sine anima, anima sine divino Spiritu

(p) *Bonav. in Cant. Mariæ 2.* (q) *Aug. in Psal. 87.* (o) *Ab inferno ad terram salire quid sit.*

informè cadaver & horror eſt. Quanta ergo retinendi animam in corpore eſt neceſſitas vel cura, tantò & amplius Spiritus divini, aut comparandi, aut conſervandi inſtare nobis debet ſollicitudo. Guſtum mihi grandem facit cum mente revolvo dictum S. Martini, (a) non Turonenſis ſed Galitiæ Pontificis. *O homo ad exemplar compoſitus divinum, à corpore ad Spiritum quantum potes te feſtina reducere.* Q. d. ſicut ante diluvium filii Dei videntes filias hominum, ad earum exemplar ſeſe compoſuerunt, toti ſcilicet Spiritu & membris caro, ut dixit Deus: (b) ita tu creatus à Deo, ad Deum videndum, eſto totus Spiritus, & quaſi nihil de carne. A corpore igitur ad Spiritum feſtina: ut fias totus Spiritus, imò adhærens Deo, & Spiritu ejus animatus, unus Spiritus fias cum Deo. Hoc autem ut conſequaris, Reginæ cœlorum jungaris, ipſa enim Joanni animam habenti, Spiritum divinum non habenti, eum attulit, atque applicuit. Prædixerat Patri ejus, Angelus, Spiritu S. replebitur adhuc ex utero matris. (c) Hæc prædictio quando impleta? tunc cum in gaudio infans exultavit. Applica mentem S. Athanaſio: (d) permulti fuerunt Sancti, puri omnis criminis: ſiquidem Jeremias ex utero Sanctificatus fuit, & Joannes dum adhuc à gravida matre geſtaretur exultavit in gaudio ad vocem Deiparæ Virginis. Idem Angelus illum

(a) *Martinus Galec. de Virtut. c. 3.* (b) *Geneſ. 6. 3.* (c) *Luc. 1, 15.* (d) *Athanaſ. Ser. 4. contra Arianos.*

illum dixit præcessurum ante Deum, in Spiritu & virtute Eliæ; (e) hoc est, ut explicant doctiores interpretes, quemadmodum Elias Dei judicis, sic Joannes Dei Redemptoris faciem præcedit, plebem disponet. (f) Quali autem à Virgine induetur Spiritu, quali virtute: complures Patres & Doctores sentiunt, (g) indutum Joannem non solum Spiritu Sanctificationis qui originale ab eo repulit peccatum, sed præterea donis Spiritus S. quibus ad officium & ministerium Præcursoris egebat: nempe ad vivendum in solitudine, & quidem non recepto hominum more, ad prædicandum cum energia & libertate, & ad alia. Nunc te circumspice quali Spiritu egeas Christiane, (h) Fortè Sanctificationis, & clamas, cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Fortè Spiritu principali confirmante, fortè Spiritu officio tuo rite adimplendo, competente? Pater Spirituum æternitatem, Mater Spirituum, omne occupat sæculum. Venit & abit istud, & illi succedit aliud, & in seculis fluitant gentes, non uno Spiritu egentes, & replet omnes cupita benedictione. (i) Nec mirere hoc quod dixi, sed intuere ipsum S. Spiritum, qui aliis Dominus, MARIÆ sponsus, Sponsus autem sponsæ quid non communicat? Sponsus Spirituum omnium Dominus,

(e) *Luc.* 1. 17. (f) *Tolet. in c.* 1. *Luc. annot.* 25. (g) *Euchim. in c.* 1. *Luc. Titus Bostr. ibid. Tolet. in c.* 1. *Luc. ann.* 25. (h) *Psal.* 50. 12. *Psal.* 50. 14. (i) *Hieron. Serm. de assumpt.*

nus sponsam MARIAM cui Spiritui non præfecit? Audi nunc Bonaventuram dulcem, & sequere ducem. (k) *Quicumque septiformem Spiritus S. gratiam adipisci desiderat, ipse florem Spiritus S. in Virga quærat.* Per Virgam enim ad florem, per florem ad Spiritum in ipso requiescentem pervenimus. (l) Nomine autem Virgæ virginem, & nomine floris Christum intelligit.

§ 5.

TErtium Visitantis reginæ donum est, munera divina præbere. Omnis pœne ætas & dignitas, hiat ad humana munera, quæ tamen multis fuere hirundinum stercora & venena. (a) In Tobiæ oculos demisit onus sui alvi hirundo, & oculos ei abstulit: munera autem judices & Sapientes excæcant. Multis item eadem munera, crumenam auxerunt, sed animam occiderunt nonne venena? Non sic autem munera quæ propinat MARIA, auferunt venena, adferunt lumina. Vide Joannem, muneribus MARIÆ docoratum (b) Generosi illi leunculi, ut eos vocat Chrisostomus, Principes Machabæi, (c) videntes templum Domini immunditiis Gentium pollutum diligenter repurgárunt, deinde dedicationis ejus festum agentes, coronis aureis & scutulis faciem templi exornarunt. Vide nunc an non consimili modò Vir-

(k) *Bonav. in spec. Virg. c. 6.* (l) *Hieron. l. 4. in Isa. in c. 11.* (a) *Tob. 2. 11.* (b) *Chrisost. in Ps. 4.* (c) *1. Macb. 4.*

Virgo cum Joanne processerit. Destinatus ille erat ordinatione divina in templum S. Domino, cæterum qui diruit prima in Paradiso templa, iste & Joannis occupabat, & omnem ejus Sanctitatem profanatam tenebat. Cum verò Visitans Virgo Deum Joanni applicuit, hostem inde dimovit, & amissum Sanctuario honorem restituit. Quin & varias Gratiarum coronas in ipso vitæ exordio quasi in fronte ejus suspendit. Insuper scutis robustissimis de armamentario filii sumptis sic eum munivit, ut deinceps Superbo hosti impenetrabilis existeret. Angelicus enim docet, (d) Sanctificatis in utero, ejusmodi auxilia à Deo dari atque affigi, ut deinceps graviter peccare non possint. Jam verò soline Ioanni dona tanta dedit virgo? Quotquot eam coluerunt, tot templi sui Sanctificationem renovatam acceperunt. Interdum quidem & sæpius evenit, ut cogantur servuli Virginis clamare: (e) *Deus venerunt gentes, polluerunt templum Sanctum tuum*, clament item cum S. Bonaventura, (f) *Domina venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Ad quorum clamorem adest invocata & miserata Virgo, & depulsis peccatis tanquam gentibus vastantibus, in momento templum Deo dignum reparat, quin & scutis munit, quin & coronis exornat. Quid enim sunt auxilia gratiarum quibus homo præventus, & comitatus ridet tentatorem, nisi scuta & scuta templum suum munientis MARIÆ?

(d) 3. *part.* q. 27. *a.* 6. (e) *Psalm.* 78. 1.
(f) *Bonav. in Psalt. B. V.*

RIÆ? Meritò dicitur turris mille scutis instructa, ex qua pendent clypei fortium. (g) Hæc est turris quæ semper ex se ut mare fluvios, sic ipsa præsidiorum clypeos fundit & emanat. Non tot telorum igneorum imbres pluit Sathanas, quot millia scutorum sufficit MARIA. Itaque veluti ipsa scuto Dei obumbrata non est Virgo Violata: (h) sic & suos dilectos, scutis defensionis obumbrans Virgo, reddit inviolatos. Hæc est turris quæ per mundum discurrit, & clamantibus, sub tuum præsidium, præsidium sine mora & fine ministrat. Hæc demum turris est de qua pendent mille coronæ, non solum temporis, sed etiam æternitatis. Quis numeret laureas, Poëtarum & oratorum, Sophorum & Theologorum, Defensorum & Bellatorum de gratia Reginæ regum venientes? (i) An soli Leoni imposuit virgo diadema orientalis imperii? An Solus Henricus, MARIA movente ad imperium occidentale assumptus? (k) an mille tantum in cœlis, suas coronas ad pedes appendunt suæ promotricis? Fuit illa tanta in terris teste Hyeronimo, (l) ut cœlis daret gloriam: fuit illa tanta adhuc mortalis, ut tota Trinitas, prout loquitur Bernardus (m) per ipsam sumeret gloriam, quomodo igitur non coronis MARIÆ plenum est coelum & æternitas? Munera

(g) *Cant.* 4. 4. *Honor. Aug. Rupert. Sanchez. ibi.* (h) *Bonav. in hymn. B. V.* 1. *quinqu.* (i) *Niceph. l.* 15. *c.* 25. (k) *Naucler. gener.* 34. (l) *Hyeron. Ser. de B. V. seu Sophron.* (m) *Bern. Serm. super missus.*

nera tua tibi sint dixit Daniel Balthassari Regi: (n) ego verò, munera tua ô Regina, cœli, mihi sint in brevi, mihi sint in infinito ævo.

§ 6.

QUartum Visitantis Reginæ beneficium, est efficere, ut non nobis, sed Deo vivamus. (a) Jactat se unus quasi de numero Sapientum, vixi quantum satis est, mortem plenus expecto. Magnifica vox, si & vita magnifica præcessit: iste enim opinione sua inflatus non Deo plenus, & satis vixit, & mortem se expectare dixit. Christiano autem curandum est unicè, ut vivat satis, & mortem plenus expectet. Suscipio & osculor Magni Theologi dictum: (b) *prudentis & cordati viri est, magnâ mensurâ vitam suam metiri.* An magna mensura vitam ille metitur, qui vivit ut aurum corradat, ut voluptatibus innatet ut nominis & honoris splendore scintillet: primum pulvis terræ, secundum stilla mellis, tertium radiolus vermiculi nocte inter gramina refulgentis. Ille satis vivit, ille plenus mortem expectat, & magna mensura vitam metitur, qui vivit ut Deus. Audio Seraphicum Magistrum, (c) in quo quod audio & video: audio inquam, *ille vivit ut debet, qui amat ut Deus, exultat ut Deus, vivit ut Deus. Absorbeatur humanum in divino, abscedat vanitas, accedat divinitas, ut totus fiam divinus.* Sic ille. Qua ratione verò ad vivere divinum accedi potest? Pulcherrimè Augustinus: (d)

(n) *Daniel.* 5. 17. (a) *Senec. Epist.* 61.
(b) *Nazian. Greg. ad Nicob.* (c) *Bonav. apud Idereum, pag.* 172. (d) *Aug. tract.* 26. *in Joan.*

qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum membrum, vivat Deo, de Deo. Omnes æstuamus calentissimo desiderio, ut vivamus post mortem Deo cum Deo: prius attamen ante mortem vivendum est Deo, de Deo. Et fortasse aliquis ostendit nobis mensam altaris, & dicit, inde vivitur de Deo: alius ostendit cathedram sacri tribunalis, & dicit, inde vivitur si amissa vita divina est de Deo. Ego vero totum mundum monstro, & omnium sensuum blandimenta ostendo: hæc omnia emanuere de Deo, cum his uteris, de bonis Dei vivis, de Deo vivis. Heu! sugit vitulus vaccam, & vivens de bove, fit bos. sugit hinnulus ceruam, & vivens de cerua fit ceruus: sugit infans matrem & vivens de homine, fit homo. Eheu! Sanctissima divinitas! tu una es adeo infelix quam nos sugimus, cujus quasi mammam omnem creaturam tenemus, vivimus de te, & non transimus in te: Infortunate mortalis, qui vivis de Deo, & non evadis Deus? Porrò Regina nostra, cui humilis caritas nostra jam veniente die jam decedente dicit Salve, in manibus habet artem, qua perficiat ut nos vivamus Deo de Deo. Venit ad Joannem, & non habenti divinam vitam, infudit instrumento vocis divinam vitam. Mansit apud eundem deinde tribus mensibus. Cur autem respondet Ambrosius, (c) ut ungeret vatem ad amplissimam virtutem & certamen:

(c) *Ambr. l. 2. in Lucam. commen.*

ungebatur inquit *& quasi bonus athleta exercebatur: amplissimo enim virtus ejus certamini parabatur.*

§ 7.

JOanni heri, tibi Regina serviet hodie, si velis vivere Deo de Deo, orat Sanctorum unus, cujus vocem sequamur. (a) *O MARIA! O Sara nostra, dic quod sis Soror nostra, ut propter te benè nobis sit à Deo, & ob gratiam tui vivant animæ nostræ in Deo.* Dicit fortassis aliquis, non possum vivere Deo de Deo, carni inhæreo. Trade te Caro MARIÆ, & faciet te à carne ad Spiritum, à Sanguine ad Deum festinare: habet illa vocem qua te mutet, & alium concipiat, habet ubera quibus lactet. habet virtutem qua te virum Deo formet. (b) *Vox ejus, ecce ancilla, Spiritum fecit incarnari*, eadem ut tu excarneris (sic dico) prævalebit: ubera ejus DEUM lactavêre, eadem te Deo lactabunt. Virtus ejus tot Sanctos effecit Deo heroes, sed ista, nondum exhausta. Clama & dic, ne cesses: (c) *Salve regina, visita nos stella matutina oriens ex alto.*

ARTICULUS V.
REGINA PURIFICATA.

§ I.

MUltis quidem à fabris atque incudibus Regum

(a) *Bonav. in spec. MAR. c. 6.* (b) *Tolet. in c. I. Lucæ.* (c) *Bonav. in Cantico ultimo.*

gum Reginarumque possunt & solent prodire coronæ, nulla tamen pretiosior extenditur, quàm illa quæ obedientiæ malleis formata est. (a) Lamentatur Jobus ulcere percussus, fortunis exutus, *spoliavit me Deus, gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.* (b) Nomine coronæ intelligunt alii copiam & ubertatem bonorum: alii regium honorem, Pro hujusmodi sibi ademptâ, exarsit alterius amore, & dixit: (c) *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse mihi qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?* Quis verò est iste liber, digito & calamo Dei scribendus, in humero à Jobo portandus, & deinde in coronam capitis convertendus? M. (d) Gregorius vocabulo libri hujus, mandata sacri eloquii interpretatur, *quæ si modò benè portentur in opere, post nobis coronam Victoriæ exhibent in retributione.* Obedientia igitur verbis ac legibus divinis debita, liber est in portante pondus humero, honor & corona in capitis fastigio. *Videmus*, fatur Apostolus, (e) *JESUM, propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Qualem autem passionem? utique amore obedientiæ susceptam. Certè apud Romanos passio, & patientia belli aut duelli sine voluntatis Imperatoriæ consensu, non coronam capiti (f) (quanquam victoris) imponebat, sed capu[t] illi

(a) *Job.* 19. v. 9. (b) *Pineda. ibi.* (c) *Job* 31. 35. 36. (d) *Greg. l.* 22. *mor. c.* 20. (e) *Hebr.* 2. 9. (f) *Valer. Max. l.* 6. *exempl.*

li auferebat: Quare locum Apoſtoli exponens Chriſoſtomus, (g) *extremam* inquit, *JESU præſtitit obedientiam, propterea & ſupremum accepit honorem.* Loquitur aliquis in pſalmo, (h) *me expectant juſti donec retribuas mihi.* S. Hyeronimus convertit, in me coronabuntur juſti. Exponit Hyeronimum noſter Pineda, (i) *ego dicens ero exemplar reliquorum juſtorum, qui erunt à te præmia & coronas accepturi.* Quis autem hæc loquitur? In ſententia multorum præter Davidem Chriſtus Dominus patiens, atque uſque ad mortem Patri obediens: (k) ſicut enim in voluntate ejus Sanctificati ſumus omnes, ita in obedientia ejus coronamur omnes. Quæ autem glorioſor fabricari oſtendiquè poteſt corona atque illa quam Sanctus Sanctorum & Rex Regum, cum univerſitate omnium cœli Coronatorum accepit? Deſcribens Propheta (l) ſublimis regiam JESU poteſtatem, *factus eſt* inquit *principatus ſuper humerum ejus.* Audis humerum, & recurre ad Jobi humerum, iſte portat & ille portat librum ſcriptum, Non dixit, factus eſt principatus ſuper ſanguinem ejus, quanquam regius & Davidicus is eſſet; nec dixit principatum fundatum ſupra caput, quanquam plenus veritatis & Sapientiæ haberetur: ſed ſuper humerum. Nempe, quia *Dominus*, ut explicat S. Hyeronimus, (m) *crucem ſuam ipſe portavit.* Hæc

(g) *Chriſoſt. in Epiſt. ad Philip.* h) *Pſal.* 141.8. *Hyer. vers.* (i) *Pined. in c.* 19. *Job. n.* 6. (k) *Hilar. in Pſ.* 141. *vido ibi Lorin.* (l) *Iſa.* 9.6. (m) *Hyer. l.* 3. *in Iſa.*

Hæc autem ex imperio Patris impoſita excetpa eſt à Domino, non aure vacua, non nutu capitis, non oſculo oris, ſed humero exequente. ita autem ſibi ſicut nomen ſuper omne nomen, ſic diadema Super omnia diademata tulit, meruitque. An item Mater ejus purificata? An hujuſmodi corona redimitæ cantet mundus, Salve Regina? Ita omnino,

§ 2.

QUid Regium in ortu quærit Bernardus fulſerit MARIÆ, (a) nos autem item conſideremus quid regium in Purificatæ ſolemnitate refulgeat? Ubi obedientia, ibi grandis corona. *Vir obediens* inquit Sapiens, (b) *loquetur Victorias*: Sed ſi loquetur Victorias, loquetur & palmas, loquetur & coronas: ſed & palmæ ac coronæ, ipſæquè victoriæ, victorem illum latè loquentur, & reſonabunt. De præliis Judæ inquit (c) S. pagina *narrabant omnes gentes, & propter crebras ac luculentas Victorias nominatus eſt uſque ad extremum terræ.* (d) Unde autem Principis Machabæi victoriæ ortum duxerè? quia Patris ſui, præſertim, moribundi implevit mandatum. (e) Jam verò in Virgineæ miſterio Purificationis quanquam plurima virtutum ejus lux reſplendeat, vincit tamen cæteras legis obedientia. Hæc enim 40 diebus clauſam domi tenuit, hæc templo Domini arcuit; hæc

(a) *Bernar. Ser. de N. . B. V.* (b) *Prov. 21. v. 28.* (c) *Macb. 3. 26.* (d) *1. Macb. 3. 9.* (e) *1. Mach. 2. 50.*

hæc à converſatione hominum diſcrevit: deniq; ipſa domo eduxit, in templum induxit, & in atrio immundorum Sacerdotalem expectare benedictionem fecit. Ubi vulgata legit, (*f*) *Venit germanus tuus* (verba ſunt Iſaac ad Eſau, de Jacob) *fraudulenter, & accepit benedictionem tuam*, alter textus habet, *venit germanus tuus cum arte, & tulit benedictionem.* Quæ verba expendens doctus Procopius, (*g*) vir, inquit, *bonus, nihil non artificiosè agit.* Qua verò arte? arte obedientiæ. Illæ enim legibus & majoribus ſe ſubjicit: & leges majoresque eum obedientem elevant ille ſibi vim infert, obedientia illi victoriam loquitur, coronam aſſignat. Vide rem in Jacob: ipſe in arduo & periculoſo ſanè puncto, matris voluntatem & conſilium, ſuæ voluntatis & rationis inclinationi luciquè prætulit: obedientia, autem eum coronavit ore Patris, eum inſonuit: (*h*) *adorent te populi & tribus.* Quomodo autem Jacob, ſic & filia ejus omnia cum arte parendi egit, cum purificationis myſterium peregit: paruit legi, & lex eam declaravit Reginam. Benedixit Iſaac obedientiam Jacob: benedixit item Simeon obſequentem filiam Jacob, & detulit illi Sceptrum Patientiæ, quæ perſeverans, Sanctos declarat, Salvat, coronat. *Tuam* inquit (*i*) *animam gladius* (doloris ſcilicet) *pertranſibit.* Ars Jacob apparuit, quando Eſau hiſpidum & deformem induit:

(*f*) *Geneſ.* 27. 35. *verſio altera.* (*g*) *Procop. in c.* 35. *Geneſ.* (*h*) *Gen.* 27. 29. (*i*) *Luc.* 2. 35.

induit: illuſtrior tamen ac ſapientior ars Virginis illuxit, cum mundis omnibus mundior, ita ſe habuit tamen in templi publico, quaſi immunda, & vernacula mater. *Victoria* inquit Alexander magnus, (*k*) *non ornamentorum decore, ſed ferri virtute quæritur.* Quod autem ferrum gladio MARIÆ acutius? qui in cœlo fabricatus, in terra quem poſt Chriſtum feriret acrius, MARIA non habuit. Quæ item virtus obtemperandi par gloriæ Virginali? Fuit tempus cum Athenienſes exceperunt Alcibiaden victorem, non tanquam victorem, ſed veluti ipſam victoriam inquit idem hiſtoricus, exiſtimantes unde ille ſtetiſſet, eò ſe victoriam & fortunam transferre. (*l*) Sed victoriam Alcibiadis ſubvertit dies, MARIÆ autem victoriam, & ipſam tanquam victoriam, & præſens, & ad mundi finem ſuccedens celebrat dies. Non ſolum autem ut victoriam, ſed etiam ut coronam regiam. Unde verbis nobis S. Epiphanii Salutanda venit, (*m*) *Salve corona Regia præſtantiſſimum habens lapidem.* Qualem autem lapidem? qualem & JESUS circumciſus. Ille peccatum non habuit, & remedium peccati inquit S. Bernardus (*n*) ſuſcepit MARIA item pariendo purgamenta naturæ non ſuſcepit, purgari tamen voluit, quia obedire dilexit. Hic eſt lapis coronæ.

§ 3. Porrò

(*k*) *Juſtin. hiſtor. l.* 11. (*l*) *Juſt. hiſt. l.* 5. (*m*) *Epiph. de laud. B. V.* (*n*) *Bern. Ser.* 1. *de circum. Dom.*

§ 3.

PORRÒ S. Hyeronimus (a) Virginem SS. *hortum deliciarum* dixit, *in quo consita sunt omnia florum genera* Legimus unam S. Reginam eum tenuisse morem, ut quoties per diem Reginam se salutari audivisset, aut nominari, toties florem ad Cœlorum Reginæ effigiem deponeret. (b) Quo significabat officio, se cum suis honorum floribus illi subesse. Regina autem Cœli, purificationis consuetudini parens, non florem unum & alterum, sed totum deliciarum cœlestium hortum, cum floribus omnibus Dei scabello ac pedibus subjecit. Florebat in ea flos virginitatis, (c) qui eminebat super flores Angelicæ puritatis; eum tamen ad plantam DEI posuit, quando quasi non virgo, sed nupta & de marito fœcunda, marito comitata in templo comparuit: Consanguinatem de Davidis domo duxisse MARIAM non dubitat Augustinus: (d) & hunc regium florem Deo depressit virgo, quando pauper de turture, non dives de Agno pro filio oblato voluit censeri, (e) Floruit in ipsa altissimæ & pulcherrimæ devotionis orationisque Spiritus; sed virgo etiam istum florem Deo consecravit, (f) Nam non Simeonem sua benedictione & oratione honoravit, sed ejus benedictionem humili animo ac vertice accepit. Non est dubium, quin ipsa ab eodem Simeone

(a) *Hyer. Ser. de assump.* (b) *Crotildis. ad annum Christ. Bar.* 553. (c) *Bonav. in spec. c.* 3. (d) *Aug. l.* 2. *de consen. Evang. c.* 1. (e) *Leu.* 12. 6. (f) *Luc.* 2.

Simeone & Anna vidua, sublimes laudes suas præsens audiverit, illa tamen non se stipari floribus voluit, sed omnia præconiorum florida ad pedes Dei stravit, ut unde prodibant, eo quoque redirent sui nunquam marcescere valentes flores. Sic autem suum hortum Deo subjiciens, & nimbos florum sacrans, provecta est nom solum ad Regnum regnorum, verum etiam ad Sceptra & coronas, jam in terris jam extra terras, aliis dividendas. Vocat S. Hyeronimus (g) Virginem deliciarum hortum, in quo consita sunt omnia florum genera, verùm obedientia hunc hortum Deo subdidit, & hortum regum effecit.

§ 4.

TEmplum illud à Salomone olim constructum, quantâ gloria cæteris templis in omnibus regnis præfulserit, nulli scripturas legenti est obscurum, (a) *majestas enim Domini*, illud cum dedicaretur *implevit*. Sed qualis? in nebula & igne. Nam ut refert Josephus (b) ignis de aëre descendens, omnibus videntibus ad altare, hostias totas corripuit, atque absumpsit. Nihilominus, de templo posteriori à Zorobabele constructo pronunciat propehtica veritas, magna erit gloriâ domus istius novissimæ plusquam primæ dicit Dominus exercituum; & in loco isto dabo pacem. Sed quare? veniet disideratus cunctis gentibus (c) & implebo do-
mum

(g) *Hyeron. Serm. de assumpt.* (a) 3. *Reg.* 8. 10.
(b) *Joseph. l.* 8. *c.* 4. *de antiqu.* (c) *Agg.* 2. 8.

num istam gloria. Hic autem desideratus, quando primo suo adventu & præsentia templum exornavit? (d) utique cum matris purificatæ ulnis portatus hospes templo successit. Sed & gloria Domini tunc idem implevit templum, quia benedicta & gloriosa mater summis virtutum irradiata fulgoribus apparuit, & plané quemadmodum illa Apocalyptica mulier, (e) Sole palliata, Luna calceata, syderibus coronata illuxit. Et verò gloria templi Salomonæi auro & gemmis distincta micabat, at virgo altero cœlesti auro, cum humilis intravit, templum Zorobabelis deauravit. Loquitur apud Cyrillum Pater Deus, (f) non indigeo auro, sed potius germanos & sinceros adoratores requiro, horum fulgore templum meum inaurabo. Aderant quidem tunc veri in Spiritu Dei cultores, præter Simeonem & Annam alii quoque qui consolationem Israël expectabant, verùm inter hos omnes fulgentior & ardentior, ut aurum septem ignibus colatum resplendebat Virgo. Tunc impletum est illud Ezechielis, (g) elevaverunt Cherubim alas suas, & ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque supra montem. Simeon & Annam duo Cherubim dicamus, quibus dum dixit Spiritus, consolationem & expectationem Israël advenisse, ocius quasi admotis ad talaria alis ad templum convolârunt, jam enim Dominus Gloriæ, hoc est JESUS infans, jam & Gloriæ Domini currus

(d) *Sanches. ibi.* (e) *Apoc. 12.* (f) *Cyrillus in Agg. 2.* (g) *Ezech. 11. 22.*

Virgo de media, civitate ascenderant in montem domus Domini. Sic major gloria templi posterioris, prioris priorem oppressit. Namque ut interpretum doctissimus explicat, (h) domus posterior priore tantò luculentior & gloriosior extitit, quantò melius est nobile corpus, umbrâ quam corpus projicit. (i) Aliquid Divinitatis habuit Salomonica moles, sed Zorobabelis, ipsam divinitate: umbram gloriæ illud, templum istud ipsum gloriæ pondus MARIAM. Et quomodo non acclamemus illi, Salve regina Gloriæ, Salve templi gloria, Salve regia corona, habens pretiosissimum in te lapidem.

§ 5.

DOctrina supremi Philosophi est, *bonum virum oportere nosse & posse, & parere & imperare.* Parere quidem idcircò, quia bono viro cum principe est magna affinitas, tanquam bono cum bono. Et quia eodem loquente, ille qui paret alteris, est velut tibiarum opifex, imperans verò ut tibicen qui utitur tibiis. (a) Imperare autem vir bonus debet nosse, quia virtuti debetur imperium, (b) ut autem quis bene imperet paruerit aliquando necesse est inquit Cicero (c) & qui modestè paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. Dixit Plato, (d) ita d omni

Sanchez. in c. 2. Aggæi. n. 21. (i) *Glossa in 3 Reg. c. 8.* (a) *Arist. l. 3. pol. c. 3.* (b) *Arist. l. 1. polit.* (c) *Cic. l. 3. de legib.* (d) *Plato de legib.*

mnibus hominibus existimandum esse: nunuam laude dignum fore Dominum, qui ipse on servierit: sic & præclaro veterum jactabaır verbo aït Aristoteles, (e) difficile esse fa:u, ut qui nunquam bene paruerit, bene imeret. Virgo porrò Virginum rectissimè ascenit ad regni & imperii gubernacula, quoniam ene parere, sollicitè didicit, & quod didicit, stendit. Rectè parendi Virtus, tres oportet ıontes arduos superet, (f) unus mons est præ:ptis parere; alter consilia majorum sequi, :rtius, nutum, sive signum voluntatis à Supeore editum, celeriter accipere, & fortiter xequi. (g) Qui tres obediendi gradus non soım divinis reperiuntur in occasionibus, sed :iam in humanis sæpissimè. Quid enim in vos est parenti aut hero. tantumnè ut ejus leıbus ac mandatis, à filiis & seruis obtempereır, an etiam ut consilia sua quoque iidem seuantur, & ad nutus eorum perceptos moveatur? Regina nostra, dum suæ purificationi erficiundæ instat, non solum præceptis, sed tiam consiliis ac significationibus voluntatis ivinæ plenê se submisit. Sit præcepti, paere Virginem (puerperas lege sua dirigenti) Mo) si: numquid autem definitum est præcepto, it puerpera pauper, non nisi avem pro filio fferret? & si vellet, agnum pro fœtu suo, (h))eo dicare non posset. Ita omninò, non fuit

 præce-

(e) *Arist. l. 3. polit. c. 3.* (f) *Basil. in constitut. monast.* (g) *Cass. in collat. P. P. 22. q. 104. ar. 2.* (h) *Levit. 12. 6.*

præcepti, ſed liberæ electioni permiſſum, ſicut & oblatio turturum vel columbarum. Et tamen Virgo quod non erat præcepti ſed ſolum interni à Deo inſpirati conſilii, executa eſt. Senis in ulnas transferre dulcem natum, non erat præcepti, neque conſilii, & poterat à tremulo ſene nonnihil parvulo ſuo timere, verùm divinum in hoc ſentiens motum, ſervivit ſeni ac votum, humilis & morigera Virgo.

§ 6.

CLama nunc & non ceſſa Bernarde tuba DEI contere cedros, & præpara ad partum obedientiæ ceruas. (a) *Diſce terra ſubdi, diſce pulvis obtemperare. Erubeſce ſuperbe cinis. Dei mater ſe humiliat, & tu te exaltas?* Regina tua ad Dei conſilium cera, ad nutum figmentum; tu quamobrem Dei voluntatis indicia quaſi noct[ua] habes ludibria? (b) Cœlum cœlorum Deo pare[t], diſce terra ſubdi: mons ille auri mons magnu[s] (c) unde deſcendit lapis quadriformem cont[e]rens ſtatuam, Deo ſe ſubdit, diſce pulvis ob[]temperare. Paradiſus omnium lignorum fo[e]licium, (d) & fortunatorum nemorum ſe d[e]primit atque humiliat ſub præcepto: & tu ſu[]perbe cinis, tua contumaciâ is contra præc[e]ptum? Ecce & Jobus, (e) petit ſibi librum co[n]ſcribi, non excellentiæ ſed obedientiæ, ta[m] gravem, ut humerum ſupponere ei ſit par[a]tu[s]

(a) *Bern. hom. 1. in miſſus.* (b) *Epiph. de laud.* [] *V.* (c) *Auguſt. Ser. de B. V.* (d) *Rupe[rt.] in Cant.* (e) *Job. 31. 35. 36.*

[...]um, tàm carum, ut capiti suo eum circum-[...]plicare sit expeditus. Et tu libellum vel sa-[...]ius foliolum, decem Dei verba inscripta digito [...]ejus continens supportare grave duces? Ange-[...]us ille Apocalipticus, (*f*) cujus caput Iride, [...]pedes igne, humeri nube, facies vestiebatur [...]Sole, habebat inquit S. codex (*g*) in manu sua [...]ibellum apertum, alter autem exponit textus, [...]& consentiunt authores, habebat in manu libel-[...]ulum. Itanè verò? ante Christum poterat [...]obus ferre humeris mandatorum divinorum [...]grandem librum, & tu post Christum, non potes [...]uno sufferre digito libellulum? (*h*) Ipse Chri-[...]stus volumen grande difficilimorum Patris præ-[...]ceptorum tulit usque ad Sudorem Sanguineum, [...]usque ad expressionem animæ: quid tu sub-[...]ducis totam animam & carnem, ad libellulum? [...]Vis nomen tuum inferri in librum vitæ, cur [...]non prius applicas humerum libello obedien-[...]tiæ? (*i*) Scripsit Deus in toto hoc universo [...]quasi in grandi tomo, ut tibi serviant creaturæ: [...]Ergo tibi assistunt Angeli boni, girantur cœli, [...]pluunt nubes, vivit in silice ignis, mare naves [...]portat, terra annuatim parturit: Sol oritur, [...]Luna crescit & decrescit: Scripsit idem Deus [...]tibi 10. mandata, & tu non una & clamosa [...]peccati bucca resonas, mandata ejus gravia. [...]Habes Servum, cui sæpe portandum imponis, [...]grave verbum ut Marpesium saxum: quod si ille

 non

(*f*) *Apoc.* 10. (*g*) *Textus alter. Com. à. Lap. in c.* 10. *Apoc.* (*h*) *Hebr.* 10. 7. (*i*) *Glossa extraor. in Psal.* 8.

non portet, tu fulguras verbis, & oculis, fulminas manu. At Servus iſte, hodie ſervus, cras non: fruſtum panis à te accipit, & tu totum illum tibi ſubjicis. Refer te nunc ad Deum ô homo: cui te nativitas æternum ſervum ſubjecit: cui te immenſis Charitas beneficiis alligavit, ſed & æternitas infinita mercede promiſſa ſtringit; & vide qui tu illi ſervias? Tibicini paret tibia inquit Ariſtoteles (*k*) comparans ſecum imperantem & obedientem. Tu autem, dives Domine & ſervus tuus comparati ad numen æternum duæ eſtis tibiæ: tu, inflata favoribus divinis, & reſonans dulcè; Servus autem tibia tacens, ſubſtantia mundi carens. Et tamen tu tibia vis aliam tibiam ad voluntatem tuam aſſilire & reſilire, & ipſe Tibicini Maximo, negas humerum ad ejus mandatum? Erubeſce ſuperbe pulvis, diſce lutum obtemperare. Promittit Deus ore Sophoniæ, (*l*) reddam populis labium electum, ut ſerviant mihi humero uno. Mitte nunc oculos per ſecula contumax DEO ſerve: Servit Deo Jobus humero regio: Servit Moiſes humero Prophetico: Servit Joſue humero Imperatorio, Servit Aaron humero Sacerdotali. Accedunt his humeris humeri 12. tribuum Iſraël quos cœlum recepit, accedunt humeri gentium omnium, quos ſtola candens gloriæ conveſtivit. In tanta humerorum DEO Servientium unione, tu averſo humero ſchiſma movebis? (*m*) & recedens ab electo labio, dices audax,

(*k*) *Ariſt. l. 3. pol. c. 3.* (*l*) *Soph. 3. 9.*
(*m*) *Jerem. 2. 20.*

audax, non ſerviam? Imprecans ſibi Jobus ventura mala ſi pupillum vexare auſus fuiſſet, (*n*) cadat à junctura humerus meus. Certè quisquis ab obedientia Deo, ſponſæque ejus debita recedit, ejus humerus à junctura cadit. (*o*) Non enim poteſt partem & ſocietatem habere in Dei regno, qui prius non habuerit in ejus humili ſervitio. Ecce Regina regum, hodie intrans in templum, Jeſum in ulnis, Moiſen & legem ejus portat in humeris. O ſervule! ſervule! tune humeros à lege ſuſtinenda cœleſtis Patris ſubduces.

§ 7.

DOcet Angelicus Magiſter inter Virtutes morales (*a*) *tantò aliquam potiorem eſſe, quantò aliquis magis aliquid contemnit, ut Deo inhæreat.* Sunt autem, fatur, tria genera bonorum humanorum quæ poteſt homo contemnere propter Deum; infimum ſunt bona exteriora, medium bona corporis, ſupremum autem bona animæ. Inter quæ præcipuum eſt voluntas, in quantum per ipſam omnibus aliis utitur. Et infert (*b*) *Ideò per ſe loquendo laudabilior eſt obedientia virtus qua propter Deum contemnit propriam voluntatem.* Sic ille. Nunc ad purificatæ Reginæ attende obedientiam, quæ ut arctius Deo adhæreret, omnia bona ſua contempſit. Poterat auro à tribus regibus relicto Salva lege divina agnum emere, (*c*) filium redimere, & placuit

(*n*) *Job.* 31. 22. (*o*) *Gloſſa extraor. in c.* 31. *Job.* (*a*) 22. *qu.* 104. *a.* 3. (*b*) *Idem ibid.* (*c*) *Matth.* 2.

ſibi turture paupere, oſtentationem vanæ laudis calcare Corporis gloriam, Virginitas perfectiſſima cumulabat, & tamen quaſi communis de vulgo Mater, atrium ſubire Immundorum non abhorruit. Denique voluntatem totam Deo conſecravit, quando ea fecit ut merita ſit conſignari cum Viro, (*d*) perfecerunt omnia ſecundum legem Moiſis. Ipſa eſt Aquila & quidem grandis Patribus SS. (*e*) quæ medullam cedri, non Libanitidis ſed cœleſtis tulit, & tamen ad præceptum, (*f*) Dei ſic elevata eſt, ut ardua omnia ſupervolaret. Arduum eſt 40. dies purgationis pati, paſſa eſt, & ſcriptum eſt æternitati: (*g*) poſtquam impleti ſunt dies purgationis ſecundum legem Moiſi. Arduum ceremoniis legalibus ſubdi, & ſubdidit ſe, & rurſus ſcriptum eſt, ut perfecerunt omnia ſecundum legem Moiſis. (*h*) Auditis hæc minuta animalcula, & tenuia volatilia? Vobis ſcribitur, veſtris operibus ſubſcribitur, faciebat: & quando, FECIT, ſummum eſt. Reginæ autem veſtræ non calamus humanus, ſed æternus expreſſit typus, perfecit, implevit. Ite contra ardua fortes, & ad Dei præceptum elevamini Aviculæ, nidus, nidus vos æternæ pacis expectat, quem cum attigeritis, migrabitis in grandes obedientiæ Aquilas, & inde contemplando eſcam, ſaturabimini. Rectè Gregorius, (*i*) ad

(*d*) *Luc.* 2. 39. (*e*) *Hyeron. Serm. de B. V.*
(*f*) *Ezech.* 17. 1. 2. 3. (*g*) *Luc.* 2. 22.
(*h*) *Luc.* 2. 39. (*i*) *Greg. l. moral.* 31. *c.* 19.

ad præceptum Dei elevatur aquila, dum jussionibus divinis obtemperans in supernis suspenditur fidelium vita.

§ 8.

QUis nobis tribuat, ut Deus oculos nobis revelet, quanta excipiant in hoc & altero mundo, obedientiam præmia, inobedientiam supplicia? (a) Quasi super duos montes elevatus animo, duas vidit Matres, unam cum præmiis, cum pœnis alteram, & exclamavit calamo Augustinus, *sola obedientia tenet palmam, sola inobedientia invenit pœnam.* Augustino quoad primam partem acclamat Aquinas Doctor, (b) si quis inquiens, martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hæc ordinaret ad impletionem divinæ voluntatis, quod certè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent. Sicut, nec si fierent sine Charitate, quæ sine obedientia esse non potest. Hactenus ille. Jam verò quia omnibus peccatis inobedientia assignat pœnas, respice cœlum & Paradisum. De cœlo dejicitur, per terras ad inferorum carcerem conjicitur Princeps cum sequela Angelorum: Cur verò? iuxta plurimum probabilem sententiam Theologorum, (c) quia meritum perseverans ad tempus à divina voluntate præfixum, sed obscurum, ponere detrectavit. (d) Ergo tota divinitatis dextera &

(a) *August. in Psal. 7. conc. 2.* (b) 22. q. 104. *ar.* 3. (c) *Suarez, de Angelis.* (d) *Rupert. in Gene.*

virgâ ferreâ percussus, clamat mundo: inobedientia invenit pœnam. Caput nostri generis, ipse quoque sensit eum conjuge, longam pœnarum catenam & disciplinam. Quis hanc invenit? inobedientia. Pomum decerpsit vetitum, & virgas recepit, quas noluit. Jam verò in altero seculo, ad quod suspirat spes nostra, quis recognoscit palmas, & pro palmis ac victoriis reddit coronas? Item obedientia. A Sene Evangelico hodierno, transeamus ad 24. Seniores cœli Apocalipticos. (e) Ille dum Spiritui monenti ire ad templum paret, videt, tractat, ulnis gestat Salutare Dei, lumen gentium gloriam Israël. isti autem in capitibus coronas, in manibus cytharas gestantes, ostendunt obedientiæ virtutem & fructum Ubi virtus quæris? in manibus. Ubi obedientia? in cythara. Greg. Nazianzenus, (f) mundum hunc ingentem vocavit citharam. Cur verò? quia ordinatis ritè creaturis ille constat ut chordis, & nunc lætum, nunc triste resonat, prout eum sibi subjectum vis divina temperat, & ad concentum instruit. Haud aliter vir obedientiæ, paret Deo utrobique, sive is ad lætam harmoniam, sive ad tristem lessum disponat. Vis ergo cœli cum Senioribus implere sellam curulem, & diademate cinctum portare verticem? tene cytharam, resona obedientiam, & simul revoca tibi in memoriam, ille qui his paratum cor meum DEUS dixit, exurge cithara clamavit. (g) Nempe ad glo-

(e) *Apoc.* 4. 4. *Apoc.* 5. 8. (f) *Nazian. orat. de Trin.* (g) *Psal.* 107. 1. 2.

gloriam resurrectionis, venitur per instrumentum citharæ Deo obsequentis. Salve igitur dic MARIÆ obedientiæ REGINÆ.

ARTICULUS VI.
REGINA ASSUMPTA.
§. I.

INtravit JESUS in quoddam castellum & Martha suscepit eum. (*a*) Quid autem egit Jesus antequam in Bethaniæ castellum sese intulit? Recitat S. Lucas, (*b*) quia oblatam de vita æterna quæstionem, cuidam Pharisæo resolvit, & quid faciendo eam consequi possit monstravit. Post hæc autem in Bethaniam intravit, ut benè advertit Card. Toletus, (*c*) SS. autem mater Domini dum dignè in cœlis recipitur, de Bethania, hoc est de domo obedientiæ, scilicet Ecclesia militante exit, & in Bethel sublimi, hoc est domo Dei altissima ut est empyreum cœlum, excipitur. An item monstravit nobis quid faciendo vitam æternam adipisci queamus? Clarissimè: testis est Ecclesiæ cantus, de ipsa resonans, cujus vita inclita cunctas illustrat Ecclesias, (*d*) In quo verò? utique principaliter in rectissimo cœli itinerario. Accepit illa in æternis arcibus, expressa morum suorum præconia, sed & reliquit in valle lachrimarum peregrinantibus impressa

(*a*) *Luc.* 10. 38. (*b*) *Luc.* 16. *à.* 6. 25.
(*c*) *Tolet. in c.* 10. *Luc. annot.* 64. (*d*) *In offic. de Con. & Natal. B. V.*

pressa Sanctitatis vestigia, quorum ductu melius quàm filo Ariadnæ Theseus, (e) & labirinthum evadere possimus errorum, & revelata facie gloriam Domini speculari atque intueri. Hinc illi infiniti greges & chori electorum, post illam funduntur, post illam in odorem morum & virtutum ejus currunt, & supernæ vocationis bravium comprehendunt. Porrò Christi Domini in Bethaniam descensus, omninò regius extitit. Et quia antecedenter Pharisæo introitum in regnum æternæ vitæ aperuit: & quia curis distractæ Marthæ, (f) unum necessarium (quod est optimum, quod auferri non potest, quod regium & divinum est) esse docuit. Nec dubitandum MARIÆ in cœlos assumptionem, omni Regum pompâ eminere; (g) utpote, quia ubi reges finiunt, ipsa inchoavit suam nunquam occasuram majestatem. Eapropter surge terra, & conjunge cœlo voces, plaude manibus, exulta cantibus, congemina, Salve Regina.

§ 2.

UNum est quod matris divinæ in Bethel introitum, ab introitu filii in Bethaniam distinguit. Ille pedes intrat, ista curru provehitur. Non mirum. Ille in terris formam servi portabat: ista de vinculis terrenæ concretionis absoluta, formam manifestæ Reginæ induerat: reges autem decent currus. (a) Vehitur Sesostris

(e) *Plut. in Thes. Virg. 6. Ænei.* (f) *Luc. 10. 42. Greg. l. 1. in libr. Reg. c. 4.* (g) *Aug. Ser. 27. de Verb. Domin.* (a) *Herodot. in Thalia.*

ſoſtris Rex Ægipti in triumpho, & currum ejus quadriga Regum trahit. Rex Latinus, ſolemne jusjurandum excepturus atque editurus Trojanis, (*b*) quadrijugo vehitur curru, in formam Solis ornatus. (*c*) Pharao dum Proregem Ægypti Joſephum renunciat, poſt ſuum primum, ſecundum currum eidem concedit. Sponſus Sponſæ acclamans, (*d*) in curribus Pharaonis aſſimilavi te inquit, amica mea. Ubi Bernardus. (*e*) Ecce in una anima Sancta quanta acies, quanta numeroſitas triumphorum? Alii interpretes ſic, fortitudine ſimilis es equitatui, & curribus meis armatis, (*f*) & falcatis, quos habeo ex Ægypto carò comparatos. Si ergo reges & reginas decent & ornant currus, an MARIA dum cœlos petit, in curru triumphali non fulget? (*g*) Porrò olim inſignes Sponſæ in domum Sponſi curru transferebantur. Hoc enim & genialem pompam decebat, & ſponſos mutuam bonorum ac malorum Societatem nec non ſufferentiam docebat. Ut enim cum duo unum currum poſſident, evenit aut ut uterque commoditate itinerandi, ſi currus placidè volitet, (*h*) fruentur, aut ſi caſu aliquo ille evertatur, uterque ad terram effundatur, atque illitatur: ita nuptiali vinculo illigatos oportere æquo animo, ſublimem ac humilem ferre fortunam. Et quemadmodum Ægyptiæ equæ, refe-

(*b*) 12. *Æneid.* (*c*) Gen. 41. 43. (*d*) *Cant.* 1. 8. (*e*) *Bern. Ser.* 39. *in Cant.* (*f*) *Menoch. in c.* 1. *Cant.* (*g*) *Salas. in Cant. proleg.* (*h*) *Salas. in Cant.*]

referente Sanchez, (i) curribus alligatæ regiis, aptiſſimè jugum ſubibant, æqualiter nitebantur in curſu, ſibique viciſſim ita conſentiebant, ut inter ſeipſas ipſæ, & una cum curru quaſi coaluiſſe crederentur: ſic conjugibus neceſſe eſſe, non modo in ſocietatem operum atque actionum conſentire, ſed præterea in eosdem ſenſus & cogitationes animo, in idem velle & nolle, appetitionibus, conſpirare. Quem ipſum gentium morem, ſuo uſu conſecráſſe legitur Deus, is enim tracturus Sponſa de Ægypto, (k) & per deſerti invia, in montem Sanctificationis ſuæ inducturus, in unius currus conſortium illam ſecum aſſumpſit, unde oculus propheticus. Currus Dei, inquit, (l) decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis, in Sina, in Sancto. Currus iſte Dei, currus prius triumphalis, poſtea nuptialis, prius enim Deus hoſtem ſuæ Sponſæ devicit, poſtea eam liberam, & gaudentem ad ſui Sanctitatem conjugii pertraxit. Cum enim currus Pharaonis infernè ut inquit Lira (m) redeuntibus aquis, deſuper autem tonitruis & fulminibus perſtrepentibus evertit ac ſubmerſit, Deus tunc velut victor currum triumphalem conſcendit, & ſe gloriosè magnificum, terribilem & fortem declaravit. (n) Quando verò legem daturus in montem Sina deſcendit, comitatus Angelorum choris lætantibus, & aciebus ignem ac tonitrua fundentibus,

(i) *Sanchez. in c. 1 Cant. n. 56.* (k) *Agell. in Pſ. 67. Bellar. Sanch. ibi.* (l) *Pſal. 67. 18.* (m) *Lira. in c. 15. Exod.* (n) *Genebr. in pſ. 67.*

bus, tunc ſponſam ad currum Gratiæ ſuæ invitavit, & quibus legibus inter eos conſtare & niti deberet amicitia, propoſuit, monuitque ſimul, ſi ſibi fidelis in fædere novæ conjunctionis futura eſſet, (o) habere ſe currum Gloriæ, quo primum in terram lactis ac mellis, deinde in terram ſublimiorem viventium eam transveheret. Quod ſi homines ſuas ſponſas, & Deus ſuam quam repudiavit amicam, curru excepit, & vexit, quale exiſtimamus vehiculum, à Spiritu S. MARIÆ eſſe inſtructum, in quo ipſe cum illa, tanquam Supremus Sponſus, cum Suprema conſorte thalami conſideret? Quid non excogitavit Salomon cum filiam Pharaonis, fœdere connubiali ſibi adſcivit? at Spiritus plusquàm Salomon, & MARIA, plus quam Ægyptia Regina.

§ 3.

CÆterùm eam ob cauſam, ſuperbo ad gloriam curriculo, Reges & nobiles ſuas transvehebant ſponſas, quoniam eas ut reginas, & invictas Amazones exiſtimabant. Namque ut referunt non pauci, priſci olim homines, ſponſos reges, (a) & ſponſas reginas vocabant, neque alio ritu Sacra nuptialia ab iis celebrari ſinebant, niſi verticibus coronas præferrent. (b) Quo fine? in teſtimonium & præmium cultæ Virginitatis à Sponſa, & temperantiæ à Sponſa. Cenſebant enim matrimonia non feliciter cohærere, nec corda ſponſorum irrupta charitate ligari, ſi ante

(o) *Valent. in pſal. 67.* (a) *Tertul. l. de coron. mihi Perſ. ſat. 2.* (b) *Alexa. Alex. l. 2. c. 5.*

ante jugum matrimonii vagis libidinibus vacauiſſent, ea verò fortunata & in gloriam profectura credebant, quando Sponſus uni maſculus, & Sponſa uni fæmina accederet: inde enim boni ominis & nominis ſpeciem & laudem ſumi oportere. Et verò ſi miles mereretur lauream ex eo, quia fortiter in hoſtem feciſſet, (c) certè juſtius illis reddendas rebantur coronas, qui fortes in ſe ipſos fuiſſent. Et ſi rex ſolium ſuum occupaturus, diademate nitere deberet, ille magis coronam meruiſſe judicabatur, qui difficillimæ & ſimul glorioſiſſimæ virtuti in ſe ſedem ac velut thronum excitâſſet & vixiſſet. (d) Laudo hæc vehementer coronarum feſtivitatem, quæ certè ſi fallebat in ſponſis præſentibus, multum boni operari poterat in futuris. Excitari enim poterat acerrimè utriusque ſexus juventa, ut ad conſervandam Caſtimoniæ gloriam nequaquam torperet, ſed meminiſſet, olim adfuturum tempus, quo coronata eorum publicè Virtus, fructum laudis referret maximum; expectare eos currum nuptialem quaſi currum triumphalem, quo victores luxuriæ, quo reginæ vitiorum potentiſſimæ, quo Reges carnis ſuæ triumphaturi eſſent. Quodſi vernacula pudicitia ejuſmodi publicos merebatur honores, quæ deſitura erat, ſæpeque cum animo non cohærens: Quantam putamus gloriam in cœleſtibus ſpatiis conſecutam virginem, quibus coronis oneratam, quibus floribus effultam, (e) quantis liliis ſuum currum

---

(c) Stobæus Serm. de coniug. *(d) Hyeron. in Epiſt.* *(e) Beda. Ser.*

currum triumphalem instauratum, quæ, gaudia matris habens cum Virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem? olim foribus tricliniorumRomanorum, S.T. literæ præfigebantur, (f) quibus silentium indicebatur: nostra autem omnis loquendi potestas, oportet ad gloriam assumptæ conticescat. Qui de cœlo est novit cœlestia loqui, qui terra est, non potest cultius honorare cœlestia, quam si linguæ, vinculum silentii injiciat.

§ 4.

ENimverò non egebat Virgo Sancta, qua Sponsa & Regina, ut curru provecta nuptiali & triumphali, cœli civibus sese præsentaret, ipsa sibi enim magnus triumphum, ipsa grandis & splendidus currus erat. Habent hoc Sancti, inter Sanctos, serenissimi, ut ipsi currus & Aurigæ vocentur Regii & regnorum. Cernens relictus Elisæus, quomodo Pater suus Elias, igneo provectus curru, per turbinem ascenderet in cœlum, (a) *Pater mi, pater mi, currus Israël & auriga ejus*, exclamavit. Decumbit deinde Elisæus in lectulo extremo, & visitans eum ac flens Rex Joas compellat, iisdem item verbis, (b) *Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga ejus.* Currus vocantur Sancti, quoniam sustentant regna ut currus, insidentem, sustentant verbo monentes, exemplo prælucentes, præcibus interceden-

(f) *Plut. in moral. Pierius hierog. l. 36.*
(a) 4. *Reg.* 2. 12. (b) 4. *Reg.* 13. 14. *Incognit. in ps.* 67.

dentes, meritis divinam Iram detinentes. Aurigæ autem dicuntur, quoniam eorum minimè erronea Sapientia, & Prudentia, verum finem intendens, (c) dirigit cæteros in viam pacis temporalis atque æternæ. Pridem regna corruissent nisi Sancti fulcirent & ignorarent homines quo se verterent, (d) nisi Sancti tanquam scintillæ Dei in mundi arundineto discurrerent (e) ac prælucerent. (f) Joannes Geometra insignis laudator Reginæ hujus, vocat eam currum Eliæ rapidis virtutum quadrigis concitum. Audis currum, intellige MARIÆ capacitatem, & sustinendi ponderainvictam facultatem. Portat currus Reges, portat MARIA, præter reges, etiam regna. Sustinet currus onera quibus est par. Maria autem quæ Agnum Dei peccata mundi tollentem sustinuit, quotquot eam invocant peccatores, ne ruant in profundum, moratur ac retentat. Optavit Themistius, (g) *ut reges subditos tanquam pretiosum depositum tractarent* & custodiant. In hoc veró nec Regum nec reginarum ulla æquare potest MARIAM. Quare etiam infinitæ ex toto orbe illi clamant animæ, me in tuam benedictam fidem, & singularem custodiam, hodie & quotidie commendo. Currus eminet supra terram totus, rotæ autem minima sui parte, & raptim terram tangunt. (h) Si quis autem, stans in terra, in cœlis versabatur, versa-

(c) *Lyran. in 4. Reg.* (d) *Fulgent. Serm.*
(e) *Sap. 3. 7.* (f) *Geomet. hymn. de B. V.*
(g) *Themist. apud Stob. Ser. 46.* (h) *August. de charit.*

versabatur MARIA, siquidem Deum super omnia atque omnes diligebat. Aliorum quanquam *religiosa corda* inquit M Leo, (*i*) *necesse est in humano pulvere sordescere*: Virgo autem in ipso actionum humanarum pulvere aurum tractabat, sordes non contrahebat. Fabulosè Midas (*k*) ille quicquid tangebat in aurum vertebat, (scilicet avaritiæ affectu, non effectu) at Virgo cum tractaret non aurum, in aurum sed divini ordinis transformabat. Quare etiam meritò Solis currus vocanda, de quo vates

(*l*) Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Jam verò currus Eliæ hoc singulare continebat, quia totus de igne lucidissimo constabat, qui lucendi facultatem habebat, non item, præsertim insessorem suum exurendi. In tota vitæ MARIÆ, quid erat, quid cernebatur nisi ignis & ignis? auro enim ignitæ charitatis tota perfusa radiabat, ignem aureum omnibus spergebat, vim boni exempli præbentem, asperitate conversationis nequaquam Urentem. Et sicut teste Chrysostomo, (*m*) *post Spiritus S. receptum in Apostolis, lutum otiabatur, ignis loquebatur*: ita quia MARIÆ nunquam non aderat virtus S. Spiritus, quicquid loquebatur, quicquid operabatur, & secum meditabatur, ignis erat, charitas erat, scandalum quod alios macularet non erat. Sublimi conceptu de ea Honorius (*n*) Augustodunensis dixit:

(*i*) Leo *Ser.4. de Quadr.* (*k*) *Natal. comes mythiol. l. 9. c. 15.* (*l*) *Ovid. metam.* (*m*) *Chrysost. in c. 2. Actor.* (*n*) *Honor. in sigillo. c. 1.*

dixit: *Virgo erat meridies, de Spiritu S. splendens ac ferbens, in qua Christus declinabit æstum libidinosorum.* Intellige nunc munde, qua tu ratione potissimum molestiam in cœlis sedenti creesDeo. (o) Clamor Sodomorum immundorum ascendit in cœlum, & detraxit Deum ad nubes ignis & Sulphuris: Sed & tuæ libedines quas tu in angulis ac tenebrosis latebris multiplicas mittunt sulphureos ac male olentes ignes in cœlum qui urunt ejus patientiam, simulant ejus vindictam, & ubi eos declinet in cœlis locum non invenit gratiorem, atque Secretarium & Sanctuarium suæ matris: fatigatus tuis incendiis, propter quæ terra illi fœtet, intrat in Meridiem matris: ibi nullum opus noctis, nullum desiderium aut cogitatum videt & invenit tenebrarum. Tota est splendor sine macula, tota feruor sine remissione, tota Miraculum & opus Spiritus Sancti, sine notâ ingratæ carnis. O Sancte & semper pulcher meridies, quibus te laudibus explicem nescio. Sit sanè Elias oriens Spiritus S. quia convertit corda Patrum in filios, & ferè post occasum, reduxit cultus divini diem: (p) Sit Jobus lumen Aquilonis qui in medio gentilitatis frigore, & profunda caligine, in terra Hus reluxit: sit Latro in cruce moriens & Christum confitens, Spiritus S. occidens: at Virgo à primo vitæ diluculo ad diluculum alterum ævi sempiterni, Spiritus S. fervens & splendens meridies. O qualis videte, est iste currus? quem totum lux meridiana componit.

§ 5. Cæte-

(o) *Genes.* 18. (p) *Luc.* 1. 17.

§ 5.

CÆterùm currus iste Reginæ nostræ, constat non qualicunque, sed virtutum ejus quadriga. Sic enim ait Geometra: *MARIA currus Eliæ rapidus virtutum quadrigis concitus.* S Bernardus (*a*) in festo Assumptæ expendens illa Canticorum verba, quæ est ista quæ ascendit de deserto, quatuor enumerat quæ Virginem evexerunt, & in ipsa, ut alios evehant, remanserunt, nempe *virginitatis decus, fœcunditatis munus, insigne humilitatis, distillans Charitatis favus*; hæc enim quatuor & potenter trahunt sursum, & celeriter, sive rapidis ac concitatis motibus locant in summo rerum fastigio. Et verò decus Virginitatis quo raperet virginem, nisi unde descendit ad Virginem? Quoniam autem erat super Angelos, (nam inquit idem Bernardus meruit Spiritus fieri S. sacrarium & habitaculum filii Dei) ita & fœcunditatis munus, fide fertile, magnanimitate nobile, obedientia illustre, quo deduceret Virginem, ubi deductam collocaret, nisi ubi suæ fœcunditatis gloriæ, augustus partus residebat? Jam insigne humilitatis, nonne inpetum sistere debuit provectionis in summo, quæ descensu suo depresserat se in imum? Denique favus Charitatis cui cedere oportebat, cui offerri, cui uniri, nisi illi qui ultra omnes fel amaræ passionis gustavit? Ego verò & alias quatuor virtutes quæ Virginem ad inacessum provexêre sublime invenio, quatuor vitæ ejus partibus, scilicet con-ceptioni

(*a*) *Bern. de assump. B. V. Ser. 4.*

ceptioni & natali, tractus vivendi & morti Sacræ respondentes. In conceptione reperio puritatem, in natali lætitiam, in tractu vivendi, augmentum crescendi, in mortis articulo, perseverantiæ prærogativam. In conceptione sua divisit se itinere suo ab omni Adam anima: nos enim in ortu primo descendimus in barathrum & chaos magnum primi peccati, utpote in concupiscentia carnis concepti, & singulari favore non præredempti: Virgo contra: Nostra Nativitas incipit à fletu, & seminat matri dolores, aliis lachrymas, Virginis autem sicut conceptus sine labe, ita nativitas sine dolore, ut meritò illi acclamet & cantet Universalis Ecclesia, (b) *nativitas tua DEI genitrix virgo gaudium annunciavit in universo mundo.* Unus est inter natos mulierum, qui natus fecit gaudium, non omnibus tamen sed multis, multi inquit Angelus in nativitate ejus gaudium. At Virginis nativitas gaudium annunciavit, & fecit, non Israëlis sed Universitatis mundo. Et quemadmodum puritas quæ conceptionem ejus apprehendit, nunquam dimisit; sic nata cum ipsa lætitia, deinceps confusionem tristitiæ non sensit. Voluit Seneca, (c) *lætitiam domi nasci*, & est non parva fælicitas: at *lætitia domi & nobiscum nata, super omnia triumphat inimicum*, inquit S. Antonius M. (d) Jam vitæ virginalis tractus, an aliquando à crescendi profectu distractus? nos in eo genere pilæ, virgo sagitta. Ut Sagitta de manu potentis excussa in turrim

(b) *In offic. de natali B. V.* (c) *Senec. ep.* 63.
(d) *Athan. in vita S. Anton.*

turrim ligneam, non interrumpit suum ascensum, donec in summo turris fixa pependerit: ita Virgo ibat semper crescens & proficiens, & de virtute in virtutem procedens, donec Deus Deorum in Sion ei videretur. Nos autem sicut in manibus Dei pilæ sumus, ut monebat unus, sic in ascensu & incremento Virtutum pilas imitamur. Excutitur pila in altum, & volat in altum, & mox impetu qui eam vehebat expirante, redit in cænum, cadit in imum: haud aliter noster conatus, evolat parumper ad cœlestia, & relabitur ad infima: Unde etiam meretur sæpe percuti, sæpe impelli ut redeamus sursum, quemadmodum lusores pilam exagitant & verberant, ut repetat sublime, de quo decidit. *Felix qui sciens*, ut inquit Bernardus, (e) *in monte Sion evangelicam esse turrim constructum, per ipsam, humiliato corde, de valle plorationis ascendit in cœlum.* MARIA autem posita in valle plorationis non per turris gradus ascendit, sed ut Sagitta ingenti Spiritus S. conatu excussa volavit in cœlum. Denique virtus finalis perseverantiæ, quanta traxit Virginem? (f) Congregantur Apostoli, convolant primi discipuli, cum Virgo ad ultimum perseverantiæ terminum venit. Scilicet, quæ gratiæ, quæ auxilia, Apostolis & discipulis ac cæteris justis dantur dispersim à Christo in agone ultimo, hæc omnia in matris tutelam morientis congessit Deus. *Rex justus erigit terram inquit* (g) Rex Sapiens: an Christus Rex prima & omni Justitia justus, cum vide-

(e) *Bern. de assu. Serm. 5.* (f) *Damasc. orat. 2. de dormi. B. V.* (g) Prov. 29. 4.

videbat Matrem ſuam benedictam, juxta pondus mortalitatis cadentem corpore, Spiritu non erexit? Hæbræa habet (h) *rex in judicio ſtare faciet terram.* Chriſtus autem quam cadentem erexit, in judicio ſuo totam, & ingenti cum altitudine ſtantem vidit. Nos miſeri mortales, erigimur quidem à Deo, in noſtro ultimo leti caſu, ſed in tremendo ejus judicio non invenimur toti ſtantes: ſed inſtar illius terræ repræſentamur, quæ vallibus & montibus, planitie & hiatu conſtat. *Nos*, inquit Bernardus, (i) *ad murum continentiæ vocamur ut ibi conſiſtamus: deinde ad turrim* (perfectionis Evangelicæ) *aſcendimus*, ſcilicet ut altius & tutius ſtemus: *tandem in culmine quieſcimus.* Maria autem ubi concepta, in muro inventa: ubi nata, in turri perfectionis collocata: quamdiu vixit, de culmine in culmen proceſſit: ubi autem vitam finivit, in vertice montium ſe coronatam vidit.

§ 6.

SUccèdat Joanni Geometræ, alter non minor divinæ Matris encomiaſtes Andreas Ep. Cretenſis. (a) Iſte verò ſic Aſſumptæ gloriam deſcripſit. *Tu*, inquit *currus Dei decem millibus multiplex, qui millia locupletum, ad eum* (ſcilicet incarnatum Deum) *adduxiſti.* Expendamns verba. Currus Virgo multiplex. Cur multiplex? An quia boni regis eſt, non eſſe unum uni, ſed eſſe multiplicem multis? Ubi vulgata refert, *judi-*

(h) *Hebr. vers.* (i) Ber. Ser. 5. *de aſſump.*
(a) *Andr. Cret. orat. 2. de Aſſump. ſeu dormit. B. V.*

judicium determinat causas. (b) Vatablus convertit, princeps coërcet omnes: ecce unus non unus sed multus, quia unus non unum, sed coërcet multos. Tigurina verò eum locnm sic extulit: magnus VIr conficit per se omnia. Ad mentem Platonis, (c) *custos*, inquientis, *sapiens, & boni universalis studiosus, unus est pro multis.* Ideòque phrasi Hebræa principes qui prudentia & communitatis amore excellunt, vocantur *mille*, sive millenarii Cur ita? quia inquit R. Himanuel, (d) is quem alii tanquam magistrum reverentur, & tanquam ducem seqvuntur, *non simplex homo est, sed millenus*, hoc est, tantum solus valens, quantum alii mille. Sed & ipse Rex mundi, habet titulum multi. (e) Ubi enim communiter habetur, *ecce DEUS vincens scientiam nostram*, alia lectio præfert, ecce DEUS multus. Et vere cur principes & reges deceat titulus MULTI, optimam mihi causam videtur reddidisse grandis Græciæ & Sanctus Theologus, (f) populus inquit ille (sensum recito) non est una sed multiplex bestia, bestiæ autem aliæ blanditiis, aliæ minis, aliæ verbere domantur: Sic & princeps hos metu in officio continet, istos præmio demulcet: illos asperè ut contumaces, istos placidè ut bonos regit. Jam autem si quantus sit Virginis currus metiri placet, multitudinem quam illa respicit, ac vehere prompta est intuere. Misericordia Dei a

L pro-

(b) *Prov. 26. 10.* (c) *Plato, dialogo: Civili.*
(d) *Salas. in c. 26. prov. num. 30.* (e) *Job. 36. 26.* (f) *Nazian. orat. 2. apol. contra Julian.*

progenie in progeniem timentibus eum: Sic & Dei Matris charitas progeniem progeniei ſuccedentem colligit & vectat. Una eſt & non una: una omnibus caritate ſubueniendis non una, ſed multiplex; varia ac contraria, neceſſitatibus remedia providendi atque applicandi: Ipſa eſt quæ benè multis determinat Dei judicium: ipſa coercet omnes: ipſa per ſe conficit omnia, quia ipſa eſt univerſale & ſemper coniunctiſſimum DEO inſtrumentum. Ipſa, turris una, & mille clypei: (g) ipſa una & omnia, quia ex ipſa poſt Deum pendet non una, ſed omnis armatura fortium. Quare ipſa currus ſic multiplex ut millia ſuſtinere, & ſurſum efferre poſſit. Nec otiosè addidit Andreas Epiſcopus, (h) currus Dei decem millium multiplex: vel quia alluſit ad illum currum in pſalmo deſcriptum ſexageſimo ſeptimo, ubi dicitur, currus Dei decem millibus multiplex: vel quia illos Virgo Beata ſpeciali complectitur charitate & cura, qui de iis cenſebuntur olim, in patria, de quibus prædixit Propheta, (i) *minimus erit in mille*: & maximè, qui ita ſe centies & millies amant Salutare, ut tamen curent, decem implere. Quæ autem: illa decem de quibus Auguſtinus: (k) quid tenet fides? *ſeptem*, reſpondet, *in donis, decem in præceptis*. Novi ego quosdam malè perſuaſos à Doctoribus non ſatis ſinceris & cautis, qui de obſervantia decem præceptorum parum cura-

(g) *Cant.* 4. §. 4. (h) *Andr. cret. orat* 2. *de dormit.* (i) *Iſai.* 60. 22. (k) *Aug. in pſal. Item tom.* 8. *Ser.* 148. *de temp.*

curabant in omne nefas discincti, & in Spinis an rosis Salutationum Parthenicarum confidebant. Salutatio Parthenica bona est, Salutaris, & frequentanda, sed pungit, dum prodit ex corde & ore pleno spinis, & præteritis, quod est minus, & futuris, & jam in affectu viventibus, quod est majus & horrendius. Laudandus & imitandus est mos S. Apostoli Japonici, (*l*) qui quovis explicato DEI præcepto, subjungebat, Ave cum hac clausula, Sancta MARIA mater Dei ora pro nobis, ut possimus, primum, secundum & decimum seruare DEI præceptum. Ex tali ore procedit speciosa laus Cœlorum Reginæ.

§. 7.

QUid autem ad laudem Virginis facit, quod ipsa, locupletum millia ad Filium carne tectum vehit? Res onerosa dives, tot habet in se plumbi talenta quot argenti aut auri injuste parti lucra. Dives creatura non libera, sed ligata, eo, quo amat, Monet quendam Augustinus, (*a*) *patrimonii quo es ligatus compedes in hac vita resolve, abjice à te divitiarum onera, abjice vincula voluntaria. Dives, sæpe servus mortis, hæres inferi.* Ante me dixit sapiens, (*b*) *qui congregat thesauros lingua mendaci, impingetur ad laqueos mortis*: alia lectio habet, (*c*) *dives injustus venit in profundum inferni.* Montem

 ergo

(*l*) *Horat. Tursell. in vita S. Franc. Xauerii.*
(*a*) *Aug. Ser. 25. de verb. Dom.* (*b*) *Prov. 20. 6.*
(*c*) *Salas, ibi, num, 34.*

ergo plenum plumbo portare, hominem Diaboli & mortis laqueis impeditum, vinculis adstrictum, ferre non est ingens gloria? (*d*) Eliam currus ille Angelicus cum pallio, quanquam honesto & justo, tamen non potuit in Paradysum portare: Virgo autem millia locupletum una sustinet, & expedit & vehit. Quo autem? non solum in cœlum, quod minus est, sed ad Christum pauperem, quod ingentis, miraculi est, Sudant, & algent, punguntur & uruntur parentes, (*e*) ut una tenera cervix corpusculi muliebris saltus & insulas ut inquit ille ferat: ut autem filias ad pauperem Christum adducant, tota mole laborum promissionum, præmiorum non possunt. Venit virgo tangit mentem, rapit prædam, offert pauper, Crucifixo. Intuere S. Elisabeth, (*f*) quæ singulari pietate Matrem Virginem coluit, & exuta regno in claustrum vidua se recepit. In nostra Polonia sub Rege Boleslao (*g*) Ehabri mos inductus, ut ante prælium, acies omnes Pœana Matri V. sacrum cantarent: Stephanus Rex Batoreus sic Virgini affectus ut miles MARIANUS nuncuparetur. Sigismundus III. manu sua nomen suum in album Sodalitatis Parthenicæ Brunsbergensis inscripsit. Vladislaus IV. Conceptæ Virginis ut Varsaviæ erigeretur Sodalitas author fuit, ejusre præfuit. En ut agmen locupletum Virgo ad pau-

(*d*) 4. *Reg.* 2. 13. (*e*) *Tertul. de cultu muliebr.*
(*f*) *Sur.* 16. *novem. in vita. Elisab. Hungar.*
(*g*) *Crom. lib Ver. polon. Christ. Varsavitius in orat. funebr. In albis Sod. B. V.*

pauperem filium suum adduxit. O currus Dei MARIA ô currus! quanta te millia divitum circumstant in cœlis, quanti genere, & gradu, dignitatibus & laureis illustres, pauperis tamen Crucifixi sequela sunt facti & tuum currum coronant, tuas rotas osculis lambunt, tuas habenas venerantur supplices & currui. (h) *In curribus Pharaonis assimilavi te amica mea* inquit Sponsus. Heu! multi locupletes videntur nunc ire post Christum & ad Christum, & articuli esse Sponsæ: qui tamen à Christo recedunt, & ad currum Pharaonis transeunt. Currus Pharaonis ibant post currus Israelis, (i) idem mare divisum transibant, & tamen non evaserunt in littus, sed hausti sunt profundo. Quanti item & quidem non de plebe, videntur exire de Ægypto quia confitentur, interesse Israeli, Agnum enim Dei manducant, ire per mare rubrum, quia ceremoniis Domnicæ passionis assistunt: & tamen cum vitam finiunt, in mari, in mari se periisse inveniunt, quia ad cupiditates quas reliquerunt, redeunt. A curru ergo Pharaonis ad currum MARIÆ se transferant, ipsa ducet, & adducet eos ad DEUM si non pauperem in terris, certi ad DEUM divitem in cœlis: (k) Aliqui locum illum de curribus Pharaonis sic explicant, *in curribus falcatis assimilavi te amica mea*, O, si quæ amica DEO, profectò Regina & princeps Amicarum Dei, habet currus falcatos, quibus falcat & ostendit

 fæna

(h) *Cant.* 1. 9. *Menoch. ibi.* (i) *Exod.* 14 23.
(k) *Cant.* 1. 9. *Menoch. ibi.*

fæna & flores fænis falcat & amputat longa & viscosa multorum impedimenta annorum: postquam autem ista falcavit, exhibet se suo clienti, rhedam Solis ut dixit Geometra: (*l*) rhedam quia vehit: Solis, quia ad lucem perpetuam exponit.

CAPUT III.

MATER MISERICORDIÆ.

Recto ordine titulum REGINÆ sequitur titulus MATRIS MISERICORDIÆ. Reges olim Patres, & reginæ Matres nuncupabantur. (*a*) Græcorum princeps carminis Agamemnonem vocat *patrem populorum*, hoc est regem: Lyricus latinus, Cæsari Augusto scribens, *hic*, ait (*b*) *ames dici pater atque princeps*. Sed & Isaias, regem Messiam describens, vocabitur inquit *princeps pacis*, *pater futuri seculi*: pater, hæc est rex, cujus regni non erit finis. (*c*) Ad regum autem mores, conformiter se habentes Reginæ, dicentur, dictæque sunt regni. seu publicæ rei Matres. Quare scripturæ phrasi non raro, regna vocantur filiæ. (*d*) *Filia Babylonis misera*, hoc est regnum Babylonium futurum est calamitosum: (*e*) filia Judæ, regnum Judæ, filia Samariæ, regnum 10 tribuum.

(*l*) *Geometra. in hymno 3. de B. V.*
(*a*) *Homer.* (*b*) *Horat. l. 1. car. ode. 2.*
(*c*) *Isai. 9. 6.* (*d*) *Psal. 136. 8.* (*e*) *4. Reg. 17. 21.*

um, Ideò verò eo nomine regna ornantur, ut oſtendatur, regem patris, reginam Matris vice erga ſuum populum oportere fungi. (f) Sed & Miſericordiæ, titulus ſequitur & prenſat Reginam & regem. Duo, propria virtus regibus attribuit brachia, alterum ſeveritatis ut plectantur ſontes, alterum Miſericordiæ, ut juventur miſeri inſontes. Verumtamen miſericordia regum, dextrum, ſeveritas ſiniſtrum brachium eſt. (g) Ægyptii ſymbolo ſceptri regiam exprimebant dignitatem, ita tamen ut in ejus faſtigio ſtaret ciconia, in imo hyppopotamus, ferum animal. Illa clementiæ, iſtud vindictæ ſignum. Quanquam ſi rem penitius inſpiciamus, ipſa ſeveritas ultionis, pars miſericordiæ eſt, & habet de ciconiæ pietate multum: ut enim ciconiæ in ſuos exercent pietatem, in ſerpentes autem ferocitatem, quos tamen tollendo, ſerviunt bono ſuo & noſtro: ſic reges impunitam nequitiam non tolerando, oppreſſis injuria dant præſidium & ſolatium. In quo ſe rite ad mores divinitatis fingunt, de qua Hieronymus: (h) *non parcit Deus ut parcat, non miſeretur ut magis miſereatur.* Et Auguſtinus, *tu Domine inquit, etiam vindicans propitius fuiſti.* (i) Viginti quatuor Seniores Apocalyptici vident, in uno Chriſto, & leonem de tribu Juda, & Agnum in ſede excelſa: (k) & tamen non leo terribilis, ſed mitis agnus ab iis ado-

(f) *Gloſſa ibi.* (g) *Pier. hierogl. l. 29.*
(h) *Hieron. in c. 7. Ezech.* (i) *Aug. in pſ. 98.*
(k) *Apoc. 5. Vega ibi, ſect 3, num. 4.*

adoratur. Et leoni quidem acclamatur victoria, qua Sathanam vicit, mortem profligavit: Agno autem defertur ſceptrum & regnum quem miſericordia in crucis ara immolavit. Nimirum, tunc leonis fortitudo & victoria ut dixit unus in Chriſto agnoſcitur, cum manſvetudo agni in eo ſpectatur. Quare miſericordia in regibus, juſtitiæ ſupereminet. Quam igitur reginam prius conſalutavimus, non ſuperbam Principem, ſed humilem Matrem, nec Dominam iræ memorem atque immodicam, ſed clementiæ & miſericordiæ plenam invocemus. Salve, iterumque ac iterum Salve.

ARTICULUS I.

MATER MISERICORDIÆ CONCEPTA.

§ I.

QUod aliquibus pictoribus ſui nominis amantibus evenit, hoc regio Pſalti contigit. Illi volentes Deos exprimere, ſeipſos pinxerunt: David autem dum miſericordiæ virum deſcripſit, ſe ipſum poſteritati exhibuit. De illo ſic iſte. (a) *Jucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in judicio, quia in æternum non commovebitur.* Quibus verbis, miſericordiæ officium, & præmium delineavit. Officium quidem. Nam miſericordiæ, duæ ſunt partes, animo alienæ miſe-

riæ

(a) *Pſal. III. v. 5.*

riæ compati, & bonis externis alienæ calamitati mederi: Vir autem clemens quia miſeretur, compatitur, quia commodat, utilis & beneficus aliis inquit Genebrardus ſentitur. (b) Hoc autem utrumque, non acidè, ſed jucundè ac ſuaviter præſtat, ut decet hominem ex indole rectè miſerendi operari, jucunditas verò ac ſuavitas fatur Auguſtinus (c) miſericordem vegetat nec ſinit ex ore Dei ejici eum tanquam inſuavem. Præmium autem viri iſtius, eſt diſponere ſermones ſuos in judicio, & in æternum non commoveri: Diſponit autem ille ſermones ſuos, (d) vel quia gratiam conſulendi rèctè aliis ac ſibi, ac ore utendi à Deo accipit: aut quia os Miſericordiæ divinæ tanquam Advocatæ pro ſe in judicio divino locuturæ meretur. *Dimittit* inquit Auguſtinus, (e) *Vir miſericors debita ut ſibi dimittantur; dat, ut ſibi detur: commodat ut ſibi reſtituatur: miſeretur ut ſibi miſericordia refundatur.* Quare in tremendo judicio nec confundi nec moveri metuit, quia contra accuſatorum ora, non verborum ſed benefactorum eloquentiam inſtruxit. (f) Sed & de memoria Dei, detergit omnem peccatorum memoriam, imò in eam inſcribet ſe veluti in marmor perpetuum, purum & juſtum. Vide autem quomodo has miſericordiæ conditiones & dotes in ſe expreſſit Pater Matris Miſericordiæ David. Inter opera miſericordiæ ut

(b) *Genebr. in pſal. III. ꝟ. 5.* (c) *Auguſt. in pſal. 3.* (d) *Bellar. ibi.* (e) *Aug. ubi ſupr.* (f) *Bellar. ubi ſup.*

ut est virtus Deo digna, duo eminent, dare egentibus, condonare injurias inferentibus. Hoc colligo ex M. Gregorio, (g) qui fatur ille: *qui dat substantiam, & injurias non condonat, nullam misericordiam facit.* E converso igitur qui dat substantiam & condonat injurias, omnem misericordiam facit. In utroque autem genere, quantus rex David? (h) Ferè puer adhuc dedit se pro gloria gentis, summo discrimini cum carnea turre duellando: centum præputia Phylistæorum ut petiit Saul dedit pro Michol: (i) ut Saulis iram mitigaret, dedit se in longa exilia & incommoda. Miphiboseth filio Jonathæ (k) dedit quotidianam suam regiam mensam, Isboseth Saulis filio cum posset eum opprimere, (l) dedit ut super 10 tribus securus regnaret: (m) denique ut populus haberet ad Misericordiæ Dei asylum recursum efficacem, ingentem thesaurum Salomoni dedit, unde ille octavum orbis miraculum templum scilicet, ædificaret. In condonandis autem injuriis quis cum illo certet? Absoloni condonat fratricidium, Sauli jurato hosti vitam, Israëli perduelli culpam. Et quid non?

§. 2.

EX hoc Patre Misericordiæ concepta Virgo Regina, jure gaudet titulo Matris Misericordiæ. Quoniam autem Mater misericodiæ, ergo sine peccati originalis ærumna. Misericordia enim

(g) *Greg. M. hom. in Evang.* (h) 1. *Reg.* 17. (i) 1. *Reg.* 18. (k) 1. *Reg.* 23. (l) 2. *Reg.* 9. (m) 2. *Reg.* 2.

enim excludit miſeriam. nec in uno corde morari poſſunt hæc duo ſecum hoſtilia. Quæ autem major dici, cogitari, fingive poteſt miſeria, atque peccati malitia? Eſt miſeria quæ digitum, quæ pedem, quæ caput, quæ ruſticum, quæ nobilem quæ regem ſed ſigillatim exagitat atque aſperat, peccati autem miſeria eſt, diluvium mundi. Clara eſt Salomonis & multum conſpicua ſententia (a) *juſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum.* Vide quid affirmet hic Sapiens? Unum peccatum, non unum hominem, ut Cain, non unam urbem ut Trojam, non unam tribum ut Benjamin, non unum regnum ut Pharaonis Ægyptum, ſed multos populos facit miſeros. (b) *Otium gentes, ſimul & beatas perdidit Urbes*, canit Lyricus, ſed ſcelus gentes, ſimul & beatas perdidit oras. Divinè Stagirita docet, (c) *tunc rempublicam eſſe beatam, cum in ipſa beata vita viget.* Vitam autem beatam & ſingulorum ſeparatim, & publice civitatum eam eſſe quæ ſit cum virtute bonis fortunæ inſtructa, ut actionum ex virtute particeps eſſe poſſit. Ex quo colligitur tria ad beatam vitam rerum publicarum concurrere oportere, primò quidem virtutem animi, deinde bona fortunæ, tertio actiones ſeu uſum virtutum. Peccatum autem hæc omnia perdit; virtutem inprimis, quia ſive per exceſſum ſive per defectum ſubruit virtutem: deinde uſum ejus, quia qui ſuccidit radicem, in radice obtruncat flores & fructus: de-

(a) *Prov.* 14. 3. 4. (b) *Horat. l. carm.*
(c) *Ariſt. l. 7. polit. c. 1.*

demum bona fortunæ, quæ pendent de manu divina, *non meretur autem minora bona accipere, qui majora, ut sunt bona virtutis pessumdedit*, inquit Incognitus. (*d*) Porrò noster P. Quirinus externam & temporalem Reipublicæ felicitatem advertit tribus contineri, nimirum, (*e*) *imperio, copis, & multitudine* Civium: quæ omnia ut rapidus torrens vasa papiri, aufert peccatum inducens illas tres tristissimas, pestis, fames belli plagas. Nam pestilentia multitudinem populi diminuit: belli calamitas, honorem & præeminentiam imperandi ut plurimum mutat, fames autem opum copias exhaurit: sicut videre est in miseria Ægypti, quam pecunia, jumentis, agris exutam Pharaoni subiugavit. (*f*) Verum ergo est miseros facit populos peccatum. Quærit causam Aristoteles (*g*) quid spartam perdiderit? quia præter bella, alia studia nescivit: sic civitas facta est pauper, privatos autem legislator fecit avaros. Quare bellum gerentes, erant incolumes: imperio verò potiti perierunt. Ubi interpretes in hunc Aristotelis locum, (*h*) quia Lacedæmonii imperio potiti, quia nullas pacis artes ac studia novissent, superbia, luxu, insolentia & seditionibus inter se perierunt. Quæ ipsa ferè vitia Romanam Rempublicam perdiderunt. Et nunc florentissima regna vastant.

§ 3. Et

(*d*) *Incog. in psal.* - (*e*) *Salaz. in c. 4. prov. nu:* 148. (*f*) *Genes.* 47. (*g*) *Arist. l. 2 c. 7. polit.* (*h*) *Ubertus Gifanius in. l. 2. polit. Arist. in c. 7.*

§. 3.

ET verò nemo proborum eſt, qui non Magnam Parentem de lapſu peccati mortalis & venialis excipiat, atque ab ea miſeriæ ſpecie matrem miſericordiæ vendicet: cæterùm originalis peccati miſeria eam eſſe afflatam aliqui pronunciant. Hoc verò eſt, hoc crimen, ominium infeliciſſimum & miſerrimum, quod non quosdam, ſed omnes omnium ſeculorum regnorumquè populos, beatitudinis copia exuit, maledictionis diluvio involuit. Excepta tamen matre miſericordiæ? (a) *Miſericordias Domini in æternum cantabo*, reſonat Pater ejus David. Cur autem rex Sancte & magne cantabis? (b) *Quoniam dixiſti: in æternum miſericordia ædificabitur in cœlis.* Q. d. tu mihi Deus dixiſti & promiſiſti, ego autem excepi aure, amplexus ſum gratitudine: (c) dixiſti autem, quia de meo ſanguine ædificabitur ingens miſericordia, quæ cœlos implebit, & cum cœlis æternabit. Quæ verò eſt iſta in cœlis ædificanda miſericordia? Reſpondit Euthymius & Nicephorus, (d) de ventre David, fructus ejus qui de miſericordia natus, terras ad tempus, cœlos in æternum, gratiæ operibus, & monumentis juſtorum implebit. Iſta miſericordia ergo eſt Chriſtus. Ad mentem Davidis interpretatio: ipſe enim alibi cecinit, (e) *Deus meus miſericordia mea.* Ad mentem Hyeronimi, qui Chriſtum vocavit gratiam

(a) *Pſal.* 88. 1. (b) *Pſal.* 88. 3. (c) *Lorin. ibi.* (d) *Euthim. in pſal.* 88. *Niceph. ibi.* (e) *Pſal.* 58. 20. *Hyeron. in, c. 2. epiſt. ad Titum.*

tiam ſubſtantialem: Ad mentem Eccleſiæ orantis, MARIA mater gratiæ, mater miſericordiæ. Ad mentem æternæ veritatis. (*f*) Si enim Deus caritas eſt, & qui manet in Deo, in charitate manet, quomodo non vera propoſitio eſt, Chriſtus miſericordia eſt? Unde autem iſta miſericordia in cœlis decreta, in terris nata? Utique quemadmodum homo de homine, & ceruus de ceruo, ita Miſericordia. Pariens autem Miſericordia Miſericordiam, Virgo beata eſt. Et merito: (*g*) Nam mater Miſericordiæ oportet prius ſit in ſe miſericordia. Quid inde? Miſericordia pariens Miſericordiam, oportet ſit Vacua omnis miſeriæ veræ: proinde & omnis peccati. Nam ſicut miſeros populos facit peccatum, ſic & Matrem Miſericordiæ, non reliquiſſet peccatum Adæ. purè miſericordiam, ſed feciſſet miſeram: An autem miſeria cum miſericordia cohærent? Quærunt Theologi, an Adam in ſtatu beatæ Innocentiæ potuiſſet prius venialiter peccâſſe quàm mortaliter? Et plerumque negant: quia beatitudinis ſtatus cum excludat miſeriam omnis peccati ſecum non compatitur. Eleva David vocem, & cum Davide omnes qui honorem Deiparæ diligitis, miſericordias Domini in æternum cantabo: quia Miſericordia promiſſa Davidi, ædificata eſt de Virgine Davidis filia, tanquam de purâ & totâ Dei MISERICORDIA, ſine miſeriâ omnis peccati.

§ 4. Di-

(*f*) 1. *Joan* 4. 16. (*g*) *Ildefons. ſer. de nativ. B. V. vocavit eam, magnam Miſericordiam.*

§ 4.

DIsertè prophetat Zacharias: (a) *erit in diebus illis domus David quasi domus Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eorum.* (b) Nomine autem domus, intelligitur familia seu posteritas David. Namque titulo domus non rarò in S. pagina intelligitur liberorum series. Sic Jacob de se, (c) *tempus est ut faciam domum mihi*, hoc est ut ordinem posteritatem meam. Et Archangelus de Jacob: *regnabit* inquit *in domo Jacob*, hoc est familia, in æternum, Et Nathan Davidi nomine Dei, *fidelis erit domus tua*, (d) hoc est stabilis erit & non deficiens erit ordo Regum de te descendentium. Nunc descende & inquire quando domus David, hoc est familia, ut domus Dei effulsit, in quibus regibus, principibus, personis? Non est negandum, in non paucis personis sobolis Davidicæ viguisse gratiam Sanctitatis, ut Dei imaginem, ita tamen ut domus Dei, & non Dei in iis miscerentur: aliquando Angeli, & aliquando non Angeli. Si enim posteri Davidici seminis non offenderunt Deum gravi culpa, levi tamen eum contristârunt: domum autem Dei decet sanctitudo, & domesticos familiæ ejus innocentia Angelica. Restat ut concludamus, magnificam hanc promissionem non impleri nisi in JESU & MARIA, qui erant de domo & familia David.

(a) *Zach.* 12. 8. (b) *Riber. in c.* 12. *Zach. num.* 11. (c) *Genes.* 30. 30. *ex alia vers. Luc.* 1, 32. (d) 2. *Reg.* 7. 16. *Menoch. ibi.*

vid. (e) Sicut & illa altera per Nathan Davidi intimata. (f) *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum usquè in æternum, ante faciem tuam.* Hæc inquam prophetia non est impleta in aliis Davidis posteris, quorum successio in regibus & principibus ante adventum Christi defecit: Salvata autem est in JESU & Virgine, quorum regnum perennat. Rursus David ipse audita tam illustri prædictione, concludens suam coram Dômino orationem: incipe ergo, orat, & benedic domui servi tui, ut sit in Sempiternum coram te: hoc est sancta & tibi placita (h) Et tamen non modo in filiis David ferè omnibus defecit sanctitas, ut Amone, Absolone, Salomone, & in nepotibus regibus compluribus, sed etiam in ipso David (i) Nam post Dei promissionem factam, & suam orationem, lapsus est adulterii ac homicidii culpâ, quod mirandum. Domus ergo David ut domus DEI, ut familia par angelis, ut benedicta & Sancta semper in JESU & MARIA perseveravit. Quod si virgo domus Dei pars, angelis æqualis, non ergo extra domum Dei aliquando inventa, non benedictione vacua non Angelis odiosa. Ribera Noster, (k) domum David ut domum Dei, ut familiam Angelorum docet in eo fulsisse, quia heroicis virtutibus abundavit, Angelorum vitam imitatione expressit, & Dei voluntatem aliis annunciavit. Ista verò Angelicæ proprietatis

(e) *Luc.* 2 5. (f) 2. *Reg.* 7. 16. (g) 2. *Reg.* 7. 29. (h *Tirinus. ibi. Menoch.* (i) 2. *Reg.* 12. (k) *Ribera in c.* 12. *Zach. n.* 11.

tatis lumina, in nullo posterorum Davidis puro homine, clarius rutilarunt atque in Matre misericordiæ: in qua non virtutes tantum reverendum suum thalamum posuerunt: (*l*) Sed & ipsa dicta est, virtus sanctitas: in qua non imitatio tantum Angelorum apparuit, (*m*) sed Angelis ipsis imitandi datum est speculum & exemplar, denique, cujus non os, non lingua tantùmmodo Dei voluntatem hominibus annunciavit, sed & aspectus, & incessus, & manus, & viscera & ubera voluntatem Dei explicuêre, ut non immeritò dicatur, Oraculum, aut os Dei. (*n*) Quid quod Mater misericordiæ non solum sit de domo David, hoc est de domo Dei, de familia Angelorum, sed ipsa quoque sit domus Dei, domina Angelorum? Quid quod ipsa, dederit Deo domum Davidicam, hoc est carnem ex David? Hæc omnia nonne clamant, domum Dei tot modis ac titulis decet Sanctitudo ab origine in longitudinem dierum, à primo vitæ momento, in æternum.

§. 5.

LAudans Ecclesiasticus virtutes Davidis, (*a*) Regis inquit, *quasi adeps separatus à carne, sic David à filiis Israel.* Adeps in carne fatur Cornelius à Lapide idem est, quod pollen in farina, medulla in osse, flos in arbore, vitellus in ovo, lachrima in vino. Ut igitur adeps præ-

(*l*) *Petr. Dami. Serm. de B. V. Ann.* (*m*) *Idiota de laud. B. V.* (*n*) *Hymn. Græc. item Rich. à S. Laurent.* (*a*) *Eccl.* 47. 2. *Corn. ibi.*

præstantia sua vincit carnem, sic David Israelem virtutibus excedebat. Cæterùm advertere authores, non profano at Sacro adipi Davidis conferri excellentiam, qui cum hostiâ DEO consecratur. Unde Græcus textus habet, (b) *David quasi adeps separatus à salutari*, hoc est ab hostia pacifica, quæ salutare, aut salutis victima dicebatur, (c) eò quod pro salute ut plurimum recepta vel recipienda Deo offerebatur, & vocabatur ut docet vatablus (d) *hostia felix.* In hac porrò hostia, quanquam pars carnium Sacerdoti, & altera Sacrificium procurandi cederet, adeps tamen totus Deo cedebat, & torrebatur. Sic fatur Rabanus. (e) *David gratia Spiritus adeo repletus erat, ut à carnalium & peccatorum consortio in moribus & vita sequestratus, & alienatus fuerit.* (f) Juxta votum ac desiderium suum; Sicut adipe & pinguedine inquit repleatur anima mea. Quis est autem iste adeps animum Davidis replens? Augustinus (g) primò respondet, saturitas pinguis Sapientiæ: hæc enim intellectum animæ impinguat. Deinde saturitas devotionis, quæ voluntatem DEO ut subjicit, sic dulcissimè afficit. Denique saturitas gratiæ quæ ipsam animæ substantiam tangit, condit, implet. Unde Genebrardus (h) locum hunc extulit: *gratia tua saginetur anima mea, & tunc te lætis labiis os meum celebrabit.* Tunc enim

(b) *Græcus text. Eccl.* 47. 2. (c) 1. *Mach.* 4. 56. (d) *Vatabl. in* 47. *Eccl.* (e) *Rabanus. in c.* 47. *Eccl.* (f) *Psal.* 62. 6. (g) *Aug. in ps.* 62. (h) *Genebr. in ps.* 62. *v.* 6.

enim pinguis anima evadit, inquit Augustinus, (*i*) cum à Deo saginatur. Cæterùm David esto aliquando & sæpius adeps Deo sacer extiterit, aliquando tamen, & non adeps, sed caro, nec Deo, sed cuidam PEREGRINO subdita. (*k*) Uriæ uxorem adulterio, Uriæ os ebrietate corrumpit; David caro: Uriam de penna sua projicit in gladium filiorum Ammon, David caro. Decem mensibus in statu impœnitentiæ manet, David caro. Adeps autem Dei arâ dignus frequentissimè, sed maximè, cum Saulem in oculis & manu habet, nec ei oculos suo ferro claudit. Unde Chrysostomus (*l*) propter hoc factum vocat eum Angelum, in cœlo terrâquè illustrem, & millies coronam Martyrii promeritum, Ego verò dicam eum Dei Adipem, plenum misericordiæ succo, uberem clementiæ pinguedine. Jam verò David Pater tuus ô Virgo tam separatus à carne, quàm non tu autem nunquam Caro, semper adeps Deo: nondum nata, & jam separata: nondum concepta, & jam præelecta: inter omnes, una excepta: inter cunctos, una cruce filii tui præsignata, & ne in limine ortus tui læderére à vastante Angelo, una sanguine filii prætincta. Habent isti habent & illi sua privilegia Sancti, prærogativas electi, sed filii misericordiæ, tu mater quia omnem privilegiorum peperisti fontem, omne sanctitatis privilegium, & punctum tulisti. Sequimur

(*i*) *Aug. ubi supra.* (*k*) 2. *Reg.* 12. 4.
(*l*) *Chrisost. homil. de David.*

quimur hortantem tuum Bernardnm: (*m*) *ad MARIÆ fontem sitibunda properet anima nostra.* Ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat.

§. 6.

VIde nunc diligenter quomodo Bernardus Matrem misericordiæ depingat. (*a*) Ait enim & definit illam esse cumulum Misericordiæ, nempe Dei. In cumulo auri nolunt reges deponi, pondus inutilis & deformis saxi, multo minus rubiginem patiuntur versari, imo provident, ne quo casu in massam auri irrumpat rubigo sive ærugo quæ aurum corrumpat. Tantine apud Reges aurum, & non pluris apud DEUM MARIA? In cumulum auri non patiuntur illi venire corruptelam auri, & DEUS in cumulum Misericordiæ, cum posset noluit, cum sciret, detrectavit impedire, misericordiæ suæ rubiginem, infectam miseriam primi peccati? Nova Eva Patribus dicitur Virgo: igitur veteri opposita. Hæc cumulus miseriæ tota, ista cumulus item Misericordia tota. Eva tota primo peccato corrupta, & tota, miseriâ & ærumnâ post peccatum perfusa atque in eam immersa. Corrupta corde, nam natavit in fide: cum dixit; (*c*) ne moriamur forte: corrupta ore nam ausa est fabulari cum serpente: corrupta oculis, nam vidit fructum & videndo se uffit:

(*m*) *Bern. Ser. 4. de Assump. B. V.*

(*a*) *Bern. ubi supr.* (*b*) *Bonav. in quin. Aug. ser. de Nat. B. V.* (*c*) *Gen. c. 3.*

ussit: corrupta aure, nam promissionem pestiferam suscepit: (d) corrupta manu, quia ſpomum vulsit sive tulit: corrupta gustu, quia illud comedit: corrupta tactu, quia pro viro, aliud pomum decerpsit, corrupta affectu, quia sola sine viro errare noluit. Quoniam autem duo poma, unum pro se, alterum pro marito avulsit: post miseriam peccati, miseriam pœnæ & supplicii accepit: tota cumulus ærumnarum. Quoniam reddita est ex illa Paradisi regina, ex illa Matre futura Sanctorum, tota misera, supra, intra, infra. (f) Supra: supra caput enim ejus posuit DEUS virum, cujus imperio ac potestati subjecit: intra, quia dictum est illi, multiplicabo conceptus tuos; in dolore filios paries: infra, quia permissum est ut serpens ejus plantis & calcaneo insidiaretur. Quod si verò Mater misericordiæ, nova Eva, ergo illa tota cumulus Misericordiæ: non peccavit in virgine ullus sensus, non intellectus, non affectus; sed nec pœna habuit locum Non enim prius florem quam libertatem perdidit subjecta MARIA. Joseph: & si illi obedientiam detulit, sic detulit quomodo filius eidem: (g) peperit, sed unum, concepit, sed sanctum, effudit sed sine dolore: serpentem calcavit, non calcaneo tentatorem sensit: denique mortem quam pertulit, filio conformis, & non Evæ pertulit. Hæc itaque totis sensibus & potentiis animæ,

(d) *Gen. 3. 6.* (e) *Evæ duo poma. Glossa in c. 3. Gen.* (f) *Gen. 3. 16.* (g) *Luc. 2.*

animæ, difcolor ac diffentiens ab Eva; an in conceptu fuo par Caino filio Evæ? & non potius ipfi Evæ de latere viri prodeunti? quoniam tota & impermixta, & invariata cumulus mifericordiæ divinæ extitit. S.Hyeronimus illud pfalmi commentans, (*h*) *mifericordia ædificabitur in cœlis*, *nullum* inquit *tempus eft quo non ædificetur mifericordia in fingulis quibusque Sanctorum, & in iis qui de peccato fe transferunt ad virtutes.* An verò fuit tempus quo mifericordia DEI non ædificaret in MARIA mifericordiam? Si concepta in peccati miferia, otiata eft divina tunc mifericordia, quæ tamen in fingulis Sanctis, nullo tempore feriatur. Ædificat mifericordia divina in Sanctis gratiam ad gratiam, tanquam adamantem ad adamantem addendo: ædificat in peccatoribus ad cor reverfis, primæ gratiæ fundamentnm locando: in MARIA autem quomodo? Parcite mihi Sancti Dei, fi vos vocavero angulum Mifericordiæ Dei, & MARIAM cumulum Mifericordiæ Dei, debet ergo differre Mifericordia Dei ædificans Sanctos & MARIAM. Sic illam ædificavit, quomodo Ecclefiam, in Sapphiris fundando: (*i*) fic illam ædificavit quomodo cœleftem Jerufalem. Urbem Comprehenforum, omnem lapidem pretiofum in ejus fundamentum originis deponendo. Non ergo quæras in MARIA lutum peccati, ubi inveniuntur lapides pretiofi gratiarum. Cumulus

(*h*) *Hyeron. lib. 2. adver. Pelagi.* (*i*) *Ifai.* 54. 11. *Jeron. ibi. Sanch. ibi. Pintus. ibi. Apoc.* 21. 19.

lus eſt Miſericordiarum, ordinatè digeſtus, aſcendens ſapienter, finitus DEO & pro DEO, procul itaque inde exulat miſeriæ vel unus laterculus luteus.

§. 7.

POllicita eſt Abigail Davidi: (a) *ſi inſurrexerit homo aliquando perſequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei cuſtodita quaſi in faſciculo viventium apud D. Deum tuum.* (b) Faſciculus viventium Angelome eſt cumulus juſtorum mortalium in hoc mundo patientium, qui ideò preſſuris nunc conſtringuntur ut mutua charitate inter ſe arctius connectantur, (c) & in manu ſui redemptoris conſerventur. Alii nomine faſciculi intelligunt protectionis divinæ ſeriem, qua Deus Sanctos ſuos ſibi adſtrictos complectitur & claudit, ne eorum corpora patiantur pericula, & animæ, Salvos virtutum & meritorum manipulos poſſideant. Et revera in hoc faſciculo corpus & anima David tuta latebat. Corpus quidem, quia toties à Saule appetitus, & pœnè comprehenſus, ſalvus tamen evaſit. Ut cum juſſus in domo ſua occidi, arte & charitate (d) Michol periculo ſe ſubduxit, quæ loco ejus ſtatuam ſuppoſuit, (e) cujus caput pelle hirta capræ flavæ operuit, & loco pectoris iecur ejusdem capræ recenter occiſæ, & adhuc palpitans ſuppoſuit, ut ſic infirmi

(a) 1. *Reg.* 25. 29. (b) *Angelom. in ſtromatibus.* (c) *Lira in* 1. *Reg. c.* 25. *Menoch.* (d) 1. *Reg.* 19. (e) *Joſeph. antiq. l.* 6. *c.* 14.

firmi speciem referret (*f*) Anima item Davidis fasciculo claudebatur ut ipse testatur, *nisi Dominus adiuvisset, paulò minus in inferno habitâsset anima mea.* (*g*) Virginem porrò conceptam num in fasciculo viventium continebat DEUS: num protectionis suæ specialis auxilio, à ruina universalis montis, subduxit ac substraxit? Fuit tam amans mariti Michol, ut eum non sineret â periculo leti comprehendi, ut eum deponeret per fenestram, ut inclamaret, Salva te hac nocte. (*h*) Et minus putabimus à Deo dilectam matrem suam, quam cum posset misericordia prævenire, sivit tamen, ut Joannem ut Jeremiam, originarii miseria peccati obteri & conculcari? De viris misericordiæ deditis scripsit Augustinus, (*i*) magnum quidem & sublimè, sed omninò verissimam. *Ante fores inferni stat misericordia, & neminem misericordem permittit in carcerem mitti.* Quanto magis ante fores inferni, substantialis & infinita stetit MISERICORDIA Christus MARIÆ filius, & impedivit ne serpens victor advolaret, eamquè ut suam stringeret? Stetit JESUS ante fores primæ vitæ Matris suæ, nec permisit in damnatæ nostræ naturæ carcerem eam labi seu rapi. A Patre enim Misericordiarum, natus ab æterno misericordiæ filius, quam sibi præ omnibus elegit, præ omnibus defendit, & merita passionis ac mortis suæ præapplicuit. Imò non solum viven-

(*f*) *Theodor. in l.* 1. *Regum. qu.* 48. (*g*) *Psal.* 93. *v.* 17. (*h*) 1. *Reg.* 19. *v.* 11. 12. (*i*) *Aug. hom.* 39. *in lib.* 50. *homil.*

viventium fasciculo, in primo conceptionis puncto, eam inclusit, sed etiam fasciculum viventium fecit: quia ipsam Generalem omnium Sanctorum Protectricem creavit, & cumulum misericordiarum, ad quam omnis nostra miseria recurreret. Bene eam vocavit Richardus (*k*) *matrem miserorum*, nam quos alii rejiciunt, ac dedignantur aspicere, eos ipsa ardet colligere & stringere. Ego verò dixero matrem Misericordiæ, Cœli vinculum. Nam quicquid in cœlis misericordia Dei ædificat, virgo stringit ut hæreant, continet ne dissipentur. Non usus lectionis, sed usus morum docuit, in iis virtutum cumulum conservari integrè, imò & augeri, qui pietatis studio in Matrem misericordiæ excellunt. Eorum autem benè acta cessare, merita diminui, gratias solvi, & animas dissipari, qui à cultu ejus rectè inchoato & rectius continuato, recedunt. Cantat virgo Deo salutari suo, (*l*) fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: fasciculus quia me misericordia sua præcinxit: myrrhæ, quia cæteris morte præredemit. Ad virginis cultores responsant suo choro illi: fasciculus myrrhæ dilecta JESU mater mihi: fasciculus, quia ipsa me Deo meo adstringit adstrictumque tenet: (*m*) myrrhæ autem, quia usque ad sacram mortem, ad æternitatis incorruptionem. Ut ego

(*k*) *Rich. cap. 23. in Cant.*
(*l*) *Cant. 1.13.* (*m*) *Cant. 1. 13. hebr. textus habet, Ubera, amores.*

inter ubera Gloriosi JESU reponar, ipsa inter primos meos amores commorabitur.

ARDICULUS II.

MATER MISERICORDIÆ NATA.

§. 1.

CUm multos viros gloriosos & Parentes patriæ suæ exornâsset Ecclesiasticus, (a) delapsus ad Principem Zorobabel, quærit quasi dubius. *Quomodo amplificemus Zorobabel?* Ut cum quispiam videt ante se ingens mare, & sibi adesse intuetur parvam naviculam, magnitudine ejus permotus exclamat, quomodo tantum mare trajiciemus? Sic Ecclesiasticus, videns in Duce Zorobabel, ultra hominem, quiddam divinum, excelsum, & grande, quomodo amplificemus Zorobabel exclamat? Fortassis autem sufficienter ille amplificabitur, si ostendatur Pater MARIÆ & JESU. Nam ipse quoque filius divinæ misericordiæ, factus est Pater clementiæ, suæ genti afflictæ, atque ex lacu miseriæ emergenti.

§. 2.

IN multis Zorobabel figuram Matris Misericordiæ egit. (b) Ille in captivitate Babylonica ex Patre Salathiel natus, vincula captivitatis disru-

(a) *Eccl.* 49. 13. (b) *Hyer. in c.* 1. *Aggæi.* 3. *Esdr.* 4.

disrupit, gloriam libertatis, & reditum in patriam asseruit suæ genti exulanti Virgo quoque Mater de captivis nata parentibus, libertatem, non uni sed omni genti attulit. (c) Tenebatur S. Joachim & Anna in vinculis sterilitatis & senectutis, & super hæc compedes maledictionis maritalis gestabat, quando fructum uteri, ut benedictio illius temporis requirebat, non habebat. Verum ubi precibus diuturnis extortam suscepêre unicam, recepêre libertatem & benedictionem. Unde credo cantatum est ab iis, (d) *dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis.* Porrò Zorobabel quando natus, gemina cum servitute est natus: altera corporis quâ Regi subjiciebatur Babylonio, altera mentis, qua originalis peccati catenam ferebat. Virgo autem filia Zorobabel libera carne & spiritu de utero processit genitricis. Nam & benè post reditum in patriam, nata illuxit, & gratiæ ac benedictionis filia supra conditionem cæterorum, lucis usuram hausit. Tres tantum hac libertate illustres retrò acta mundi secula vidêre, Jeremiam, Joannem & MARIAM. Cæterum ex his tribus, princeps & eminentior libertate Spiritus Virgo: Siquidem super alios stillam, (e) super MARIAM autem in utero Sanctificatam Deus rivos gratiarum diffudit, & omnium funium fontem, quibus misera ligatur

 morta-

(c) *Damasc. l. 4. de fide orth. c. 15.*
(d) *Psal. 115. 7.* (e) *Hyer. ad Pama. in apolog.*

mortalitas, aliò avertit. Sublimiter Hyeronîmus, (f) *Vidi ſpetioſam aſcendentem deſuper rivos aquarum: benè* inquit *deſuper rivos aquarum, quia ſuper aquas refectionis educaverat eam Dominus, & nutrierat*, de qua multi educti rivi; omnem irrigant & infundunt hortum voluptatis. (g) Zorobabel non continuò ubi natus, prærogativa Principis inſignitus: Virgo autem ubi edita, in locum Luciferi deſignata, & Domina Angelorum declarata. (h) Nomen Zorobabelis, ſonat Magiſtrum Babilonis, ſive confuſionis, non ponendæ ſed tollendæ. Et reſpondit ille ſuo nomini quando in certamine Sapientum Babylonis, declaratus eſt victor. (i) Cum enim primus Sapientum dixiſſet & ſcripſiſſet inter fortia, fortiſſimum eſſe vinum, alter autem regem, ipſe mulierem & veritatem determinavit & in conſpectu Regis, ac purpuratorum; nec non populi, probavit, & palmam Sapientiæ retulit, (k) judicio regis & populi, à quo etiam oſculum, & cognati titulum, inſuper liberalem ejus voluntatem, ut haberet quod petiiſſet, obtinuit. Quid autem Zorobabelis filia? ipſa item non ſolum Babilonis, ſed etiam Hyeruſalem, nec tantum confuſionis auferendæ, ſed omnis quoque recti ordinis Magiſtra ac

(f) *Hyer. apud Bònav. in ſpec. B. V. c.* 9.
(g) 3. *Esdr.* 4. 43. (h) *Hyeron. Agg.* 1. *c. Ribera in c.* 4. *Zach. n.* 35. (i) 3. *Esdr.* 3. 10. (k) 3. *Esdr.* 4. 41.

ac doctrix. (l) Et quidem uunc in cœlos translata, docet non ore, sed facto, non paginis sed beneficiis ac miraculis Christum summam veritatem, esse fortium Signiferum ac Principem, item se Fæminam super omnes benedictione, ac fortitudine eminentem, ut pote quæ caput Serpentis insuperabile obtrivit, & dilapsis JESU & Ecclesiæ fortibus juxta crucem stetit. Nata verò ostendit, nihil lacrymis contra Deum fortius esse. (m) En enim ipsa Fortium cœli regina non alia vi cœlo deducta, à *DEO* extorta, nisi potentia lachrimarum. Flentibus enim, & diu lachrimarum profluvio laborantibus ejus Parentibus, ipsa concessa. Rectè exclamavit Petrus Cellensis: (n) *ô lachrima humilis, tua est potentia tuum regnum.* In quem verò? In cœlum, in Deum: tu inquit alter *vincis invictum, ligas omnipotentem.* Quanta virtute? æmulâ Christo passo: *lachryma* fatur Augustinus, (o) est *vicaria passionis Christi.* Audi jam bis curue in senium & vitium munde, & ad cunas Matris misericordiæ natæ te tota aviditate aurium extende atque appende. Tu quæris gratias per jocos, & cum non invenis, imo cum loco gratiæ, odium contrahis, sero lamentaris cum Salomone, (p) risum reputavi errorem, & gaudio dixi quid frustra deciperis, & de-

(l) *Bonav. in psalt. Bern. sign. magnum serm.*
(m) *Damasc. ubi supr.* (n) *Petr. Cellen. l. de panib. c. 12. Chrysol. ser. 64.* (o) *Aug. ser. 11. ad 33. Eremi.* (p) *Eccle. 2. 2.*

& decipis: Qua re gratiam per lachrimam, & si apud hominem (si tamen homo est & non petra) eam non repereris, apud Deum semper nancisceris. Flevit Ezechias, & movit Deum, ac revocavit vitam, (q) & retrò egit Solem: flevit Petrus amarè, & consolari meruit dulciter. Verè Antiochus. *Ubi lachrymæ, ibi exorabilis Dei clementia.* Sed & vos Parentes, discite secretum, accipite dum Virgo Nata pandit misterium. Si vultis dignam Deo, caram vobis, æternitati scribendam accipere prolem, mollite Fæcunditatis omnis datorem lachrymis. Percussa Petra, Moisis virgâ dedit fontem, & cum fonte melle saturavit Israelem: (r) ita & Pater Patrum vestris percussus lachrymis, quanquam aliis durus, fundet refrigerium vestræ senectuti, & monumentum suæ gloriæ. Flevit sterilis Anna jugiter, & idcircò inquit Chrisostomus (s) sterilitatem eius in fæcunditatem mutavit Deus, & quasi è duro quodam saxo, agrum fertilem reddidit. Lavit David (t) per singulas noctes lectum suum & ideò inquit Ambrosius tantam gratiam meruit, (u) ut ex ejus familia Virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet. Multi per risum & vetita gaudia quærunt prolem, & dum nolunt, lachrymas & pudorem natum vident, plorant & erubescunt. Maria de lachrimis nata Jo-
achim

(q) 4. *Reg.* 20. 3. *Ambr. ser.* 46. *Antioch. h.* 10 *de compunct.* (r) *Exod.* 17. 6. (s) *Chrisost. h.* 6. *in Matth.* (t) *Psal.* 6. 7.
(u) *Ambr. l. de pœnitent. c.* 8.

achim & Annæ, gaudium fundit, & risum annunciat universo mundo. Vos cogitate Parentes: si potuit lachrima, apud Deum excavare & educere MARIAM, quomodo eadem non poterit obtinere, minorem aliam prolem.

§. 3.

VIdet penultimus Prophetarum, (a) unum ingens candelabrum auro fulgens, septem lucernis ardens, (b) cujus à dextris & sinistris duæ stabant ex auro fusæ oleæ. Non paucorum interpretatione, hocce candelabro Respublica Judæ præcipuè tribus designabatur, quæ in mundo, velut in Dei templo, regnis clarius cæteris extabat & fulgebat. Auro ejus summum pretium figurabatur. Ut enim auri valor cætera metalla vincit, sic Judaica respublica, igne tribulationis Babylonicæ excocta, & à scoria falsæ religionis libera, pretio suo regna mundi vincebat. Lampades ejus magistratus signabant, lux autem de candelabro procedens, lucem veræ ac solidæ pietatis indicabat. Quid autem duæ olivæ, juxta rostra aurea candelabri sitæ denotabant? Rogatus super hoc Angelus, (c) *isti sunt*, respondit, *duo filii olei, qui assistunt dominatori universæ terræ.* Obscura hæc Angeli responsio, ingens inter expositores Sacros excitavit certamen, (d) nunc

 missis

(a) *Zach.* 4. (b) *Liran. in c.* 4. *zach. Cyrillus in collectaneis. Sanch. Tirin. Menoch. Rib. in. c.* 4. *Zach.* (c) *Zach.* 4. 14.
(d) *Lir. Cir. San. Tir. Men. ubi supra.*

missis aliis opinionibus, dicimus Zorobabel & Josuam hisce olivarum spicis exprimi, quorum ille curiam iste aram regebat. Quam verò ob causam Zorobabel signo olivæ exprimitur? oleo similiter & oleâ tam in divinis quàm in profanis literis misericordia explicatur, & tanquam suo symbolo indicatur. Ramum oleæ refert Noe emissa columba, (*e*) & Ambrosius explicat, *hic ramus erat divinæ misericordiæ insigne.* Ex numero decem virginum, quinque sufficiens ad lampades alendas sumpsere oleum (*E*) aliæ non, & ideò illæ ad nuptias receptæ, istæ à sponso exclusæ, quia fatur Chrysostomus (*f*) virginitati carnis, misericordiæ oleum adjungere noluerunt. (*g*) Olim cum Diis supplicabatur, & eorum clementia quærebatur, alas altarium soliti erant gentiles insternere ramis olivarum. Rursus victi, à victoribus parci sibi volentes, non lauri sed oleæ frondes manibus prætendebant. Zorobabel autem & filius misericordiæ divinæ, & Pater humanæ. Filius quidem: nam ut ait Gaspar Sanchez (*h*) ipsum Deus speciali sua ex misericordia excitavit, & gratiæ suæ donis ac privilegiis unxit & consecravit, ut posset condigne reducis de captivitate populi onus portare, sicut & portavit suaviter & fortiter. Pater autem misericordiæ: quia ipse jugo exutum populum, jugo dominationis

(*e*) *Gen.* 8. 11. *Ambr. l.* 3. *de arom.* (*E*) *Matth.* 25. (*f*) *Chrysost. ibi.* (*g*) *Ovid.* 7. *meta. Æneid.* 8. *Liv. dec.* 1. (*h*) *Sanch. in c.* 4. *Zach. n.* 14.

tionis suæ non aggravavit, sed potius facilis, benignus, & accessus omnibus, sui amorem auxit. An verò Candelabro candelabrum non successit, sicut Synagogæ Ecclesia successit? an 7 lampades amplius non lucent, sed cum Aarone & altari ejus æternam noctem acceperunt? an oliva non venit post olivam, fundens oleum, ungens populum? Zorobabeli filia ejus MARIA successit, filia item & mater olei. Audio S. Toletanum Archiepiscopum, (i) cujus vox me recreat, & excitat. *Honorabilis* inquit *dies, & Sacra festivitas, in qua nata est Virgo MARIA, Dei genitrix. Hoc est gaudium, hoc felicitas nostra quia quando voluit, fecit Deus, ut nos per suam magnam Misericordiam scilicet per virginem visitaret. Exultemus & lætemur omnes in celebratione hodiernæ festivitatis, in qua Redemptor omnium visitationem mirabilem inchoavit, & nos de captivitate ad pristinum revocare locum dignatus est.* Sic ille. Ex quibus verbis colligis, Virginem natam non solum filiam sed etiam Misericordiæ Matrem censendam esse, (k) eamque non misericordiam utcunque, sed magnam Misericordiam dici debere: utpote per quam, non de captivitate temporali & carnali, ut Judæi per Zorobabel sed de captivitate sempiterna & animorum, genus universum Adæ esset expediendum. Quapropter acclamandum illi festivis vocibus, Salve filia Misericor-

(i) *Ildefon. serm. de nativ. B. V.* (k) *Ildefon. in ser. de nativit. B. V.*

diæ divinæ: benè veniat in nomine Domini, mater Misericordiæ.

§. 4.

MEllifluus Doctor Bernardus (*a*) tria munera & nomina oleo assignavit, nempe quod sit cibus esurientibus, lux in tenebris, medicina vulneribus. Hæc autem tria & in filio & matre olei copiosè dari videbit. Et inprimis in Principe Zorobabel, intuere cibum famelicis. Vixit ejus temporibus propheta Aggæus, (*b*) is à Deo nuncius missus, sic populo: *ponite* inquit *corda vestra super vias vestras, seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati, bibistis & non estis inebriati.* Quam ob causam? (*c*) *quia domus mea deserta est, & vos festinastis unusquisque in domum suam: propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, & terra prohibita est ne daret germen suum, & vocavi siccitatem super terram.* Quid contra hæc remedii? (*d*) dedit & dixit Deus, *ascendite in montem, portate ligna, ædificate domum.* An autem remedium famis, templum Domini, missum est in effectum? Subjungit Aggæus: (*e*) suscitavit Dominus Spiritum Zorobabel, filii Salathiel, & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum, Dei sui. Ex quibus verbis prophetæ datur colligi, cur inter alias causas Deus famem mittat hominibus, ita ut seminent & non

(*a*) *Bern. ser.* 5. *in Cant.* (*b*) *Agg.* 1-5. 5. 6.
(*c*) *Agg.* 1. 9. 10. 11. (*d*) *Agg.* 1. 5. 8.
(*e*) *Agg.* 1. 14.

& non metant, comedant nec ſaturentur, quia nempe Domus ejus negligitur, ſquallet ſitu, pervia eſt imbri, deſtituta eſt ornamentis, caret devoto ſibi populo, & is ſenſus videtur naturam noſtram pervaſiſſe nam cum propheta ſic Poëta conſpirans. (*f*)

Delicta majorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris
Ædesquè labentes Deorum, &
Fœda nigro ſimulachra fumo.

Neque mirere, ſi Deus panem ſubtrahat, cum homines domum ſuam negligunt. Hujus enim gemina & congrua cauſa eſt: altera quia homines templa non curantes, nec orationem curant, aut cultum Dei, (*g*) hæc autem faciunt cum ritè excercentur, gratum & ſaporatum Deo convivium. Cum igitur homines DEO prandium & quaſi bolum ſubtrahant, juſtè DEUS, inhibet pluvias ruere, terram germinare, horrea repleri. Altera cauſa eſt, quia omittentes domum Dei, domum orationis, animas ſuas fame cruciant mortales: ergo Deus, non datis inquit vos Spiritui in quo imago mea eſt quod debetis, ſed ſubtrahitis illi religionis cibum, ego quoque corporibus veſtris ſubducam regionis fructum: famem elegiſtis & amatis Spiritus, famem quoque tolerate tametſi non vultis, corporis & membrorum. Hunc ſenſum elicio ex verbis Ambroſii: (*h*) qui conſi-

(*f*) *Horat. carm. l. 3. ode. 6.* (*g*) *Apoc. 3. 23. NB. S. Thomas ibi citat duo Bernardi loca.*

(*h*) *Ambroſ. tom. 3. epiſt. 12. ad Irenæum.*

derans illa Aggæi & Dei verba, ascendite in montem, ædificate domum, inquit, *qui infra terram habitant, non possunt ædificare templum Domini*. Qui autem sub terra & non supra terram habitant? luxuriosi respondet, qui requirunt umbrosa palatia, dum enim delicias suas quærunt, zelum domus Dei deponunt: acediosi addit, quia inquit desidiosi ignava sub terris agunt otia. Certè qui nec Dei nec animi sui explere esuriem satagunt, utique non sub sole, veritate circumdati & lucidi, sed sub terra, mendacio involuti & tenebrosi vivunt: quare dum templa & Dei & conscientiarum negligunt, merentur fami tradi. (*i*) Laudandus in hoc exaggeratissimè Dux Zorobabel, qui videns Dei verba cum præsentia temporum cohærere, velut è somno inquit suscitatus, curas suas ad Dei domus opus convertit, verboquè & exemplo in idem cæteros, adeoque populum omnem impulit ac traxit. Sic autem dum Deum religiosa sua voluntate, Spiritumquè suum pascit, elevatus est à Deo, ut cœli nubes clausas aperiret, & obseratæ telluris viscera in fæcunda panum horrea resolveret. (*k*) Panes olim propositionis in domo sua perpetuò esse voluit Deus. Cur ita? nempe devotio populi, & cura templi Deo sunt panes esurienti: sed & populo ruunt de cœlo, ascendunt ex agris panes, cum ejus justitia satur & pulchrescens DEUS, famem pellit, & liberalem cornucopiam

(*i*) *Agg*. 1. 14. *Sanches. in c*. 1. *Agæi n*. 29.
(*k*) *Exod*. 35. 13.

piam movet. (*l*) Et adverte adhuc, quomodo Zorobabel, aliud videtur, & aliud nominatur. Videtur enim à Zacharia, ut arbos aurea olivæ, & nominatur filius olei non olivæ, (*m*) actus non potentiæ, exèrcitii, non potestatis. Videas enim multos principes qui clementes quaſi ac benefici populo volunt videri, & non ſunt: oliva apparent, quia de DEI gratia, gratia regnans, ſed opus olivæ (*n*) mentitur, & impletur illud Moiſis *oleas habebis in omnibus terminis tuis, & non ungeris oleo.* (*o*) Oleæ in terminis multiplicantur, cum magiſtratus plurimi conſtituuntur, neque tamen oleo ſubditi unguntur, (*p*) quando beneficam Magiſtratum clementiam in ſe non experiuntur. Quin imò experiuntur, quod iſtæ oleæ terminis circumſcriptæ, terminos tamen vaſtant & ſubruunt, neque fundunt ſubditis gratiam, ſed ſugunt eorum ſubſtantiam ſimul & gravem lachrymam.

§ 5.

OLiva dans populo cibum Zorobabel, an item Virgo? *In domo Dei plantata* inquit Damaſcenus, (*a*) *atque per Spiritum ſaginata, inſtar olivæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur.* Ecce virgo oliva & non ſterilis, oliva & ad fructum. Invitat ipſa, (*b*) *tranſite ad*

(*l*) *Zach.* 4. 3. (*m*) *Zach.* 4. 14. (*n*) *Abac.* 3. 17. (*o*) *Deut.* 28. 40. (*p*) *Interl. ibi. extraor.* (*a*) *Damaſc. l.* 4. *de fide c.* 25. (*b*) *Eccl.* 24. 26.

ad me qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. (*c*) Tigurina vertit: *accedit ad me omnes cupidi mei, & facite, ut fructibus meis impleamini.* Sapiens vox & cauta, & facite, ut fructibus meis impleamini. Q. d. ego quantum in me eſt, oliva ſum plena fructu, arbos ſum usque in cœlos excurrens, (*d*) cujus fructus, fructus nimius, vos vobis ô mortales nolite eſſe Tantali novi. Tantalus captat poma, & poma fugiunt ab eo: è contra, ego pomifera arbor vos quæro, & mea poma ruunt in ora veſtra, vos nolite habere fugaces buccas, S. Catharinæ Senenſi apparens Dominus, & loquens de ſua Genitrice beata, (*e*) *mater* inquit *mea tanquam eſca dulciſſima trahit ad ſe atque ad me animas.* Non tantum igitur habet oliva noſtra fructum quo paſcat, ſed tota cibus eſt, non amarus ut mundi bolus, ſed dulcis, ut eſca ad DEUM trahens. (*f*) Dulcis erat Job ſuis domeſticis eſca, cum de eo dicerent, quis det ut de carnibus ejus ſaturemur, qui tamen carnibus ejus Saturati non ſunt. Virgo contra carnibus ſuis orbem Chriſtianum Saturat. Reſpice ejus ſolemnitates, quanti tunc ejus carnibus, quando Chriſti Sacratiſſimo corpore ſaginantur? Qui ita ſibi in conſuetudinem vertêre fixam ac ſalutarem, dulcem & ſuavem, ut privari ejus eſcâ, in eujs feſtivitate glorioſa, unum

(*c*) *Tigur. verſio ibi.* (*d*) *Daniel.* 4. 9. *In hymn. Græc. Natalis Comes, l.* (*e*) S. *Cath. Senen. in dialog.* (*f*) *Job,* 31. *v.* 31.

unum dolorem habeant. (g) Non comedit in cœlo Virgo buccellam ſuam ſola, hoc eſt non ſola ſaginatur dulcis lætitiæ portione, mater eſt, recordatur filiorum, mater miſericordiæ eſt, & miſeris dividit eſcam. Non patitur ſe vinci ab Aquila, (h) quæ SS. PP. dicta eſt Aquila: Aquila in præruptis ſilicibus commoratur, & inde eſcam contemplatur, quam etiam inter pullos ſuos partitur. Sic & virgo, videt Deum, & capit cibum, cibum veritatis & gratiæ, quem etiam quotidie inter clientes ſuos ſpargit & dividit: commoratur in ſilicibus, & de ſilicibus cœli excutere Sacram flammam, & in ſuos ſeminare non moratur, quatenus illi crudos mundi carniſque humores digerant ac concoquant efficaciter. Denique hæc oliva, ſuos filios olei ſilios, olivas fructiferas facit. Quæris cui? domui Dei; (i) *ego ſicut oliva fructifera in domo Dei*, cantat illi non unus chorus: ſicut & alii chori, illi reſponſantes & dona Matris ac miſericordias recognoſcentes in ſe defuſas ergo accinunt, ſicut oliva fructifera in domo Regum, principum, in circulo Senatorum, in comitiis nobilium, in cuneis militum. Denique ſic format Virgo ſuos, ut non ſolum Eccleſiæ & patriæ ſint illi dulces eſcæ, ſed ipſi DEO convivium exhibeant pretioſum. S. Thomas ad illa Apocalypſeos (k) verba, cænabo cum illo, & ipſe mecum, *bonus* inquit *talis hoſpes*,

(g) *Chriſoſt. h. 60. ad pop.* (h) *Job.* 39. 28. 29. (i) *Pſal.* 51. 10. (k) *Apoc.* 3. 10. *S. Thom. Aqu. ibi.*

ſpes, & honorandus. Cænabo cum illo, ejus ait *fide & operibus delectabor.* Et pergit: *juſtus benè operans comedit, quia in operando lætatur: & Dominus convivatur cum eo, quando delectatur in ejus meritis.* Et adducit S. Bernardum dicentem, (*l*) *cibus ejus pœnitentia mea, cibus ejus Salus mea, cibus meus ego ipſe.* Quanti autem ope virginis ſic ſeipſis Deum tractaverint, ac paverint, non eſt numerus militum ejus.

§. 6.

OLeum lucem parit & alit. Nec aliter, oliva Zorobabel. Quid illud candelabrum à Zacharia ſpectatum ſignificârit quærunt Doctores, & cum non paucis reſpondet P. Sanchez: (*a*) ſignificari illo, templum Jeroſolimitanum, pars enim ſæpe ſignificat totum: alii latius ſignificationem extendentes: (*b*) ajunt candelabra totam Judæorum rempublicam libertati reſtitutam ſignari. S. Hyeronimus legis ſymbolum vult illud eſſe. (*c*) Certè hæc omnia candelabra luce ſacra ac divina perfudit Zorobabel, templum quidem, quia ut cæpit ſic perfecit, juxta illud, (*d*) manus Zorobabel fundaverunt domum iſtam, & manus ejus perficient eam. Nec hoc tantum: Sed manus quoque ejus, hoc eſt operoſa ac fidelis & pia induſtria erudivit populum ad prudentiam juſtorum, eumquè velut unum ac vivum ac Sanctum Domino templum.

(*l*) *Bern. ſermone de obedientia, patientia & ſapientia.* (*a*) *Sanches in c. 4. Zachar.*
(*b*) *Theodor. ibi.* (*c*) *Hyeron. in c. 4. Zach.*
(*d*) *Zach. 4. 9.*

plum effecit. Quod videtur indicâsse Ecclesiasticus dicens, (e) quomodo amplificemus Zorobabel, nam & ipse quasi signum in dextera manu qui in diebus suis ædificavit domum, & exaltavit templum Sanctum Domino. Quale autem hoc signum, & in cujus dextera? ponam respondet Deus alloquendo Zorobabelem, te quasi signaculum elegi te. Ubi in sua paraphrasi Sanchez: (f) neque aliter à me accipieris dicit Dominus, quam illi solent, quorum ab amicis in signatorio annulo exprimuntur imagines. Quam ob causam verò annuli signatorii nomine Zorobabel insignitur? quia ipse imaginem Dei, sibi velut annulo signatorio incisam, in mentibus aliorum exprimebat: & sicut Deus lux est, (g) sic alios filios lucis reddebat. Quod ipsum regimine exteriori in sua republica quam gubernabat, conabatur perficere. (h) Ergo illa prius sub modio Persicæ servitutis latens ac tenebrosa septuaginta annis, deinde latè in regnis ejus opera reluxit, & splendorem Davidici generis pænè extinctum propagavit, jam discussa servitutis quasi nocte, jam purificata in Dei veri cultu fide, jam denique legibus primum divinis deinde sui principis Zorobabelis rite parens. Propter hanc igitur lucem in curâ templi, in regimine populi, in legum observantia in Judæa velut accensam & pro-

(e) *Eccl.* 49. 13. (f) *Aggai* 2. 23. *Zanchez. in paraphi. c.* 2. 23. *Aggai.* (g) 1. *Joan.* 1. 5. (h) *Riber. in c.* 4. *Zach. n.* 15.

propagatam meritò vocatus eſt, (*i*) filius ſplendoris: Aquo verò Patre filius ſplendoris? non à Salathiel, ſed à DEO, à quo ſicut lumen Sapientiæ ac pietatis traxit, ſic eodem gente ſuam cum luculenta gloria illuſtravit.

§. 7.

NOctem & quidem horrendam pateretur, qui Matri miſericordiæ Natæ lucem ſubtraheret. Oleum parit & alit lucem: oleum autem MARIÆ lux eſt, qua illuſtrantur omnes cœleſtes & terreſtres regiones. Petrus Damiani locum illum, (*a*) *ego feci, ut oriatur in cœlis lumen indeficiens*, ipſis accommodat, & ait: *Sicut Sol Solus orbem illuminat, ſic Virgo Solidiori lumine Angelos, & homines illuſtrat.* Olim Latii Reges, credebantur à Sole avo deſcendere, & in publico radiis ſolaribus videbantur circumfuſi radiare, unde Maro (*b*)

ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru. cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt
Solis avi ſpecimen

Quid juvat Solis ſpecimen, ſi virtus Solis deeſt? At virgo Solem ſuæ miſericordiæ à progenie in progeniem circumfert, & ſplendores jaciens ac faciens glorioſa in ſeculis refulget. Verè Bonaventura, (*c*) *magna erga miſeros miſericordia fuit MARIÆ adhuc exulantis in mundo, ſed multò*

(*i*) Zach. 4. 14. (*a*) *Damian. ſer. de aſſumpt. B. V.* (*b*) *Æneid. 12.* (*c*) *Bonav. in ſpec. B. V. c. 8.*

multò major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in cælo. Unde pro splendore prioris misericordiæ fuit MARIA pulchra ut Luna, pro splendore verò posterioris misericordiæ est electa ut Sol. Quis est super quem Sol non luceat? quis est super quem misericordia MARIÆ non resplendeat? *Quemadmodum Sol*, excipit sermonem Bonaventuræ Bernardus (*d*) *oritur super bonos & malos indifferenter, sic MARIA petita, non discutit merita, sed omnibus se exorabilem præbet.* Speciem misericordis mulieris volens exprimere Ecclesiasticus, *sicut* inquit (*e*) *Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus,* & subdit, *Lucerna splendens super candelabrum Sanctum.* In hac commendatione bonæ mulieris, ut advertit Cornelius à Lapide fit gradatio laudum. (*f*) Quomodo verò gradati sive ascensus, ubi depressio videtur ac descensus? quid est enim lucerna ad Solem, nisi scintilla ad Silvam ardentem. In eo verò est gradatio: quia mulier bona non solum curat familiæ suæ de cibo & potu de veste & cæteris commodis vitæ providere, ut officium matris familias exigit, sed etiam intenta est & sollicita, quomodo eandem familiam in Dei timore & cultu instituat. Primum illud efficit providentia naturali, secundum morum probitate & virtutum fulgore. (*g*) Dum de nocte seurrexit, dum ancillis

(*d*) *Bernard. apud eundem ibid.* (*e*) *Eccle.* 26. 21. 22. (*f*) *Corn. à Lapid. in c.* 26. *Eccle.* (*g*) *Prov.* 31. 13. 16.

cillis pensa divisit, dum prædas pro domesticis egit, dicatur sanè & splendeat ut Sol, sed in exiguo hemisphærio, & radiis naturæ: at quando iisdem prælucet bono exemplo, domum suam facit templum, vitam suam facit candelabrum sanctum, & ipsa de profano Sole, transit in sacram lucernam: Sicut autem fulgor sancti animi, præstat fulgori providentiæ naturalis, sic sancta lucerna, popularem vincit Solem. Laudantes aulici Holofernis Judith dicebant: (*h*) *non est talis mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* Quid isti in Judith videbant? radios Solis parvi, laudes naturæ. Laudat eandem Joachim summus Pontifex: (*i*) *tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quod castitatem amaveris.* Quid rursus iste in Judith videt lumen Sanctum, lucernam Dei, ignem templi, radios cœli. Fecisti viriliter, ecce radius fortitudinis: confortatum est cor tuum, ecce splendor Sanctæ spei: eò quod castitatem amaveris, ecce fulgor temperantiæ. Quod si proba domesticis & Deo mulier, Sol in alto, lucerna in Sancto, quid erit Mater Misericordiæ? nascitur illa corpore in stabulo ovili, oritur animo, in altissimo DEI cælo, (*k*) quoniam ut non parvi tenent. quando in utero Matris suæ est sanctificata, tunc quoque usu rationis donata, quo illustrata non otiata est in utero materno, sed altius & altius sancti-

(*h*) *Judith.* 11. 19. (*i*) *Judith.* 17. 8. 10. 11.
(*k*) *Vide Salas. de conc.*

ſanctitatis gloria & fulgore provecta. Tunc item lucerna ſuper candelabrum Eccleſiæ Sanctum elevata: imò ut Athanaſius (*l*) Zachariæ candelabrum explicat, candelabrum Sanctum conſtituta, quoniam ut materiæ expertem Deum inquit geſtaret incarnatum, eſt diſpoſita. O Sancta Miſericordiæ Mater, ut tu imitatione premis, Miſericordiam, quam genuiſti. (*m*) Ille ex utero patris in ſplendoribus Sanctorum generatur: tu item ex utero caræ genitricis ſplendoribus circumfuſa Sanctorum egrederis. O filia olei! ô mater ſplendoris: percute nos ſpiculo tuæ lucis, & duc ad ſplendores Sanctorum.

§ 8.

OLeum Zorobabelis, medicina populi. Boni principis eſt inflictis Reipublicæ vulneribus mederi. (*a*) Invitatus quidam ad principatum, reſpondet *non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis*. Prudens excuſatio, & indicat principis officium eſſe mala ſanare, commoda populo providere. (*b*) Volens unus injurioſum exprimere principem, pinxit novaculam alatam, cum hiſce, hiſce cedis? Chirurgum imitatur laudabilis magiſtratus, qui vulnera ſanat, & caput novacula non vulnerat: improbus autem dum injuriis vulgum premit, acie male ſanæ poteſtatis terit: dignus audire quod ille, ô novacula cur facis vulnera, tolle pilos, relinque artus.

(*l*) *Athan. Epiſc. Nicenus quæſt.* 51. *Nin ſcript.*
(*m*) *Pſal.* 109. (*a*) *Iſai.* 3. 7. (*b*) *Lyran. ibi.*

artus. Porrò Zorobabel & medicinæ, & panis copia suos fovet, & vulnera quæ invenit in sua Republica sanavit. Quin & antidota futuris de pellendis malis, ac remedia legum applicuit, & invenit. (c) *Sub ejus principatu ait Deus populo semianimi: Spiritus meus erit in medio vestrum.* Ecce medicinam animi! promittit item DEUS (d) *ex die ista benedicam.* Ecce medicina corporum. Sed & ipsum solatur Zorobabel & ait: (e) *ego movebo cœlum pariter & terram, & subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, in die illa, assumam te Zorobabel.* Ecce quanta sanitas Medico Zorobabele tenente gubernaculum principatus? Regna gentium, paroxismos, agones: mortem patientur, (f) tuum autem stabit imperium ô Zorababel, nam te velut annulum signatorium in manu mea gestabo, & te, populumque tuum ut salvus inter mortes regnorum persistat. ipse consignabo. De tua autem indemnitate, securus esto ô meum signaculum. Sicut enim manum meam nemo attingere, minus autem vulnerare potest: sic neque manui meæ cohærentem annulum, ut es tu. Jam verò an hæc Zorobabelis gloria abest à virgine Matre? nequaquam. Amator misericordiæ illius D. Bonaventura, (g) nuncupavit illam, medicinam mundi. Duo verba, ingentia encomia, & non capit ea terra. Mundum circumspice oculo Magni Bellarmini, & dices,

(c) *Agg.* 2. 6. (d) *Aggæi.* 2. 20. (e) *Agg.* 2. 23. 24. (f) *Sanchez. ibi. Ribera. ibi.* (g) *Bonav. in psalt. quinquag.* 2.

dices, (*h*) *Xenodochium est mundus, ibi aridorum & hydropicorum, ibi corporum & animorum greges morbidi clauduntur.* Fit sæpe, ut X. medici unum ægrum non possint curare, MARIA medicina mundi sanat omnes. Sanat autem verbo, & lingua, verbo, quod genuit, ideoque præcitatus Bonaventura alibi dixit cum Augustino: (*i*) *ô quam beata ista mater est, quæ sine contaminatione concepit, & sine dolore peperit MEDICINAM.* Hoc verbum illa movet, & mors cum exercitu morborum fugit: hanc medicinam ipsa cui vult applicat, & ægritudinem omnem animi abstergit. (*k*) Lazarus ille miserorum, & ægrorum miserrimus, cum totus difflueret putredine, invenit tamen contra ulcera, solatia si non remedia in lingua canum. Ah verò quanti inveniuntur adeò purulenti Spiritu, ut ejus remedia, nec lingua Prædicatorum, nec Confessariorum ingenia, nec Superiorum artificia inveniant. Si tamen pro iis, Medicina mundi MARIA, linguam suam intercessoriam & salutarem, applicat, extemplò sanat, (*l*) fugiunt morbi, recedit pestis, & occurrunt sibi mutuò in osculo Sancto DEUS & pœnitens anima. Extollamus illi mentem & cum S. Joanne in nativitate ejus exultante dicamus, (*m*) Salve fons medicinam offerens orbi terrarum.

§ 9. Vo-

(*h*) *Bellar. in conc.* (*i*) *Bonav. in specul. B. V. c. 2. ubi citat. Aug.* (*k*) *Luc. 16. 21.* (*l*) *Thom. à Kemp. de imit. Christ.* (*m*) *Damasc. serm. de natal. B. V.*

§. 9.

VOcata ad regnum oliva, (*a*) *nunquid possum deserere pinguedinem meam* dixit. Mater verò misericordiæ elevata ad regnum gloriæ, quid de nobis, macie sua, dicit? Dicit Deo, dicit mundo, dicit miraculis & beneficiis, non possum diserere maciem meam quam habeo in terris. O ratio, si humana es, o voluntas si rationalis es, tu poteris dicere, deseram, MARIAM pinguedinem misericordiæ meæ? Ex horruisti ad vocem, cur non contrêmiscis ad factum tuum? An enim nunc Vir, sicut olim puer adhæres Matri misericordiæ, olivæ tuæ? cur heri, dies sine precum penso non abibant, & hodie contra? cur nuper omne festum virginis non decurrebas cum sacramentis, & hodie non? Zorobabel tribus nominibus à Deo compellatus est, annuli signatorii ut vidimus, lapidis stannei & lapidis primarii præterea. (*b*) Hæc ipsa & nomina & officia scito esse penes virginem. Ipsa est etenim Signaculum altissimi imaginem ejus super omnes creaturas portans clarissimè, & eandem imprimens suis, quatenus illæsi conserventur tutissimè, ac fidelissimè. O quoties tibi clamandum est. annule Dei signa me, tene me: annule Dei pelle characterem bestiæ de anima mea, (*c*) imprime mihi Salvatoris imaginem, ne peream à devastante Angelo, sed potius à claritate in claritatem transeam. In

(*a*) *Judic.* 9. 9. (*b*) *Aggæi.* 2. *ult.* *Zach.* 4. 10. *Zach.* 4. 7. (*c*) *Apoc.* 16. 2.

In lapide ſtanneo eſt nova vis. Habet hoc ſtannum teſte Hyeronimo, (*d*) ut nullum metallum ſine illo poſſit in igne perſiſtere illæſum, illud enim defendit ab igne. (*e*) Quid tibi Chriſtiane debeatur, te interroga, ignisnè æternus, an temporalis? Impurum metallum? quomodo tu ſubſiſtere poteris & habitare cum ardoribus ſempiternis? Vis eos vitare? ſtannum tene MARIÆ: Sicut, ut mitius in emendatoria uraris flammâ, defende te ut ſtanno, MARIA, denique MARIA lapis primarius: quia ædificium quod cæptum eſt conſumat. (*f*) Vis tu creſcere in templum Sanctum cœli, tene MARIAM, nec dimitte.

ARTICULUS II.
MATER MISERICORDIÆ ANNUNTIATA.
§. I.

CUruæ mortalium animæ, quæ curas verſant inanes, in terris quærunt fortunam. Sed terrarum fortuna tantum valet, quantum ſtellæ terrarum, floſculi hortorum. Plerumqũe qui fortunam in terris inveniunt, ſe perdunt. Pompejus ille Magnus, (*a*) poſt tres conſulatus ac totidem triumphos inquit unus, in tantum diſcordante à ſe fortuna

N cor-

(*d*) *Hyeron. in Zach. c.* 4. (*e*) *Ribera. in c.* 4. *Zach. num.* 24. (*f*) *Sanchez. in cap.* 4. *Zach.* (*a*) *Velleius. l.* 2. *c.* 53.

corruit, ut cui modò ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Alii cum reperiunt, ad breve spatium, nec reverenter eam tractant, fugiente ipsa, & ipsi disparent. Ita Galba (*b*) serò Imperator factus à Fortunæ Tusculanæ cultu ad veneris Capitolinæ venerationem transiens, audivit per quietem eam de se conquerentem, *tu me, ego te desero.* Nobis verò Christianis, prima inter quærendi studia, reponenda est Dei gratia, quam qui invenit, in terra pedem, in cœlo fortunam habet. Non mutat, simus securi, quod semel fundit Deus verbum. (*c*) quærite inquiens primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Cum varii sculptores & pictores, fortunam alio atque alio modo exprimerent, inventus est unus artifex dictus Bupalus, (*d*) qui simulachro fortunæ, polum in capite præposuit, & manui ejus cornu Amaltheæ inseruit. (*e*) Et quidem cornu Amaltheæ sive Copiæ, felicitatis terrenæ abundantiam significare voluit, si tamen, non fortuna sed ipsi mortales, ut ego explico, cœlos in capite, hoc est cœlestia primas inter curas tenerent. Enimverò Virgo virginum cœlos in capite ferebat, quæ gratiam divinam omnibus terrarum bonis anteferebat & quærebat. An autem quod quæsivit, invenit? Invenisti, fatur Archangelus (*f*) illi, gratiam apud Deum. An verò

(*b*) *Suet. in Galba, num.* 18. (*c*) *Matth.* 6. 33. (*d*) *Alexan. ab Alex. l.* 1. *c.* 13. (*e*) *Natalis Comes, l.* (*f*) *Luc.* 1. 30.

verò cum gratia, & fortunam? Exclamat præcitata Archangeli verba trutinans mellifluus Doctor, (g) invenisti gratiam apud Deum. *Feliciter, unum verbum dixit, quia mens ejus immensitate fortunæ virginalis occupata, linguam in plura verba resolvere non potuit.* Feliciter. (h) Et subdit, quasi recepta mente Semper hæc inveniet gratiam, & sola est gratia qua egemus. Quod si Virgo invenit gratiam, invenit & DEI misericordiam. Hæc enim duo scripturæ phrasi idem sonant. Orat servus Abrahæ (i) pro invenienda Rebecca, *occurre obsecro mihi hodie Domine Deus, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham*, hoc est gratiam. *Apparuit* inquit Apostolus (k) *gratia Dei erudiens nos*, hoc est ostendit nobis misericordiam suam. Num autem, quæ invenit gratiam & misericordiam, Dei invenit & maternitatem? In illo articulo temporis, quo desiit virgo, ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum, loqui, matrem se fecit & invenit. (l) Cujus autem Matrem? Gratiæ & Misericordiæ. Nunc oriens dicat, nunc occidens respondeat, feliciter, feliciter. Parit Liæ ancilla Zelpha filium, & exclamat Lia quasi pro partu suo læta, feliciter. (m) Quanto justius oportet terrarum orbis præcinentem secutus Bernardum concinat, Virgini,

(g) *Bern. Serm. de nativ. B. V.* (h) *Idem ibid.*
(i) Gen. 24. 12. (k) *Ad Tit. c.* 1. 12. (l) *Suar. in 3. par. tom. 1. qu. 2. ar. 12. disp. 10. sect. 6.*
(m) *Gen.* 30. 11.

ni, Misericordiam divinam concipienti, feliciter. & simul salutet, Salve Mater misericordiæ.

§. 2.

IMpleta regalis anima & gratitudo donis & misericordiis Domini, parturiebat magnum aliquid, & tandem edidit cum dixit, (*a*) *adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea.* Verba hæc ponderans Card. Bellarminus, *his* inquit (*b*) *clauditur velut summa & compendium omnium DEI beneficiorum, quibus ad ipsum Deum velut ad summum bonum pervenitur.* Gradus veró quibus nostra miseria ad Deum ut ad summum bonum ascendit, sunt isti, de nihilo educi, & donari existentia: impleri vita & non tantum esse: instrui sensibus, quibus velut canibus summum bonum veneris, ornari præterea facultate intelligendi, ut in omnem veri discretionem pervenias, denique gratia & donis supernaturalibus evehi, atque elevari, ut bonum excedens naturæ omne bonum consequaris. Et verò propter horum 5 graduum bona, Deus à nobis vocandus esset essentia mea. vita mea, sensus meus, intellectus meus, bonum super omne bonum meum. Nihilominus ut advertit S. Augustinus, (*c*) multo amplius est Deum dici MISERICORDIAM, quam si vocaretur, Salus, vita, spes nostra. Nam DEI misericordia est velut mater & radix, ut essemus & possemus, ut vive-

(*a*) *Psal.* 58. 18. (*b*) *Bellar. in Psal.* 58. *ad v.* 18. (*c*) *August. in psal.* 58. *v. ult.*

viveremus & ſentiremus, ut liberaremur à malo & proficeremus in bono. Porrò non tantum DEO ut DEO, ſed etiam ſecundæ Deitatis perſonæ, ſcilicet Æterno verbo, nomenclatura MISERICORDIÆ appoſitè convenit, quod ſic oſtendi poſſe videtur. Docet Angelicus Doctor, (d) *ratio miſerendi*, inquiens, *eſt defectus* puta proximi carentiam boni patientis propter unionem amoris, vel propter poſſibilitatem patiendi ſimilia. Defectus autem non poteſt tolli, niſi ille, & modus tollendi eum, ſciatur. Verbi autem æterni ſapientiæ congruit ſicut omnia, ſic defectus ſcire, & remedia contra eos noſſe. Jam verò cum conſtet ad virginis aſſenſum Angelo nuncianti atque expectanti præſtitum, DEUM VERBUM de Spiritu S. in utero ejus ex viſceribus caſtiſſimis conceptum eſſe, conficitur liquidò, Virginem MATREM MISERICORDIÆ conſtitutam eſſe. Sicut enim quia conceſſit illa Deum, mater Dei: quia Sapientiam mater Sapientiæ, quia Sanctitatem primam mater Sanctitatis dicitur: ita quia concepit MISERICORDIAM, mater MISERICORDIÆ eſſe dicique promerita eſt.

§. 3.

QUid verò inde boni noſtro provenit ſemini? Gregorius Thaumaturgus expendens, (a) illud, ave gratia plena, inveniſti gratiam apud Deum, *hinc* inquit *nobis Sapientiæ & immortali-* *tatis*

(d) 22. *qu.* 30. *ar.* 2. *c.*
(a) *Greg. Thau. de annun. Ser.* 2.

tatis ſcaturiunt fontes, qui limpidos ac puros pietatis rivos effundunt. Ubi Matrem Miſericordiæ & gratiæ videtur cum mari conferre, ex quo erumpunt fontes, rivi, fluvii Fontes autem triplicis boni nobis de Matre Miſericordiæ ſcaturiunt, unus Sapientiæ, puta veræ: Secundus immortalitatis, ſcilicet glorioſæ: tertius pietatis, nobis proficuæ atque ad omnia utilis. Iſti autem fontes revehunt nobis amiſſæ per Evam fælicitatis rivos. (*b*) Illa enim, audiens ſibilantem ſerpentem eritis ſcientis omnia, perdiderat nobis: donum Sapientiæ, dubitans, ne forte moreretur; amiſerat, prærogativam immortalitatis: appetens ſimilitudinem divinitatis; corruperat, dotem pietatis. Ubi vulgata effert, (*c*) *nunquid Sion dicet, homo & homo natus eſt in ea,* S. Auguſtinus legit (*d*) *mater dicet Sion, homo & homo natus eſt in ea.* Bellarminus ſenſum aperuit, (*e*) *homo & homo natus in Hyeruſalem, dicet Sioni, mater.* Quæ eſt iſta Sion admirabilis, quæ homines parit in Jeruſalem, ſed homines, bis homines? Nomine Hyeruſalem hic deſcriptæ Eccleſia, communi ſenſu accipienda eſt (*f*) neque enim Hyeruſalem quæ occidit prophetas, ſed Eccleſiam, in qua dum occiduntur, reſurgunt prophetæ, fundavit Altiſſimus. (*g*) Porrò hujus Hyeruſalem, Sion erit Mater Miſericordiæ, utpote arx & propugnaculum

(*b*) *Gen.* 3. 5. (*c*) *Pſal.* 86. 5. (*d*) *Aug. in pſal.* 86. (*e*) *Bellar. ibi.* (*f*) *Hyer. Aug. Lor. Bell. Men. ibi.* (*g*) *Aug. Ser.* 13. *de tempore,*

gnaculum Ecclesiæ, & Sione & Sina Sanctior. (*h*) Quomodo vero homines, bis homines *bis homines* nascantur in ea, & agnoscentes eam ut suam genitricem, clamant & concrepant, mater Sion, mater Sion? Quia ipsa parit & profert filios Sapientes, sicut de carne sua protulit ipsam Infinitam Sapientiam. Sapiens autem homo, non est unus homo, sed homo & homo: sive unus est numero, non unus virtute & pretio. In equo Trojano multi latuere homines, in Sapiente autem plures (*i*) Loquor autem de Sapiente cœli, quem virgo parit: hic enim licet parvulus, implet virtutem gentis fortissimæ, & quanquam nullus sæpe censeatur in oculis hujus mundi Sapientum, horum tamen millibus, ille unus est major. Unde Pagninus vertit: (*k*) *ipsi Sion dicetur, vir & vir natus est in ea:* Sæpissimè enim Sapientes sæculi dum Dei timorem exuunt, rediguntur in pueros, transeunt in insipientes: è contra autem quos virgo parit, ætate quamvis pueri in viros & viros vertuntur. (*l*) Nam quæ virum circumdedit utero, (explicat Bernardus, virum Sapientia) (*m*) eadem visceribus suis susceptos producit & parit Deo item Sapientiâ viros, & viros. Non meretur Sapientis nomen & lauream apud Deum, qui novum & veterem hominem, in se non continet. Veterem, ut crucifigat, novum ut induat: Sicut, nec meretur

 homi-

(*h*) *Damasc. orat.* 1. *de nativ. B. V.* (*i*) *Æneid.* 2. (*k*) *Pagnin. in psal.* 85. 5. (*l*) *Jerem.* 31. 22. (*m*) *Bern. serm. super missus.*

hominis ac hominis vocabulum, qui ſolum in exteriore homine ſibi complacet, & de interiore cordis homine, qui eſt creatus in Sanctitate, curat parum. Fulgeat ſanè exterior prudentia eorum quæ dilabuntur & tranſeunt, præfulgeat tamen interior Sapientia juſtorum, ut ſobriè ſibi, juſtè proximo, piè vivat Deo. (n) Unde autem hos Sapientiæ latices hauriemus? Utique ab ea, quæ ut ait Bernardus profundiſſimam divinæ Sapientiæ, (o) ultra quàm credi valeat, penetravit abyſſum! luci illi inacceſſibili immerſa. Hæc igitur quæ Sapientiæ mare & abiſſum penetravit, cui vult rivos cœleſtis Sapientiæ, impartit. Vult autem iis, qui ad ſe accedunt, non ore, ſed corde. Semper enim Sapientiæ ſedes, cor eſt habitum (p) Quare veteres, ſic membra hominis in domos & ſedes ſunt partiti. Ut in ſplene quidem reſideret riſus, in felle furor, in jecore amor, in corde ſapere & timere Quæri poſſet, cur Romani pueris prætextatis bullas aureas vel argenteas, cordis ſpeciem præferentes, ſuſpendere de collo ſoliti eſſent, ita ut bulla pectus tegeret? (q) Et reſpondent prudentes, quia pectus cordis regia, ſedes erat conſilii & Sapientiæ. Ubi ergo ſedes Sapientiæ, ibi juſtum erat collocare, cordis inſigne. Vidit Salomon (r) duas mulieres de uno infante tanquam de prole ſua contendentes:

(n) *Titum.* 2. *v.* 12. (o) *Bern. Serm. ſign. magn.* (p) *Alex. ab Alex. genial. dierum. l.* 5. *c.* 25. (q) *Idem. l.* 2. *gen. dier. c.* 19. (r) *Prov.* 9. 4.

tes: vidit item duas alias, de parvulo & ſtulto litigantes. Una, ſcilicet Sapientia divina clamabat (s) ſi quis eſt parvulus veniat ad me. Alia item mulier ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris item clamabat: qui eſt parvulus declinet ad me. Quid eſt verò, quia & caſta Sapientia, & impura ſtultitia, parvulum ad ſe vocet: tanta eſt illis cura de uno? tanta ſollicitudo de parvulo? Expreſſit ipſa Scriptura quid nomine denotaretur parvuli nempe inſipiens, & væcors: & alias hæc duo conjungit, ut, video parvulos, conſidero vecordem juvenem. Nempe quemadmodum verus Sapiens, bis eſt homo: ita Stultus Deo, bis caret ratione, bis eſt non homo: nam & intellectu fallitur & corde decipitur. Quid autem mater Sion, quid mater Miſericordiæ? parvulos recipit, vecordes ad ſe trahit: illis ſanat læſæ rationis dictamina, iſtis rumpit ſeducti cordis vincula & obſtacula: fundit latices Sapientiæ, & diluit ſordes aut ignorantiæ, aut limoſæ & lutulentæ ſcientiæ. Quare Eccleſia, (u) ſolve clamat vincla reis, profer lumen cæcis: lumen rectorum principiorum profer cæcis corruptæ rationis, ut ſunt hæretici, & gentiles: vincla autem ſolve vecordibus Catholicis, quia viam vitæ norunt, & in labyrintho mortis errant, ſeducti miſeri, & ſeducentes. Seducti ab ſecunda fortuna, ſeducentes in adverſa, Ipſi enim inſoleſcunt proſperis, & alios exagitant adverſis. O ſi ſaperent, ſibique

N 5 ſæpe

(s) Prov. 9. 13. 16. (t) Prov. 7. 7.
(u) *In hymno de B. V. M.*

ſæpe declamarent, (x) *neminem adverſa fortuna comminuit, niſi quem ſecunda decipit.* Ne ergo decipiamini & decipiatis, ſtulti ad MARIAM, vecordes ad Sapientiæ Matrem, venite: miſericors eſt, non vos rejiciet. Mulier amicta ſole, clamat Bernardus, & Luna ſub pedibus ejus. (y) Amplectamur MARIÆ veſtigia fratres mei, & devotiſſima ſupplicatione beatis illius pedibus provolvamur, addo, & ſuſpendamur. Stultus mutatur ut Luna, (z) quia Lunæ mundiali ſe excors, appendit: appendamur Lunæ mutabiles, ad pedes MARIÆ, & Lunæ migrabunt in Soles, & Lunæ in Sapientia ſua manebunt non decreſcentes, ſed orbe luminis pleno, ut Soles.

§. 4.

JAm verò rivos immortalitatis quis non ſitit? ejus ut guttas hauriat, quantas curas & ærumnas homo ſuſcipit? (a) *Jactant in mare*, fatur S. Auguſtinus *tempeſtate ſæviente, aliquando & alimenta, & ut vivant, projiciunt unde vivant.* Quibus excruciantur doloribus qui curantur à medicis? nunquid ut non moriantur? Multi cruciatus ſuſcipiuntur certi, ut pauci dies adjiciantur incerti. Et cum omninò non eligant vitam finire, ne doleant, ſed dolere, ne finiant, accidit eis ut & doleant & finiant. Ex quibus hoc unum relucet boni, ut mortales, in corpore morituro videant ſe habere animas immor-

(x) *Senec. conſolat. ad Helviam c. 5.* (y) *Ber. Serm. ſuper ſign. magnum.* (z) *Eccl. 27. 12.* (a) *Aug. epiſt. 45. ad Armen.*

mortales. Dubitent de iis qui volunt, ut Seneca, (b) qui nunc extremum vitæ diem, vocat æterni natalem: nunc, asserit, hoc est post me, quod ante me fuit, ante verò fuit Senecæ non esse, sic post Senecam, (c) Senecæ erit non esse. Crepet Epicurus cum suis porcis post mortem nullam voluptatem, (d) sed neque voluptatis convivas dari. Rideat & mordeat Plinius dicax (e) longiorem hominum quam brutorum vitam: nobis certè Christianis, mors contemnitur quia vita æterna creditur & speratur. Certa est resurrectio mortuorum, certa & Dei justitia, bonos æternitati assignans fortunatæ, improbos morti seponens æternæ. Cæterùm student immortalitati consequendæ plurimi, cujus tamen usu non gaudent. Hic pingit æternitati, quam imber diluit: (f) iste ædificat æternitati, quam tempus subruit; ille pugnat æternitati, quam mors proterit. Iste scribit & studet æternitati, cujus labor an cedet secundæ æternitati, nescit. Vertite mortales curas aliò, retinete vota: rem bonam & nimis bonam vastitati immensi animi agitatis, sed ad eam vestris viis pervenire non potestis. In alto est æternitas beata, & supra cœlos sedet, nihil caducum ad illam pertingit. Ecce verò Mater Misericordiæ, votorum vestrorum certum, instrumentum, efficax medium. Ipsa,

 gratiâ

(b) *Senec. ep.* 102. (c) *Senec. ep.* 54.
(d) *Cic. l.* 1. *Tusc quæst.* (e) *Plin. l.* 7. *c.* 55.
(f) *Zeuxes. Absolon. Alex. Magnus.*

gratiâ & misericordiâ plena inquit S. (*g*) Thaumaturgus sicut veræ Sapientiæ sic immortalitatis desideratæ aperiet vobis fontes, recludet rivos. Fortasse requiritis rationem qua vobis id suadeam? Mater Misericordiæ est, ergo non miseræ sed beatæ æternitatis. Videns mæstam, expulsam de sede Paradisi Evam primus conjux, (*h*) ut nubem illi discuteret mæroris, molli velut Favonio usus est adspirans ait illi, Heva, hoc est eris mater cunctorum viventium. An verò ut dictum, sic factum? omninò. Vita vitam profert, & amplificat, & per temporum spiras & circulos transiens, infert æternitati. Audi Chrysostomum, (*i*) *Deus misericors, puniendi severitatem diminuens, & mortis personam auferens, liberorum successionem largitus est, & quasi imaginem resurrectionis, per hoc subindicans & dispensans, ut pro cadentibus alii resurgant.* Eva ergo & cæteræ ejus filiæ, fæcunditate mortis damna reparant, & resurrectione pro cadentibus nascentium, immortalitatis agunt negotium. Sed diminutæ & mutilæ! quoniam non ii qui ceciderunt, resurgunt, sed pro iis: nec ii qui resurgunt, semper staturi resurgunt, sed ubi surrexerunt, & steterunt, ut alii qui ceciderunt, cadunt. Nec mireris. Matres sunt sed miseræ, Evæ sunt, vitæ sunt, sed breves & occidentes. (*k*) De miseria nascitur miseria igitur, brevi vivens tempore, multa diffluens ærumnâ. At mater Sempiternæ Misericordiæ, quem

(*g*) *Greg. serm. 2. de Annun.* (*h*) *Gen. 3. 22.*
(*i*) *Chrisost. h. 18. in Gen.* (*k*) *Job 14. v. 1.*

quem generat, eum nulla dies, nulla mors degenerat. Tunc enim cum ii qui resurrexerunt & steterunt cadunt, ipsa æternitati sacratissimæ parit & tradit. Usitata scripturæ locutione, homo (*l*) dicitur putredo, & filius hominis vermis. Ut enim vermes de putredine, sic homines de corruptione nascuntur. Siccine verò & Mater Misericordiæ parturit? Sic, & non sic. Sic. quia vermes: non sic, quia vermes de flore suo parturit. Aspice primum ejus filium JESUM, & audi Patri æterno loquentem: (*m*) *ego sum* inquit *vermis, & non homo.* Vermis, quia scilicet humilis, proinde exaltari dignus, proinde mortuus vita æterna donandus. Non tamen de corruptione vermis, sed de flore virginitatis. Vermis, (*n*) serpentes sustuli, draconem superavi, infernum momordi, sepulchrum erosi, & tandem renatus phænix in arces immortalitatis subvolavi. Jam verò, quo modo primum, eo posteriores hæc Mater profert filios, vermes humiles! de flore suæ misericordiæ. Isti enim quia deprimunt se infra terras, elevantur supra cœlos: isti quia calcantur, deinde honorantur: quia ante mortem vertunt se in cinerem, sicut phænix cum cadunt resurgunt, cum deplumantur plumescunt, cum consumuntur, æternitatis in beatæ arces volatu ascendunt. Hæc est igitur una Eva, una Mater, quæ immortalitati vitali generat filios. S. Epiphanius

(*l*) *Job.* 25. 6. *Pined. ibi.* (*m*) *Psal.* 21. 6. *Lorin. ibi.* (*n*) *Bonav. in spec. B. V.*

phanius comparans Virginem cum Eva: (o) illi inquit datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem: MARIÆ verò datum est à Deo, ut pareret nobis Agnum & ovem & ex gloria ipsius Agni & ovis, fieret nobis velut â vellere, in Sapientia per virtutum ipsius indumentum incorruptibilitatis. Eva quos parit, fasciis involuit, nempe qualem proli vitam, talem nuditati ejus impertitur vestem. MARIA autem quia viros vitæ Immortali parturit, incorruptibilitatis indumentum offert. Indumentum autem hoc non fila lanæ, sed viscera Christi confecerunt: pulcherrimum, quia in Sapientia: fortissimum, & incorruptibile quia per virtutem. Sed si indnmentum Sanctorum deteri non potest, quomodo vita eorum aliquando deficere poterit?

§. 5.

QUid verò de fontibus Marianæ dicemus pietatis? Semper illi scaturiunt, & quos salutari succo perfundunt, Christo conformes fratres reddunt. Vidit hoc Guerricus Abbas cum dixit. (a) *MARIA filios etsi sint geniti Verbo Veritatis, nihilominus parturit eos, quotidie desiderio & cura pietatis*, donec formetur in illis Christus. Ex quibus constat, verbis, (b) Matrem Misericordiæ & gratiæ Increatæ, matrem quoque habendam & colendam esse, Misericordiæ creatæ,

(o) *Epiph. l. 3. hæres. 78. adv. hæres.*

(a) *Guer. Serm. de nativ. B.V.* (b) *Augustinus lib. de S. Virginit.*

creatæ, ſive filiorum Miſericordiæ, prolis Gratiæ. Et hoc indicavit Auguſtinus cum ſcripſit: fuit *MARIA mater Spiritus, non capitis noſtri, quod eſt ipſe Salvator, à quo magis ipſa Spiritualiter nata eſt, ſed planè Mater membrorum ejus quod ſumus nos.* At nos peccatores? Solvit metum Anſelmus. (c) *Si illa propter peccatores facta eſt mater Dei, cur non illam propter nos, parentem futuram ſperabo?* In quo verò ſudat Matris noſtræ pietas & miſericordia circa nos peccatores? in hoc, reſpondet Guerricus, (d) ut formetur Chriſtus in nobis. In multis ille inchoatur, ſed non perficitur: in multis, formatur, ſed deinde deformatur: Virginis autem pietas vigilat & laborat ut inchoatus conſumetur Chriſtus: ut formatus, non deformetur, (e) ut deformatus reformetur. An verò deformari ille non poteſt? S. Virgini coletæ exhibuit aliquando Virgo ſuum natum, vulnere ſuper vulnus conciſum, & addidit, hoc eſt opus eorum qui facinoribus ſeſe tradidere, & nominatim pueritiæ, in peccandi licentiam diſſolutæ. Virgo tamen etiam hos Chriſti ſui conſceleratiſſimos violatores & deformatores non deſerit, ſed invocata accurrit, aſſociata collaborat, ut rurſus formetur Chriſtus in illis. Quid tu putas, an pulcherrimè olim concinnatus & aptatus, non eſt Chriſtus deformatus: (f) à Theophilo illo, in Theophilo? iſtum tamen quantum adiuvit Miſe-

(c) *Anſel. de laud. B.V.* (d) *Guer. ubi ſupra.*
(e) *Steph. Jul. in vit. coletæ.* (f) *Surius. 4. Febr. in Theophilo.*

Misericordiæ Mater, ut pristina Christi forma in ipsum rediret? In quo imitatur Virgo Deum Patrem, hominis plastem, de quo Florens: *recogita* inquit, (*g*) *totum limo illo occupatum Deum, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, Sapientia, providentia, & ipsa imprimis affectione, quæ lineamenta ductabat*; quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur, homo futurus. Similiter virgo cum affectione pietatis suæ nos circa corruptos versatur & laborat, quid cogitat, quid respicit? quid de limo nostro exprimere conatur & ardet? utiq; Christum. Sed, Pater Christum in limo exprimebat, ut hominem futurum: Virgo autem de nostro educere limo contendit Christum, ut Deum fulsurum. Charitas ergo pietatis MARIÆ format in nobis Christum, cum Christi implet charitate. Nam *forma Christi tunc habetur*, fatur Augustinus (*h*) *cum ei spirituali dilectione adhæretur*. Neque verò desinet antequam mundus corruat, Virgo in nobis formare Christum: quoniam conjugium quod ipsa cum S. contraxit Spiritu nunquam desinet: (*i*) *Honor autem conjugii & matrimonii dignitas*, Chrysologo docente, *est dulcium procreatio liberorum*. (*k*) Virtus altissimi inquit Angelus virgini obumbrabit tibi, ut per te explicat Gregorius de Spiritu S. formetur Christus: (*l*) Sed tu de eodem Spiritu Deo filios adduces. Quærit Deus, nunquid

(*g*) *Tertul. l. de resur. carnis.* (*h*) *Aug. l. de S. Virg. tom. 6.* (*i*) *S. Chrysolog. serm. 92.* (*k*) *Luc. 1. 35.* (*l*) *Greg. l. 33. mor. c. 3.*

quid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul? & tacentibus omnibus, ipse respondet, (m) *parturivit, & peperit Sion filios suos.* Quæ Sion? illa, cui dicit universa Ecclesia, mater misericordiæ, mater gratiæ. Hæc una die festivitatis suæ quanta gentium agmina parit? (n) Ista uno die Stephano suo cum Hungaria baptizato, gentem quasi unam probem accepit. Sicut ergo potest una die exercitus parere, sic pariendi ejus virtus cum tempore non minuetur.

§. 6.

DEcet porrò nos filios pietatis MARIANÆ, in pietatis exercitio, in affectione miserandi eam æmulari. Proles enim sequitur ventrem, hoc est matrem. Decet nos quoque conniti, ut in proximis Christus formetur. Cujus ostendit modum Bernardus. (a) *Quando veritatem alterum intelligere facis, Christum gignis:* nosti voluntatem DEI, & consentis, aut consentire facis ei, Christum concepisti, aut concipi fecisti. Consensu concipitur, affectu nascitur, effectu nutritur. Vidit aliquando S. Melehtildis (b) in Spiritu elevata Seraphinum in cœlis ad pedes virginis procumbentem, eamquè profundè adorantem, & multas gratias referentem, quod Mater Misericordiæ, sua viscera pietatis exereret, & nova prole cœlum augeret ac recrearet. Quid

(m) *Isai.* 66. 8. (n) *Sur.* 20. *Aug. in vita S. Steph. Regis Hung.* (a) *Bern. de domo inter.* c. 68. (b) *Mechtil. l.* 1. *de grat.*

Quid si & nos filii virginis, ut possumus DEO filios, Christo fratres, Seraphinis Angelos nostræ pietatis usu augeamus? Possumus, velimus. Pulchrum est audire choros concinentium, non possum perire, præ pietate MARIÆ. (*c*) Sed & illud erit dulce carmen, cum accinent nobis salvati cives cœli, non perii præ pietate filii MARIÆ. Cæterùm pium esse mutis, & non esse pium vivis templis, crudelis est pietas. Non mihi hoc verbum excidit, sed Deus illud de ore S. Valerii excidit. (*d*) *Crudelis est pietas, quæ nescit condolere miseris, & subvenire perituris.* Ejusmodi, timeant illud Quintiliani, *famam ipsam* inquit (*e*) ille *infamavimus, & quod miseris ultimum est miserationem quoque perdidimus.* Taliter infames, an MARIÆ filii?

§. 7.

DEcet præterea, & altera viâ conformari nos Matri Misericordiæ & gratiæ. In quo verò? in divina quærenda gratia. At nos quærimus diligenter, & inquietamus Deum instanter ad obtinendam gratiam non interruptæ sanitatis, ad consequendam gratiam agri aut vineæ, aut thori. Sed hæc omnia & extra eum sunt, & æternitati nostræ non commensurata. *Prudens virgo*, ait Bernardus (*a*) *non Sapientiam sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed*

(*c*) *Bern. ser. sup. missus.* (*d*) *Valerius. hom.* 1. (*e*) *Quintilian. declamat.* 12.
(*a*) *Bern. serm. de nativ. B. V.*

sed gratiam requirebat. Et pronunciat grande axioma. Sola eſt gratia quâ egemus. (*b*) Cætera enim quibus egemus, brevis horæ ſunt incommoda, gratia æternitatem reſpicit. Quantum namquè gratiæ, tantum refundetur nobis æternæ gloriæ. Et infert, quæramus gratiam, & per MARIAM quæramus. (*c*) Et ſimul altero ſermone precibus nobis præit. Jam te Mater miſericordiæ per ipſum ſinceriſſimum mentis tuæ affectum, tuis jacens provoluta pedibus. (*d*) Luna, mediatricem ſibi apud Solem juſtitiæ conſtitutam devotis ſupplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen. Nempe in lumine gratiæ tuæ, videat lumen gloriæ Dei. Clamavit olim. Joſue, (*e*) *Luna ne movearis contra vallem Ajalon.* Sed & tu Luna Chriſtiana ſecuta Bernardi conſilium à MARIA ne movearis, ne recedas, ſed ſemel de pedibus ejus pendens, fixa ibi perſevera. Mutaberis cæteroquin & decreſces, & quod Luna neſcit cœli, tu Luna terræ, cœlo excides. Multi enim qui MARIAM reliquerunt, à miſericordia abſciſſi perierunt.

ARTICULUS VI.
MATER MISERICORDIÆ VISITANS.

§. I.

INter ſublimes Magnæ Matris titulos, reponendus

(*b*) *Idem ibid.* (*c*) *Ibidem.* (*d*) *Bern. ſerm. ſuper ſign. magn. in fine.* (*e*) *Joſue* 10. 12.

dus eſt ille, à Doctore Seraphico ei datus. (a) *MAPIA eſt finis Iræ Dei.* Hujus tituli ut magnitudo & ſplendor eluceſcat, recurrendum nobis eſt ad initium Iræ Dei. Hoc autem quid eſt, vel quis eſt? Tu es, & non alius, ſupreme omnium Angelorum, (b) tu principium viarum Dei, tu initium Iræ Dei. Ut principium viarum hoc eſt operum Dei, primos & præcipuos miſericordiæ DEI rapuiſti flores: ut initium Iracundiæ, tu primus, à tota æternitate non ardentem, iram Dei fodiſti, excitaſti, incendiſti, (c) tu incenſam in Angelos tui ſequaces propuliſti, & denique ex Lucifero factus ignifer, & publicus cœli incendiarius, fodere iram *Dei*, homines primos docuiſti, & ſic cœlum, terram, inferos irâ Dei repleviſti. Sed, non ut inchoare, ſic finire iram Dei potuiſti, imò nec tuus omnis comitatus, quin neque omnium Sanctitas & Sapientia Angelorum. Illi hoc relictum, quæ infra te humilitate, ſupra te dignitate præſtat. (d) Illa finis Iræ Dei, quæ principium miſericordiæ Dei, principium inquam Incarnatam Dei miſericordiam mundo repræſentans. Quod igitur omnes vires innumerabilium non poterant præſtare Angelorum, MARIA Mater MISERICORDIÆ perfecit. Ignis eſt ira Dei à ſummo cœlo incipiens, per ſpatia infra cœlos ſita

(a *Bonav. in pſalt. B. V. quinqu.* 1. (b) *Job.* 40. 14. *Pineda. ibi.* (c) *Pythagoras, ignem gladio ne fodias. iram ne ſuſcites.* (d) *Hymnus græcorum in menæis.* 5. *Maji ode.* 3.

ſita tranſiens, in noviſſimis inferni ſubſiſtens, (e) ſed hujus tamen Ignis, MARIA finis. Diluvium eſt Ira Dei, non quadraginta, ſed æternis diebus perſeverans, contra quod non eſt arca; (f) Maria tamen hoc diluvium finire poteſt, & in momento pondus æternitatis pluentis ſiſtere, ac diſcutere. Ira Dei eſt mater, præcedente peccato, omnis miſeriæ, quæ nos coronat: MARIA tamen finis Iræ, finis & miſeriæ, quoniam ſine fine eſt Mater miſericordiæ. Fruamur aliquantulum hujus tituli dulcedine, & attendamus, quomodo Virgo finem Iræ divinæ Joanni parvulo attulerit, nobis omnibus promittat: ut meritò illi Eliſabeth viſitanti, acclamandum ſit, ſalve finis Iræ Dei, Salve mater Miſericordiæ.

§. 2.

INter claſſes & legiones multiplicis humanæ iræ, ira regis, & Stulti primas tenet. Utra tamen moleſtior? exiſtimo Stulti. Nam ira regis vel juſta eſt, & juſtitia lenit dolorem: vel injuſta, attamen cum habeat authoritatem, leoni in patiente moleſtiam, Stulti autem ira, utroque caret. (a) Quare ira Regis confertur leo: ira Stulti ſaxo & arenæ. (b) Rugit leo in ſilvis, & monitus viator recipit ſe in latibula: pellitur navis à vento ſubſequente valido in ſaxa, vel arenas, & contra hoc non occurrit remedium. Salo-

(e) *Deut.* 32. 22. (f) *Gen.* 7. 12.
(a) *Proverb.* 19. 12. (b) *Prov.* 27. 3. *Grave eſt ſaxum & oneroſa arena.*

Salomon onerosam stulti volens exprimere iram, *ira* inquit (c) *in sinu Stulti requiescit.* Ubi tacitè Sapientis iram subindicat: hæc enim per fel Sapientis transit, & non subsistens in ventos abit; in Stulti verò personam illapsa, eum non transit, sed occupat, in ejus mentis & cordis sinu hospitatur & quasi hiberna exercet, & simul modos ultionis excogitat & cudit, quasi remedia iræ, cum tamen sint magis ejus septa & propugnacula, quæ aspiciens Sathanas ridet & ovat. Quare Sapienter Ambrosius, loquens de irato, vindictam machinante, (d) *debemus cavere, ne remedium nostrum sit Sathanæ triumphus.* Quanquam verò ita se res habeat, non est tamen ira supra Dei iram, quam quinque instruunt & augent, nempe regalis authoritas, justitiæ Sanctitas, Stultitiæ nostræ iniquitas, Sapientia modos vindictæ inveniens, potestas denique eos exequens. Intuere Adæ peccatum, quod secutum est Dei odium & ira, & sequitur. Quantum verò? ad casas & cunas pauperum? etiam regum. Quamdiu? ad unum annum? etiam ad annos & per annos æternos. In viros tantum & adultos sæviens? etiam ad lactentes, etiam ad parvulos in visceribus matrum latentes. Quis enim parvulorum, non dico lactentium; sed ante usum lactis materni conceptorum, expers Dei iræ? (e) Filii iræ concipimur, filii ejusdem iræ edimur: & quidem talis iræ, ut nisi ei provideatur justo remedio, parvulus innocens,

(c) *Eccl.* 7. 10. (d) *Ambr. l.* 5. *de pœnit. c.* 17. (e) *Ephes.* 2. 4.

cens, suo hæreditario tantum peccato nocens, à vultu Dei, à cætu Sanctorum, à domicilio Angelorum, à fælicitatis plenæ omnisquè complexu, æternum rescindatur? Quis hæc satis miretur, non dico eloquatur? Ego semper hic hæsi attonitus, & dixi, (f) *labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei.* Assignat acutissimus Doctorum causam, cur de sanctis etiam parentibus, ut fuêre Zacharias & Elisabeth prodeant iræ filii: (g) *parentes* inquit *Sancti non generant filios quia Sancti, quia ut sic non sunt filii Adæ sed Dei*, â quo habent Sanctificationem, generat autem filios, quia sunt filii Adæ, à quo naturam vitiosam acceperunt, & sic vitiatam tranfundunt in posteros. Veneramur causam, cum qua tamen adhuc patimur difficultatis tormentum. Cum natura vitiosa moretur in parentibus, ut filiis Adæ, cum item in iisdem resideat gratia quà filiis Dei, eas totos sanctificans, cur natura vitiosa vitiosos, & non Sancta gratia gratiosos Deo generat filios? Jam Adæ peccatum in Ada consumptum, jam idem peccatum in filium post eum viventem transfusum, remedio baptismi est sublatum: jam nulla in generante regnat iniquitas, supponitur enim non peccator sed Sanctus generare. An Sanctitas ut sanctitas generationi obstat: (h) sed Sanctitas Æterni patris, in splendoribus Sanctorum, Sanctum Sanctorum generat. Sed & Adam

(f) *Psal.* 72. v. 16. (g) *Aug. l.* 2. *de pecc. & grat. c.* 3. *& lib.* 3. *c.* 8. 9. (h) *Sanctitas fæcunditatis non obstat. Psal.* 109. 3.

Adam si in originali Sanctitate mansisset, sanctos in Paradiso filios genuisset (*i*) Jam & hoc non est incertum, gratiam, qua nunc ex meritis Sanctificamur Salvatoris, & digniorem & efficaciorem esse gratia originali. Cur igitur Sancti Sanctos non generant. (*k*) Parumne mali portaret mundus, si de gentilibus, & infidelibus, nec non peccatoribus parentibus, filii iræ profluerent. Nunc autem quem admiratio non rapit, quem dolor non pungit, quando & sancti generant prolem divini odii? quando de rosis prodeunt spinæ, de adamantibrs carbones, de civibus cœli, cœli exules?

§. 3.

PArentum vitia ad filios transmitti videmus, sed & virtus patrum in nepotibus refulget, cur non item gratia quoque? (*a*) *Si tenuiter rivus fluit*, inquit Hyeronimus *non est culpa alvei, sed fontis*: verùm, si fons parentum non est turbidus sed limpidus, cur rivus filii lutulentus: Fixum est Dei verbum, (*b*) *benedictio patris confirmat domos, maledictio Patris eradicat fundamenta.* Omninò ita est: (*c*) ad benedictionem Isaac Jacob in tribus & populos & ingentes excrevit opes. Narrat alicubi S. (*d*) Augustinus, decem filios à matre percussos esse maledictione tanta ut ii perpetuæ membrorum tremore agitarentur. Hic verò stupor? hic horror

(*i*) *Aug. in Genes.* (*k*) *Ambr. in psal.* 37.
(*a*) *Hyeron. Epist.* 77. (*b*) *Eccl.* 3. 11.
(*c*) *Genes.* 27. (*d*) *Aug. l.* 22. *de Civit. c.* 8.

horror? ante ſuſceptionem filiorum orant parentes ſteriles, & benedictionem fæcunditatis à Deo reportant, quæ tamen ad animas filiorum non tranſit; & de gratia Dei dati, gratiâ ejusdem carent. (e) Euripides alicubi cecinit, *parentes eſſe animam filiorum*, eò quod ab illis vitam, inſtitutionem, & omnia accipiant, & quemadmodum ab anima corpus in ſua dependet fælicitate, ſic bonitas, & vita laudabilis filiorum, à parentum exemplo & meritis. Cur tamen animæ parentum Sanctæ, quanquam velint & conentur, unam filii animam gratia ſanctitatis non vegetant, non vivificant? Feliciores pulli Aquilarum, (f) qui ubi nati in arduis repoſiti, cœlo fruuntur vicino, & Solis aſpectu dignoſcuntur. Hominum autem infantes, de rupibus Sanctis, de petris excelſis deciduntur, & in limo peccati hærere inveniuntur. (g) *Ex melioribus meliores procreari* ait Ariſtoteles, *probabile eſt*. Hic verò erraſti Philoſophe: tu neſcis, nos credimus, ſive à melioribus ſive à deterioribus parentibus, pares peccato, ſimiles iræ Dei reſpectu filios provenire. Quemadmodum filius ſtulti aut Sapientis progenitoris, nil differt in Sapientia rerumque ignorantia ac vacuitate rationis ab altero, ſic bonitas parentum, nil imprimit in animas filiorum. Advertunt ſcripturæ doctores, de Cain non eſſe

(e) *Euripides, apud Stobæum. Verbo parentes.*
(f) *Job, 39. 27. 28. Aug. ſer. de S. Joan.*
(g) *Ariſt. lib. 3. polit. c. 8.*

dictum, (h) quod genitus sit ad similituidnem atque imaginem Adæ, quomodo de Seth refertur: Cæterùm, qui in media vita ab invicem sunt divisi, in principio vitæ Cain & Seth eadem malitiæ similitudine sunt confusi: refulsit in Seth imago bonitatis Adameæ, sed tardius: in ortu tamen suo, uterque similitudinem Adæ peccatoris, Deo ingrati atque odiosi portavit. (i) Pueri illi qui Elisæum amaro joco clamantes proſciderunt, narrantur ab ursis divinitus immissis puniti. Cur non à canibus, cur non à tauris vel leonibus, sed ab ursis? Refert Pierius. (k) olim ursæ aut ursi, imaginem designasse hominem, qui à dissoluta ad disciplinatam vitæ rationem esset reductus. Ursa enim informes filios elambit. Pueri ergo in Elisæum delinquentes, dum puniuntur, vitia & supplicia parentum suorum ostendunt, quia ab illis perperam instituti, dum malè pereunt, justo supplicio eos mordent. Cæterum in ortu infantum nihil potest proficere parentum cura, informes nati, informes Deo habentur: felicior ursa cujus elambit lingua. Vitium naturæ: parvuli autem nati & originis macula imbutis, non tantum lingua sed tota etiam anima, totaque parentum Sanctitas, non potest elambere atque diluere incoctam profunde labem. (l) Filius iræ est omnis infans.

§. 4. Quos

(h) *Genes.* 5. 3. *Oleaster. ibi.* (i) 1. *Reg.* 2. *Liran. ibi.* (k) *Pier. l.* 11. *hier.* (l) *Roman.* 5. 12.

§. 4.

QUos inter & Joannes reponendus est, matris carcere conclusus, & Crimine originali infectus. Et super illum enim ira Dei pendebat, cujus tamen finis venit cum Mater DEO advenit. Elevavit vocem, super futuram DEI VERBI VOCEM MARIA, & ira quæ ardebat, refrixit, & vox saltu & gaudio voci MARIANÆ respondit. Justi ejus parentes coram DEO, & sine querela in omnibus justificationibus incedentes, (a) non erant tamen, tanti ut omnibus precibus & jejuniis, misericordiis & meritis, & toto sanctimoniæ apparatu, eum in Gratiæ divinæ filium possent commutare. Venit MARIA, vocem extulit, salutem impartit, & Joannem à vinculo divinæ Iræ, ejus vi quem utero portabat, absolvit. (b) Non illa genu pressit terram, non manus supplices composuit, non oculis cœlum petiit, non jejuniis membra attrivit, non pauperum misericordiis certavit, sed solum cognatam salutavit, & cognatæ prolem sanctificavit. Iste est primus peccator quem JESUS quæsivit, & per matris sonum sibi ut gratiæ filium, adjunxit. Speret mundus bene? Si tantum Virgo potuit, non orans sed salutans, quid aget intercedens? S. Bernardinus, eximius Matris misericordiæ amator, vocavit eam (c) *medicinam omnium*

 quasi

(a) *Luc.* 1. 6. (b) *Chrysost. apud Metaphr. mense Julio. Ambr. l.* 2. *in Luc.* (c) *S. Bernardinus tomo* 3. *serm.* 11. *art.* 11. *Eccl.* 43. 24. *Corn. à Lap. ibi. Menoch. ibi.*

quasi nebulam, alludens ad illud Ecclesiastici dictum, *medicina omnium in festinatione nebulæ, & ros obvians ab ardore vehementi*, humilem efficit eum, hoc est, cristallinum humorem aquæ gelu adstrictum: & glacie compeditum. Sensus est. Quemadmodum ad sanandum aërem vel aquam (quæ duo elementa suo rigore gelu corrumpit) valet virtus superveniens nebulæ, quæ rorem velut medicinam, adducit: sic benedicta Mater, ubi animi hominum gelu ac glacie peccatorum sunt læsi, & iræ divinæ adstricti, eos gratiæ divinæ sua intercessione impetratæ velut rore resolvit, & mollit, & in pristinam Justitiæ ac Sanctitatis temperiem reducit. Vide Joannem parvulum, & in eo grande adora miraculum. (*d*) Vix conceptus, jam statim irâ Dei velut urenti hyeme in matris alvo vinctus, & glacie peccati compeditus hærebat. (*e*) Humilis autem Virgo cum matrem ejus visitans adfuit, ut nubes obscura, rorem Christum in se clausum portans, sese explicuit. Hic ros gelu urens fugavit, glaciem peccati dissolvit, & de filio Iræ Gratiæ filium reddidit. (*f*) Et adverte, Joanne nato, conveniunt amici & vicini congratulantes quia magnificavit Dominus misericordiam cum illa, scilicet cum ejus matre. Joannes ergo nascitur, & magnifica Dei misericordia refulget & explicatur. In quo verò? (*g*) an quia sterilis & senex concepit

(*d*) Psal. 115. (*e*) *Bernardinus ubi supra.*
(*f*) *Luc.* 1. 58. (*g*) *Tolet. in c.* 1. *Lucæ annot.*

pit, & conceptu miſeriam ſterilitatis à ſe abegit? Sic certè illam miſericordia Dei, Joannem miſeria hominis, quia iræ filium, involvit. At cum idem naſcitur, jam miſericordia Dei pura & magnifica ſine admixtione matrem & filium complectitur. Unde verò iſta proceſſit miſericordia? & quando? Utique quando viſitans MARIA eum filium Gratiæ, verbo ſuæ Salutis perfecit. Tunc nebulam rore miſericordiæ plenam domus Zachariæ ſenſit. (*h*) Tunc quod in aliis facit virtus baptiſmalis aquæ, in Joanne operatus eſt ros Salutantis MARIÆ. Dixit autem Bernardinus (*i*) Virginem eſſe medicinam omnium quaſi nebulam; ut hinc diſcat potentiſſimam MARIÆ miſericordiam. Ecce enim illa non ſolum Iram Dei quam in Joanne invenit, finivit, ſed ne unquam illi obnoxius eſſet, peregit. Semel enim de JESU gratia per os MARIÆ, gratiæ ſoboles factus, nunquam ipsâ excidit. Non ſic verò, non ſic nebula ſacri baptiſmi, & in nebula latens ros miſericordiæ nunc perſanat infantes: tollit & illa quidem, ac finit iram Dei; non ponit tamen aggeres, non obſtacula multiplicat ut primum culpa noſtra, deinde divina ira ad nos non penetret. Itaque egemus iterum atque iterum nova Sacra nos ſanante nebula, & miſericordia quaſi denuò baptiſante, maculasquè noſtras abluente.

(*h*) *Petr. Dam. de Viſit. B. V. ſerm.* (*i*) *Bernardinus ubi ſupra.*

§. 5.

EXulta jam benedicte parvule, & canta cum Davide Joannes: (a) *expectans expectavi Dominum & intendit mihi, eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis, statuit supra petram pedes meos.* Expectâsti non sex diebus ut mundus quando in ornatu suo perficiebatur, sed sex mensibus, & Dominus intendit tibi, quia in momento vocis maternæ, & tibi os suum & linguam consecravit. Unde Ambrosius, (b) *citò adventus MARIÆ, & præsentiæ divinæ beneficia declarantur*: imò, Dominus extendit se ad te, ut legit Hebræus. Contraxit se quidem ille Servi formâ, sed extendit se ad te matris salutantis gratia, quæ aures tuæ Elisabeth, & simul animam tuam inanem implevit. Eduxit insuper te de lacu miseriæ. Dominus quidem induxit te in lacum misericordiæ, sed lacus te accipiens & complectens induxit te in lacum miseriæ. Ubi sciendum est phrasi Sacrata matres dici lacus. (c) *Attendite ad petram*, provocat Isaias suam gentem, *unde excisi estis, & ad cavernam laci de qua præcisi estis*: hoc est considerate patrem vestrum Abraham & matrem vestram Saram. Hunc esse sensum germanum, ostendit sequens versus, (d) *attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Cum ergo Elisabeth sterilis & longæva Baptistam

(a) *Psal.* 39. v. 3. (b) *Ambr. l.* 2 *in Luc. Hebr. tex. in psal.* 39. v. 2. c. *Isai.* 51. 1. *Hyer. in c.* 51. *Isai.* (d) *Isai.* 51 2.

Baptiſtam de gratia Dei ſpeciali concepit, Deus eum in lacum miſericordiæ induxit. Iſte tamen lacus miſericordiæ, non eſt factus Joanni locus miſericordiæ, ſed iræ: unde & projecit eum in lacum miſeriæ. Sic vocemus originale peccatum. An enim illud non lacus? non vaſta & immanis cavitas & inanitas, quæ capit & continet, & excipit ſemen omne Adami? An non lacus miſeriæ, ubi primum eſſe, eſt non eſſe gratiæ, ubi prima vita, primæva mors, ſecundæ traditura? Bellarminus Card. (*e*) ex Hebræa proprietate deſcribens hunc ipſum Pſalmi lacum, *locus* inquit *profundus innuitur, carens lumine & luto putrido plenus, in quem multi deciderint, ex quorum motu & ejus latu exiſtat tumultus, & confuſio magna.* Genebrardus ex Hebræa origine, locum Davidis præſentem effert (*f*) *eduxit me de lacu ſtrepenti*, ſive in quem aquæ cum ſtrepitu & fragore decidunt. Vide autem, num ita ab authoribus deſcriptus lacus, non exprimat originalis peccati malitiam. In eum enim aquæ multæ, populi multi (*g*) imò populi omnes dècidunt, & decidentes inquit Bernardus in lutum & in lapides cadunt, & corruentes luto inquinantur, lapidibus vulnerantur: hinc clamor & tumultus, & confuſio & nullus ordo. Ratio enim lumine diminuitur, voluntas fragilitati ſubditur, memoria Dei oblivione inficitur, ſenſus contra rationem, appe-

(*e*) *Bellar. in pſ.* 3. §. 3. (*f*) *Genebr. in pſ.* 39. §. 3. (*g*) *Apoc.* 17. 15. *Bernar. ſer. de circum.*

situs contra Sapientiam tumultuatur. Illum verè & breviter dixeris laeum primæ iræ DEI, ex quo effluit alter lacus æternæ iræ Dei. Ex hoc ergo lacu miseriæ, profundo & cæco, putrido & fætulento, Strepenti & tumultuoso Virgo Mater, Dei virtute eduxit, Joannem & pedes ejus, hoc est affectus, supra firmam petram, supra scilicet perseverantem in bono gratiam statuit. Jure ille canere cum S. Bonaventura potest (*b*) *expectans expectavi gratiam tuam Domina, & eduxisti me de lacu miseriæ, & de fovea inimici.* Fui in lacu iræ, & tu me inde sustulisti, & filio tuo agglutinâsti, ô pulcher, & potens, nimiumque magnifice FINIS iræ Dei.

§. 6.

SOlinè verò parvuli cadunt in lacum miseriæ &Iræ Dei? (*a*) an etiam grandiores in eum urgentur? Explicans S. Athanasius proxime dictum lacum miseriæ & fæcis eum vocat *cænosas voluptates*: Dydimus (*b*) *vitia eamalia*, Cyrillus, *fætentia crimina*, Bellarminus *limum carnalium cupiditatum.* Augustinus, *peccatum consuetudinis. Væ tibi* inquit ille *flumen humani moris, quis restitet tibi?* Constat autem adultos cænosis voluptatibus, vitiis carnalibus, fætentibus criminibus, limo cupiditatum & viscosis consuetudinibus inquinari atque implicari: constat quapropter eosdem in lacum Iræ Dei

(*b*) *Bonav. in Psal. B. V. versu* 38.
(*a*) *Vide Lor. in ps* 39. *Atham. in psal.* 39.
(*b*) *Dydim. ibi. Cyril. Bellar. ibi. Aug. ibi.*

Dei præcipitari, ex uno perſæpe in alium iræ lacum unde non reditur, detrudi? In quo feliciores vos eſtis parvuli, quos ſi mors in lacu originalis miſeriæ hærentes deprehendit, ira Dei, in lacum perpetuæ Iræ ad ſenſus pœnam non mergit: nos autem ubi in lacum peccati corruimus, debitores lacus Iræ æternæ conſcribimur, de quo ſi ex miſericordia Redemptoris nos non ſublevamus, de imo in imum ubi non eſt redemptio, devolvimur. Jam verò finis iræ Dei Virgo quid in utrumque lacum utriusquè Dei iræ poteſt? Hoc quod mater Miſericordiæ ut enim lux tenebras ubicunque invenit perſequitur, & expellit: ſic mater Miſericordiæ, ſive Miſericordia fæcunda, ubicunque miſeriam invenit, eam proſcribit: & quia ipſa facta eſt Miſericordia omnium maximè fæcunda, pellit ubi reperit viſitans ſuam ſpeciem, miſeriam maximam quæ eſt peccati. Porrò inter peccata, conſuetudinis ſive mali moris culpa tenet principatum. Conſuetudinem improbam, flumen moris dixit Auguſtinus, (*d*) ſed vi non poſſit reſiſti. *Væ tibi* inquit *flumen humani moris, & quis reſiſtet tibi?* Quare orator Romanus, (*e*) *aſſiduus* inquit *uſus uni rei deditus, & ingenium & artem ſæpe vincit*: uſus autem aſſiduus peccati, talem Dei iram provocat, ut eam nulla unquam natura tota ſua mole & poteſtate vincat. (*f*) De Cretenſibus refertur,

 apud

(*c*) *Apocal.* 14. 19 (*d*) *Aug. l.* 1. *confeſ. c.* 15.
(*e*) *Cic. orat. pro Corn. Balbo.* (*f*) *Alex. ab Alex. genial. dier. l.* 3. *c.* 22.

apud eos acerbissimam viguisse imprecationem, ut hi quos devoverant diris, mala consuetudine delectentur, & subdit Alexander ab Alexandro qua imprecatione nulla est efficacior ad excidium properandum, (*g*) tanquam qui in abusum lapsus semel fuisset, amplius emendare facinus, & ad frugales mores reverti nequiret. Quæ, quanquam vera sint, tamen virgo in omne virus peccati, habet in se remedium, (*h*) prout ipsa indicavit S. Birgittæ, *ego sum*, loquens *Mater misericordiæ à Deo constituta, & nullus est ita alienatus à Deo, qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habet misericordiam.* Et verò non diffitemur, improbæ consuetudinis vim esse vehementem, & peccata ubi transiere in vitia artem & naturam vincere: Virgo tamen contra flumen veteris ac corrupti moris, mater dicitur à S. Bonaventura, (*i*) & est, NOVI MORIS, non solum quia contra morem naturæ, Virgo peperit, & Virgo permansit, sed etiam quia multas animas, ut meretrices habitibus malignis sordidas accipit, & in mundas Virgines commutat. Non est tantum Virgo Finis Iræ Dei, sed etiam appellata est à Petro Ravennate, (*k*) FINIS VITIORUM. *Hæc* inquit ille, *quæ gratia Dei, terris DEUM dedit, dedit & finem vitiis.* Pulchrè in hymno græcorum, Salve, canitur *OFFICINA ad refingendam massam*

(*g*) *Idem ibid.* (*h*) *Birgit. in revelat.* (*i*) *Bonav. in psal. minor. quinq.* I. (*k*) *Petrus Raven. in explic. Ave.*

ſam noſtram. (*l*) Ut falces quando fabri ſubeunt officinam mutantur in vomeres. & lanceæ belli, in arma pacis: ita Virgo novit & poteſt, dedecoroſa conſuetudine induratos ut ferrum & nocentes ut ferrum, ſuæ pietatis igne emollire, & ſuavibus ſuis malleolis tubas Sathanæ, in tubas Dei gloriæ refingere. (*m*) Pulchra nominatur Virgo ut Luna: Luna olim bobus quibus vehi credita eſt præſidebat: conſuetudo verò peccandi jugo boum exprimebatur antiquitus; eò quod difficile poſſit exui illa, (*n*) ſicut boves ſua virtute non poſſunt jugum quod collo induerunt, excutere. Virgo ergo, Luna pulchra regit malos boves, & cum illi complacuerit, poteſt jugum frangere quod longo tempore bos Sathanæ portavit. Percurre S. Dominici vitam, (*o*) & videbis eum plusquam centum millia Albigenſium Mediante Virgine convertiſſe: ſicut & famoſas meretrices jugum veneris exuiſſe Acclamandum proinde illi eſt. Salve finis Iræ Dei, Salve mater novi moris, Salve officina maſſam refingens, Salve Luna boves conſuetudinis improbæ deſiungens.

§. 7.

CÆterùm quæ finis iræ Dei primæ, peccato ſcilicet in tempore adnexæ, eadem Finis DEI iræ ſecundæ, æternitati alligatæ. Quoties autem nos miſeriæ & calamitatis vaſa, de lacu

(*l*) *Manea 26 Jan. ode 5.* (*m*) *Cant. 6, 9. Mythiolog. l. 3. c. 17.* (*n*) *Iſidor. l. 12, c. 5.* (*o*) *Chron. S. Domin. Prædic. Fund.*

fæcis in lacum Ignis conjicimus? cum & peccamus fortiter, & remedia peccatis adhibere refugimus miserabiliter. Sæpe dilatat os suum super nos infernus, ad fores scilicet suas stantes, (a) & pulsantes? & nos ridemus? Evaserat de carne S. Fursei Spiritus, qui videns tres ingentes fornaces igno multo ardentes adversum se tendere, trepidare, & Angeli Ductoris opem implorare cæpit. Cui Dux: *quod non succendisti hoc non lues* Ponat verò jam unusquisque cor suum supra opera sua, & videat quot & quales fornaces se contra succendit? comeditur, & bibitur, nec justè nec castè vivitur: isti sunt ignes inferi, sed quanti & quot? Una scortatio, unam inferorum fornacem succendit, quid plures? Quærit unus Sanctorum, *quid aliud ignis alterius seculi, nisi tua devorabit peccata*? Quantò amplius nunc tibi parces, & carnem sequeris, tantò durius postea lues, & majorem comburendi materiem reservas. Addo, nunc irasci tibi, & pœnitere non vis, (c) (pœnitens enim homo, est Sanctè iratus sibi teste Augustino) sed audi sapientem: (d) *impiis usque in novissimo, sine misericordia ira superveniet.* Et Esdram: (e) *exiit ignis ex ira, & quis est qui extinguat eum?* Ecce tamen si nunc cum currunt dies salutis ad Matrem misericordiæ recurras, illa finem Iræ Dei sine misericordia, efficaciter inveniet. Quomodo

(a) *Ven. Bda. in hist. Anglic. Surius* 16 *Janu.*
(b) *Thomas de init. Christ. l.* 1. *c.* 24.
(c) *August. in l.* 50. *homil.* (d) *Sapient*, 19. *v.* 1. (e) 4. *Esdr.* 16. 9.

modo verò? ipſa tibi Incarnatam & infinitam MISERICORDIAM conciliabit. Jacebat aliquando proſtratus in preces S. Pachomius, (*f*) & miſericordiam Dei cum lachrimis ſupplex implorabat: ecce autem medius duos inter Angelos apparet juvenis inſtar Solis fulgens, & corona ſpinea in capite ejus. Tum Angeli ad S. Pachomium, quoniam expetiviſti ut ad te à Deo mitteretur miſericordia, ecce ipſe eſt MISERICORDIA, Deus gloriæ JESUS Chriſtus, hac fruere, licet. Quæ ſemel Pachomio, quoties aliis inviſibili modo adeſt MISERICORDIA, quæ manu Virginea tanta eſt, ubere lactata, nunc verò ab ejus pendet ore interceſſorio, quod ubi Virgo aperit, Miſericordia peccatori ſe advertit, & communicat, & à foribus inferni avulſum, cœli ad oſtia transfert. Oranda eſt ſæpe cum Seraphico Doctore, (*g*) *converte ad me, & vivifica Domina, de portis mortis reduc me, in extremis terræ revela miſericordiam, & audiatur nomen tuum.*

§. 8.

NOn tantum verò Mater Miſericordiæ nos in ſalutari ſuo viſitans extinguit iram DEI ſine termino arſuram, ſed etiam materiem ei ſubtrahit, quam alias peccator illi miniſtrat. Raymundus (*a*) Capuanus clariſſimi PP. Prædicatorum ordinis Sanctus Generalis, vocavit Virgi-

(*f*) *Claud. Aquav. in pſal.* 44. *ad ejus verſum* 19.
(*g*) Bonav. *in pſ.* B. *V.* v. 4. *in nocturno, &* v. 71.
(*a*) *Raymundus p.* 14. *c.* 56.

Virginem *virgulam fumi*. An quia ipsa semper recta ut virgula, & odorata ut fumus aromaticus vixit? (*b*) quo fumo ne sordeat terra purificatur, quo fumo, ut mordeantur oculi peccatoris & Salutari pœnitentia humeant ac liquescant, excitantur? An quia ipsa sordes mundi, ne provocent jacula iratæ Justitiæ, velat & tegit? Sic est. Sed & alio modo, Virgo, virgula fumi. Docet Aristoteles, (*c*) & ejus sensum approbat experientia, fumum immediatam esse ignis materiam. Sive enim lignum, sive stipula & oleum vel altera pinguedo accendatur, in fumum primum antequam ignem concipiat resolvitur. Nostrorum autem peccatorum quæ est potissima materia? (*d*) Vanitas vanitatum, fumus desideriorum. Virgo autem vena nostra dissipat, bona vera & solida ostendit.

ARTICULUS V.

MATER MISERICORDIÆ PURIFICATA.

§. I.

EXpendens S. Bernardus illa psalmi verba, quæ Ecclesia Solennitati Virginis Matris attribuit, nempe, (*a*) *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, sic fatur (*b*) *suscepit*

(*b*) *Cant.* 3. 6. (*c*) *Arist. in problem.*
(*d*) *Eccl.* 1. 2. (*a*) *In introitu missæ in Purif.* B. *V.* (*b*) Bern. *ser.* 1. *de festo purif.* B. *V.*

ſuſcepit hanc miſericordiam David, ſuſcepit & Simeon, ſuſcepimus & nos. Suſcepit autem Simeon miſericordiam Domini, cum JESUM Salutare Dei in ulnas accepit, quando etiam dulce miſericordiæ carmen, nunc dimittis Servum tuum Domine in pace cecinit. Quid eſt autem in pace dimitti, niſi in benedictione miſericordiæ, ad locum pacis, ad ſinum miſericordiæ tranſire? Atque hoc carmen pacis & miſericordiæ, quod intra angulos templi Zorobabelis perſonuit, dimiſſum item eſt & exivit in omnes gentes. *S.* Chryſoſtomus conſiderans (*c*) S. Davidis affectum quomodo is invitet ad laudes Deo pangendas, creaturas de cœlis & terra, dracones & abyſſos, juvenes & virgines, exclamavit: *O magnam cytharam hominum totius orbis animas. Veluti nervos quosdam unam in conſonantiam, unum gloriæ ſermonem concrepantem, & congregantem.* Sed & S. Simeon exultans in DEUM vivum, & cantans Domino miſericordiæ ac pacis canticum, revera ut grandis cythara, orbem ſonitu jucundo implet, populosque & regna terrarum velut chordas ingentes movet & excitat. Ergo Chriſtianæ Eccleſiæ, nullo non die, incumbente veſpere, memores ſupremæ horæ, reſonant Domino & indicant ſui cordis votum, nunc dimittis ſervum tuum Domine, (*d*) ſecundum verbum tuum in pace canendo. Neque enim in Solius ſenis

(*c*) *Chryſoſt. hom. 6. de pœnit.* (*d*) *S. Athan. l. de commu. Eſſen.*

ſenis Sacerdotis ſinu, (e) ſpes felicis mortis requieſcebat, ſed ſimilis expectatio conſolationis non fugitivæ ſed ſtantis implet fidelis Dei. Suſcepit ille miſericordiam, & cecinit. An ſolus autem ſuſcepit, & non etiam nos? Non abivit de templo, non ceſſit de orbe cum Simeone Miſericordia Dei, *in templi medio* inquit Bernardus *miſericordia eſt, non in angulo, aut diverſorio, quia non eſt acceptio perſonarum apud Deum.* Sed & Matris Dei præſentia & miſericordia in cœlo ſedet, in terris ſentitur, inſtruit grandes, concinnat parvas cytharas, ut tactæ mortis ungue, reſonent cum Simeone, nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace. Quare ejus ineffabilibus obligata beneficiis, urgetur Purificatæ concinere, Salve Mater Pacis, Salve Parens MISERICORDIÆ, noſtra gratitudo.

§. 2.

MAgnam artem imò artem omnium artium ille percepit, qui diſcedente corporis cum anima vinculo, reſonare potuit, nunc dimittis Servum tuum Domine in pace. Iſte enim conſumpto cum omni miſeria bello, in æternæ pacis pulchritudinem feſtinat dignatus. Artem autem canendi ita, docet S. Evangeliſta, qui cum Simeonem juſtum, timoratum, expectantem conſolationem Iſraël laudat, (a) nobis ſecretum obtinendæ pacis æternæ indicat. Indue te igitur ô homo juſtitia, imbue timore, imple expecta-

(e) *Tolet. in c. 2. Luc. annot.* 45. (f) *Bern. ſer.* 1. *de purif.* B. V. (a) *Luc.* 2. 25.

expectatione æternorum & cytharam ad similiter cum Simeone sonandum instruxisti. Simeon justus, & timoratus. *Justus* inquit Toletus (*b*) *versus proximo, timoratus sive religiosus versus DEUM*, expectans consolationem Israël ut sibi bonus. JUSTUS. Mon pervenit quidem ad nos Simeonis justi virtutum catalogus, ex effectu tamen eas & illustres & numerosas illi infuisse constat. S. Ambrosius (*c*) ex allato oleæ ramo, justitiam Noë colligit. *Si* inquit *ramus hic ante diluvium floruit, gavisus est vir justus fructum de veteri semine reservatum, & inde colligit Misericordiæ insigne divinæ. Si autem tempore diluvii natum est folium advertit justus nova semina fructificare misericordiæ cœlestis ut radices arborum viverent, & quasi resumpta anima fœtus germinarent.* Quando autem Simeoni Regina columbarum Virgo, divinæ misericordiæ surculum JESUM benedictum repræsentat, utique ejus justitiam conspicatissimam mundo facit. Verum enim est illud Davidis, (*d*) non permanebunt injusti ante oculos tuos. Audis dici, accepit eum in ulnas suas. An injustæ ulnæ Deum suscipere potuerunt? Amat justitia mensuras, ut ulnas, libras, pondera; vidit Deus Simeonis ulnas, ulnas Justitiæ. Ulnam describens unus, ait esse (*e*) *mensuram, & rectam lineam à pectore ad ultimum manus procedentem.* Ulna ergo

(*b*) *Toletus in c.* 2. Luc. *in comm.* (*c*) *Ambr. l.* 1. *de Noe & arca.* (*d*) *Psal.* 5. *v.* 5. *Luc.* 2. 28. (*e*) *Alex. ab Alex. Gen. dior. l.* 2 *cap.* 20.

ergo justa incipit à pectore, finit in extremo manus. Quomodo verò rectitudo Justitiæ Simeonis processit, an à pectore ad digitum? omninò. *Expectabat* inquit sacer textus, *consolationem Israel.* Non suam, non suorum, non Sacerdotum & Scribarum (*f*) quanquam ipse Sacerdotii & Scribæ munere fungeretur, sed Israel, hoc est plebis Israeliticæ, quod declarant ejus cantici verba, ut dicitur, *parasti Salutare tuum, gloriam plebis Israel.* Certè si aliquid aliud evidentius, cura & sollicitudo boni communis & publici, ostendit justitiæ gloriam vegetam & florentem. Aristoteles eo de argumento disputans, (*g*) *divitibus* inquit *conducit, ut ea quæ ex vectigalibus redeunt colligere, & universa egentibus dividere oportet. Et tali ferè modo utentes Carthaginenses populo utuntur amico.* Sic ille, Plinius, laudans (*h*) Trajanum, quomodo inquit *magnificus in publicum es.* (*i*) Et Martialis Neroni præfert Domitianum, qui fecerat delicias Domini, delicias populi. An autem quæ à pectore cæpit in digito finivit Simeonis justitia? Et quidem in digito DEI. De ipsa enim prædicatur, Spiritus Sanctus erat in eo. (*k*) Iste autem Spiritus, DEI est digitus.

§. 3.

ET canere cum Simeone, & dimitti in pace, nobis quoque votum est & primum Quid est

(*f*) *vide in SS. Tolet. citatum.* (*g*) *Arist. l. 6. polit. c. 5.* (*h*) *Plin. in panegir.* (*i*) *Mar. l. 1. Epigr.* (*k*) *Hymn. de Spir. S.*

ſt autem dimitti in pace? reſpondet Ambroſi-
s, (*l*) *dimitti poſcit, quaſi à vinculis quibusdam*
d libertatem feſtinaret. Et revera homo in hoc
nundo imitatur Achior Principem Ammonita-
um; (*m*) iſte ab Aſſiriis ad arborem alligatus,
leinde à Bethulienſibus ſolutus, & populo Dei
nſertus. Sic & anima illa princeps totius mun-
li aſpectabilis ad corporis velut truncum vin-
ulo divino eſt adſtricta. (*n*) Nec ſolvi inde
oteſt niſi qui colligari fecit, adveniat. Arde-
nus autem omnes quotquot immortalitati bea-
æ natos nos ſcimus, ut fæliciter à vinculo mor-
alitatis abſoluti, faſciculo viventium & populo
lectorum inſeramur. Itaque oportet ut juſtum
imeonem moribus exprimamus, aliter in pace
non dimittemur. *Juſtitia & pax* inquit Pſaltes,
(*o*) *oſculatæ ſunt.* Ubi Auguſtinus, (*p*) *fac*
uſtitiam & habebis pacem, ut juſtitia & pax ſe
nvicem oſculentur. Si enim non amaveris juſti-
iam, pacem non habebis. Et verò, ſicut im-
oſſibile eſt inter homines oſculum confici, niſi
gemina conjungantur labia: ita pacem invenire
non poteſt, niſi qui quærit juſtitiam. Nunc
verò in tuam juſtitiam Chriſtiane oculos retor-
que, & ulnas tuas examina. Benè Ariſtoteles (*q*)
citans antiqvum proverbinm, *juſtitia eſt bonum*
alienum. Tu autem in quo bonus aliis? num
tua non contentus dividis aliis quam potes fæ-
licita-

(*l*) *Ambr. l. de bono mortis c.* 2. (*m*) *Judith.* 6 9
(*n*) *Judith.* 14. 6. (*o*) *Pſal.* 84. 11. (*p*) *Aug.*
in pſal. 84. (*q*) *Ariſt. l.* 5. *Ethic. Cic. lib. de*
rep. juſtit. foras ſpectat.

licitatem ? Et ſi dividis, an de pectore ? Et ſi dividis an manu, & non ore tantum ? & ſi dividis, an meritum benè operantis juſtitiæ, non in ore hominum, non in alis volantis famæ reponis ? Quod ſi agis, aliis arcam ut vehantur & Salventur ædificas, & te periculo diluvii magni exponis. *Qui* enim inquit Gregorius (r) *pro virtute quam agit, favores humanos quærit, rem magni momenti vili pretio venalem portat.* Unde cœli regnum mereri potuit, inde nummum tranſitorii Sermonis quærit. Quo nummo, an ſalutem ſuam non vendat, videat ? Diſpiciat autem qualiter in conſectanda juſtitiæ perfectione nobis præluceat Virgo purgata. S. Bernardus legem illam Moyſis perpendit, (s) *mulier quæ ſuſcepto ſemine pepererit filium immunda erit*, & concludit, *patet itaque quod lex iſta matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine, filium peperit.* Nihilominus quantum faſcem legalium onerum in ſe ſuſcepit & ſortavit, non alio fine, niſi ut impleret omnem juſtitiam ? Cantatur in ejus ſolennitate purificatæ, (t) ſuſcepimus DEUS miſericordiam tuam, & addit alter verſiculus, *juſtitiæ plena eſt dextera tua.* (u) Quæ eſt iſta dextera, niſi B. MARIA ? hanc DEUS operi manuum ſuarum porrigit quod diligit. Iſta verò dextera dum juri purgationis paret, plena Juſtitiâ apparet, nam bonum commune reſpiciens,

---

(r) *Greg. l.* 8. *moral. c.* 25. (s) *Bern. ſer.* 3. *de purif.* B. *V.* (t) *Pſal.* 47. 7. 8. (u) Bo*nav. de lau.* B. *V. Job.* 14. 15.

ciens, Simeoni, (& per ulnas ejus in ulnas noſtras) MISERICORDIAM Deum tradit. Planè (x) *bona terra* ut vocavit eam S. Ildefonſus, quia ut terra quos fructus profert, homini tradit: Sic Virgo fructum Sublimem quem edidit, noſtro generi dedit. (y) Ego verò terram vocabo, habentem fontes bituminis, ubi quinque reges contra quatuor certavêre. (z) Verùm bitumen illius terræ corda cordibus & dexteras Regum dexteris non agglutinavit: Virgo autem ut dulcem natum ſuum cum Simeone univit, ſic peccatores, & amplius juſtos bitumine gratiæ, glutine gloriæ ei arctiſſimè conſociare laborat.

§. 4

SIMEON TIMORATUS. Timor ſive religio Simeonis indicatur ab Evangeliſta cum dicitur, (a) *benedixit Deum*, ſuſcepto JESU puero in ulnas ſuas. Hic verò quæſtio eſt quid nomine Dei ſit intelligendum, Euthymius docet, Simeonem benedixiſſe DEUM incarnatum. (b) Irenæus autem, ipſe inquit erat Chriſtus, quem portans Simeon benedixit altiſſimum. (c) Quid verò induxit Simeonem ut benediceret DEUM incarnatum? Quæ altitudo illum prodebat ut tanquam altiſſimum reveretur & coleret? Num altitudo terrena? Altitudines terrarum enumerans Gregorius, (d) ait, iſtæ ſunt *lucra rerum, blan-*

(x) *Ildef. de lau. B.V.* (y) Bern. *ſer. 2. de purif.*
(z) *Genes.* 14. 10. (a) *Luc.* 2. 28.
(b) *Euthym. in c. 2. Luc.* (c) *Irenæus l. 3. c. 10.*
(d) *Greg. l. 31. mor. c. 34.*

blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatum. Certè hæc à paupere Deo infante aberant. Num altitudo cœlestis? Inter altitudines cœlorum, repone, Sanctos Spiritus Angelorum, & splendores cœlorum. Et sic natus Dominus illuxit pastoribus & regibus. Simeon autem nec canentes super eum Angelos audivit, nec lucentem pro ejus indicio stellam aspexit. Quare cum benedixit Dominum, revelatione Spiritus motus benedixit, (e) quam infirmare apud se poterat, quando nihil divinum & insolitum erumpere de infante vidit, nec tamen offensa est ingens & fortis fides, infantia membrorum, vinculis parvorum, sed in parvulo adoravit altissimum, in puero pusillo, grandem DEUM. In parabola illa de vinea locata agricolis, (f) postquam in irritum cessere, omnia consilia de fructu locationis ejus, sic deniq concludit Dominus vineæ: *mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur.* Ubi Theophilactus, (g) non ignoravit Pater filium suum pejus tractaturos quàm prophetas, sed significat, oportuisse eos filium ejus revereri. Notum est, vineam hanc domum Israëliticam, Dominum vineæ Patrem æternum, filium Domini. JESUM Christum figurare. An tamen coloni hoc est Judæi veriti & reveriti sunt JESUM? an benedixerunt eum? (h) Viderunt cæ cum

(e) *Luc. 2. 26. Ambr. Theop. Tol. ibi.* (f) *Luc. 20. 13.* (g) *Theophil. in c. 20. Luc.*
(h) *Joan. 9.*

cum natum per eum illuminatum, an tanta cœ-
esti altitudine ſcilicet miraculo permoti, eum
benedictione ſua ſunt dignati? Minimè: imò
cum cæcus videns factus, eis diceret, *nunquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri?* (i) maledixerunt
inquit Joannes ei. Scilicet Magiſtro non maledixerunt, quando rudi adhuc eius diſcipulo non
pepercerunt? Super ergo Phariſæos & Scribas
ſupra Pontifices & Seniores erexit ſe religio ae
pietas Simeonis, quia ipſum ille ulnis excepit,
oſculo Salutavit, verbis benedixit, quem iſti virum fulgentem miraculis, radiantem ſignis, &
prædicationibus, ejecerunt de vinea, & manibus
gentilium crucifixerunt, & denique blaſphemiis
& execrationibus ſine fine ſunt perſecuti. (k)
Sicut lilium inter ſpinas ſic Simeon inter filios
Jeruſalem. Exponens Auguſtinus locum dictum:
nomine ſpinarum, intelligit populum Dei, ingratum, nomine autem lilii Dei ſervum ſincerum in gratitudine plenum. Et fatur. *Sit ibi lilium, ſuſcipiat miſericordiam Dei, teneat radicem boni floris, non ſit ingratum pluviæ dulci de cœlo venienti.* Quæ verba Auguſtini relucent in
facto Simeonis. Ille enim purum & Sanctum
lilium ſuſcepit miſericordiam Dei in ulnas, ille
tenuit radicem boni floris, quia JESUM qui
eſt radix David, & de flore Virginitatis proceſſit,
tractavit reverenter & multo cum timore. Pluviam verò lilium de cœlo venientem excepit,
quando

(i) *Joan.* 9. 27. 28. (k) *Cant.* 2. 2. *Aug. in pſal.* 41.

quando reſponſum Spiritus S. de videndo Chriſto Domini ſecreta aure bibit. Quis autem ingratum Deo hoc lilium dicat, quod Deum parvulum benedixit? Sequitur in Auguſtino: (*l*) *ingratæ ſunt ſpinæ, creſcunt de imbribus, ad ignem creſcunt, non ad horreum.* Sic crevit Caiphas & Annas, ſic Seniores: de cœlo habuerunt in quo ſibi plauſerunt, verùm cum maledictis eum oneraverunt quem benedictione omni proſequi debuerunt, creverunt ut ſpinæ, Dominum pungentes, Chriſtum Domini crucifigentes, gentem ſuam lacerantes omnemquè gloriam ejus, & denique creverunt ad ignem.

§. 5.

JAm verò quis eſt ille qui cum Simione nolit dimitti in pace? Hoc fuit Sanctorum deſiderium. Ad mentem Abrahæ locuturus DEUS, & donum donorum collaturus, *tu*, inquit (*a*) *ibis ad patres tuos in pace*, quod & confirmavit ceremonia juramenti, quando clibanus fumans in quo latebat Deus inter diviſiones hoſtiarum tranſire viſus eſt, (*b*) q. d. more tunc temporis uſitato iurantibus Deus, qui pacto concluſo non ſteterit, & ab eo receſſerit ſic diſſecetur ut iſtæ victimæ inter quas ambulo. Senior Tobias (*c*) fatîgatus malis & ſingulariter amara tirannide inſultantis uxoris cruciatus *præcipe* orat *Domine, in pace recipi Spiritum meum.* A quo autem recipi utique

(*l*) *Aug. ibid. ubi ſupra.*
(*a*) Gen. 15. 15. (*b*) *Sa in Gen.* 15.
(*c*) *Tob.* 3. 6.

utique à quo mutuo datus est corpori Spiritus. Jobus verò tacitè quidem & sub obscure, (*d*) sed tamen ardenter idem petebat. *Quis det ut veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus? Et qui cæpit, ipse me conterat, Solvat manum suam & succidat me?* Ubi Gregorius, (*e*) conditor noster, cum nos per verbera non exercet, quasi manum ligatam tenet, succidit cum flagellat, sed ita succidendo amorem monstrat. Petebat, ergo bonus Jobus, ut misertus sui Deus, mortem quam differebat, festinaret, manum suam quam ligatam tenebat, exolveret, & sibi bonæ voluntatis quasi securi, pacis ruinam succiso pararet. At verò qui vult in pace succidi, oportet ut in timore Dei jugiter persistat. Si enim mens æterna ordinavit, ut nemo gaudeat bono pacis, in morte, nisi qui didicit fortiter se tenere in timore suæ justitiæ. Nulli in extremis occurrit misericordia, nisi quem ante extrema justificavit timor. Tradunt authores pro felicitate suæ urbis conservanda, (*f*) Athenienses Misericordiæ, Spartanas Timori erexisse aram. Non malè factum, sed imperfectè. Christianus autem qui æternam expectat fortunam, in uno corde aram necesse est erigat, & misericordiæ DEI & timori: misericordiæ, ne à flatu & turbine desperationis subvertatur: timori autem ne secundis usus velis, insolescat & infletur. Non est hoc consilium

(*d*) *Job. 6. 9.* (*e*) *Greg. l. 7. mor. c. 7.*
(*f*) *Alex. ab Alex. dier. gen. l. 1. c. 13.*

mei capitis, sic Mater misericordiæ, jam DEO gravida, jam Spiritu sublimiori excitata cecinit. (g) *Et misericordia ejus à progenie in progeniem, timentibus eum.* Ubi audis non alibi misericordiam morari & residere nisi super timentes eum. Si ergo desideras misericordia perfrui, & misericordiæ dono maximo, ut est dimitti in pace, tene te in timore. Non emendabitur psalmus qui à multis annorum millibus canitur, *beatus Vir qui timet Dominum.* Et quis ejus fructus? (h) *In memoria æterna erit justus.* Quomodo verò ad memoriam æternam, (i) sive memoriam pacis transibit? Utique per oblivionem omnium, quæ est mors, (k) in pace sib concessam. Unde verò colliges te timere Dominum & quidem beato timore timere? Subjunxit Psaltes in mandatis ejus cupit nimis. no in frangendis ut filii belli, (l) sed in servandis ut filii pacis, cupit nimis. Unde Augustinus, (m) qui pacem illius coædificationis ada maverit, in mandatis ejus volet nimis. & pa in terra hominibus voluntatis bonæ. Res justa ut beatus vir & timens DEUM, (n) *tu manda[...] mandata tua custodiri nimis.* Ubi unus, t mandâsti nimis, tu vis custodiri nimis: n mis autem qui custodit, prius vult nimis. I verò postquam custodieris mandata Dei nimi adhuc time: Observantia enim mandatorum collig

(g) *Luc.* 1. 50. (h) *Psal. III.* v. 1. (i) *P* 111. v. 7. (k) *Aristot.* (l) *Psal.* 111. v. (m) *Aug. in psal.* 111. (n) *Psal.* 118. 4. *Clar Aquav. in psal.* 118. v. 4.

colligit grandem cumulum thesaurorum. Apud te Christiane eorum est arca, sed non tutela. Quis autem per infesta latronibus & longa itinera transiens, cùm arca thesauri, non semper est pavidus? ne forte qui nunc est nimis dives, in momento fiat nimis pauper? Est in nobis fatur Arnobius arca testamenti Domini, (o) quam quotidie conantur nobis hostes eripere, id est constantiam animi, quæ pro defensione virtutum, contra vitia bella committit. Sed ista arca, quanta claudit in se virtutum decora, quantos pretiosos lapides, ex Dei testamento inviolatè custodito, collectos? Pro quibus, quæ sollicitudo, quis timor nos agitare debet? Quo multa? ecce ipsa Virgo purificata in mandatis ejus voluit nimis, & timuit DEUM nimis. (p) Qui timet DEUM nihil negligit, hæc est nota, hæc proprietas verè timentis DEUM, in omnia mandata ejus intendere curam, nullam eorum negligere partem? Quid autem puerperæ præscriptum, & à MARIA non expletum? Meritò illi applicat Ecclesia Ecclesiastici illud, (q) *ego mater pulchræ dilectionis & timoris.* Virtus obedientiæ inquit Augustinus, (r) est quædam mater custosque virtutum in creatura rationali. Ego autem dicit MARIA dum nihil negligo quod debeo, facta sum filia obedientiæ: & de filia ascendi in Maternitatis gradum, ut sim timoris

(o) *Arnob. in psal.* 73. v. 3. (p) *Eccle.* 7. v. 19. (q) *Eccle.* 24. 24. (r) *Aug. l.* 13. c. 20. *de Civ.*

moris & Charitatis, sine quibus non potest consistere obedientia, fæcunda Parens. Benè Bonaventura, (s) *beatus vir qui timet Dominam. Exortum est in corde illius lumen Dei.* Sed quare beatus vir timeat Dominam? quia ipsam agnoscit & reveretur, ut matrem pulchræ dilectionis & timoris. Matri autem debetur reverentia & timor. Ne fortè si noluerit alicui esse mater Timoris, nolit item esse Mater dilectionis & misericordiæ, & sic lumen Dei in ejus corde extinguatur.

§. 6.

SIMEON *expectabat consolationem Israël.* (a) Advertunt & observant Sapientes, non dictun esse, (b) Simeon credebat, aut sperabat con solationem Israël, sed, expectabat. Nemp quia antiqui Patres & prophetæ quibus revela tus erat Messias, sed nondum datus, fide & sp illum attingebant. Simeon autem quia jar proximum ejus adventum noverat (fortass autem & natum,) non solum credebat & spe rabat, sed etiam expectabat, & simul cum Me sia consolationem Israël. An aliquam tempo ralem & corpoream? Talem & gentiles princ pes contulerê suis. Scribit enim Aristoteles (c) Tarentinos principes urbis solitos possess ones suas cum tenuioribus communicare. I Cicero narrat, (d) Cimonem Atheniensiu Ducen

(s *onav. in psal. B. V. versu III.* (a) *Tole in 2.* (b) *Luc. in commen.* (c) *Aris poli. l. 6. c. 5.* (d) *Cic. l. 2. offic.*

Ducem, Solitum eum hortorum ſuorum maceriem diruere, omnibusquè fructuum colligendorum præbere copiam, eáque liberalitatis gratia, magnum ſui ſibi populi amorem collegiſſe. (*f*) Expectabat quidem populus Iſraël ferè univerſus, ut dicebant illi duo in Emaus euntes, redemptionem ſui à ſervitute Romanorum, (*g*) & jugo Aſcalonitæ Hærodis, ſed Simeonis altius populo deſideria aſcenderunt. Expectabat ergo ille inviſibilia & æterna, (*h*) nempe gratiam copioſam, miſericordiam diffuſionem, redemptionem à Belial, regnum in cœlo. Illam expectabat conſolationem quam legerat in Iſaia: (*i*) *conſolabitur Dominus Sion & conſolabitur omnes ruinas ejus, & ponet deſertum ejus quaſi delicias, Gaudium & lætitia invenientur in ea.* Quæ verba ut benè refutat S. Hyeronimus (*k*) temporibus Zorobabel non conveniunt, cum ea fuerint mediocria & non ſplendida, ſed temporibus ut idem (*l*) ait Apoſtolorum quadrant, & Choro credentium. Tunc enim petra ſepulchri ſui, exciſa reſurrectionis ejus gloria fudit & genuit innumerabiles filios, & Sion Eccleſia facta eſt velut paradiſus, non arboribus ſed cœli civibus florens ac delicioſa: in qua præter vocem gaudii & lætitiæ auditum eſt aliud nihil. Siquidem ſive tenuem ſumerent cibum primi Chriſtiani, (*m*) ſumebant

(*e*) *Plut. in Cimone.* (*f*) *Luc.* 24. (*g*) *Titus Boſtrenus in c.* 2. *Luc.* (*h*) *Tolet. ann.* 40. *in c.* 2. *Luc.* (*i*) *Iſai.* 51. 3. (*k*) *Hyeron. l.* 14. *in Iſai.* (*l*) *Idem ibid.* (*m*) *Act.* 2. 46.

bant eum cum gaudio, sive flagellis cæderentur; inter acerba flagella, quasi inter Paradisi amæna, (*n*) exultabant: Hujusmodi futurorum coosideratione quæ Christi adventus contulit, sustentabat patientiam suam, & se in senilis flexu ætatis constitutum fovebat. Quare, ut mercator, dum attendit ad desiderata lucra, non sentit adversi maris pericula: (*o*) Ita Simeon expectatione videndi Promissi Christi, senectutem quæ continuus morbus est, consolatione temperabat; nec fæces ejus sentiebat, cum ad novum de cœlis missum vinum respiciebat.

§. 7.

ADversitates ergo temporum consolatione venturorum æternorum bonus Senex sibi condiebat, & nos simul docebat, unde vera ac sincera in nostris miseriis ac doloribus petenda sit consolatio. Nulli unquam justo defuit aut deerit sua amaritudo, & patiendi seges. S. Gregorius (*a*) illud Job ponderans, *qui facit Arcturum & oriona*, rogat quid Arcturi nomine significatur, (*b*) qui in cœli axe constitutus septem stellarum radiis fulget? nisi Ecclesia universalis quæ in Joannis Apocalipsi per septem Ecclesias septemque candelabra exprimitur. Quid ergo? pergit (*c*) Gregorius, *Arcturus semper versatur, & nunquam mergitur: quia etsi Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione to-*

lerat

(*n*) *Act.* 5. 41. (*o*) *Senectus fænaturæ.*
(*a*) *Greg. l.* 9. *mor. c.* 6. (*b*) *Job.* 9. *v.* 9.
(*c*) *Apocal.* 1. 4.

lerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. (*d*) Quid orion? horret præcinctus gladio, & in cœlo fulget. Sit mihi fas matrem Domini purificationis solennitatem finientem vocare orionem. Cur ita? dixi jam, Orion in cœlo fulget, & gladio præcinctus horret. Ecce at Dei mater omni cœlo sublimior & mundior, hodie tamen gladium doloris de manu S. Spiritus per os Simeonis accipit, quem tota vita sua non deposuit. Nam referunt authores, eam post Domini Ascensionem, (*e*) in continua benedictæ ejus passionis recordatione dies suos traduxisse. Nec dubium est, vulneratam desiderii perpetui plaga eam vixisse. *Non subjicis mihi*, inquit Augustinus, (*f*) *nunc persecutor flammas, sed subjicit desiderium Salvatoris.* Ita mater SS. dum viveret dicere poterat: vulnerata ego sum non ferro, sed charitate. (*g*) Quod si Arcturus Ecclesiæ semper versatur & non mergitur, quod si Orion Virginis, nunquam dum illa vixit, à gladio absolvitur, quis natorum utriusque Matris si modò ut stella in cœlo fulget, ab adversis & amaris se posse aut debere esse exemptum credat aut speret? Nihilominus expectatione æternorum, omninò meliorum, se ipsum in tribulatione reficiat: quoniam post tempestatem sequetur serenitas, & luctum præcedentem obruet sequens gaudium,

(*d*) *Orion chorum Martyrum nota Gregorio ubi supra: Virgo autem Regina orionum.* (*e*) *Hyeron. de vita B. V.* (*f*) *Aug. ser. 30. de SS.*
(*g*) *Cantic. 5. 8. ex vers. 70.*

dium, & poſt gladium corona, & poſt bellum pax. Ecce nunc ſupplicat Eccleſia Matri miſericordiæ, funda nos in pace mutans nomen Evæ. (*h*) Petat qui vult, clamet præſentibus affixus, funda nos in pace, & deinde audiat quam non vult Dei vocem: ſtulte hac nocte anima de corpore, panis de tuo ore reſiliet, & tu neſcio quo, in tuo pane luxuriante, famem patieris caninam: (*i*) Eccleſia non ſic, funda nos in pace: Sufficit mihi mica panis, quomodo *Domitiano*. (*k*) Imperatori ſuffecit, qui cænationi ſuæ inſcribi voluit, MICA. Interim tu Virgo funda nos in pace, doce viam, oſtende terminum, excipe tabernaculo pacis. Funda nos in pace, ſed mutans, non conſervans in nobis nomen Evæ. (*l*) Eva, poſt peccatum quando debuit vocari Mors, appellata eſt vita, nos Evæ filii, vitâ. Vitâ malâ delinquimus, vitâ malâ à bono ſperatæ pacis excidimus. Mergimus nos in vitæ ſenſualis amorem, & expectationem conſolationis Iſraëliticæ deperdimus. Vivimus vitâ gentium, & non pervenimus ad vitam Angelorum. Clamat nos ſuper Auguſtinus, (*m*) vitâ ſic canta ut nunquam ſileas: nos in vita ſilemus Deo, & noſtrum ſilentium vocale peccatum eſt, quare per æternitatem non cantamus. O Virgo! ô Regina ô mater Miſericordiæ, muta noſtram Evam, planta MARIAM

Aufe

(*h*) *In hymno ad Veſperas B. V.* (*i*) *Luc.* 12. 20.
(*k*) *Mart. l.* 1. *epigr.* 59. (*l*) *Gen.* 3. 20.
(*m*) *Aug. in pſ.* 146.

Aufer sensualem, confer intellectualem vitam; fac contemnere temporalia, & expectare æterna.

ARTICULUS VI.

MATER MISERICORDIÆ ASSUMPTA.

§. 1.

CONsulturus homini DEUS, sic pro illo conclusit, (a) *non est bonum, hominem esse solum.* Sed neque Deum, qui homini suam impressit imaginem, eamquè reformavit, bonum fuit esse solum. Tametsi enim illi in unitate naturæ singularis esse, sit bonum & necessarium esse, in singularitate tamen personæ subsistere, non est bonum ei sic esse. (b) Cum Judæi contradictores, Incarnato Deo quasi Soli detraherent, solus non sum respondit ille, sed ego & qui misit me Pater. *Solus non sum*, explicat Chrysostomus, (c) *quia etsi missus sum per carnem, tamen ego & Pater simul per Deitatem.* Solus non sum, aliter interpretatur Augustinus: (d) *quoniam tametsi formam Dei non amisi.* Ignoscendum proinde videtur Marthæ de Magdalena apud Dominum conquerenti, Soror mea reliquit me Solam. (e) Ignoscendum simul & postulanti, dic illi ut me adjuvet. Sola oneri non suffi-

(a) *Gen.* 2. 18. (b) *Joan.* 8. 16.
(c) *Chrysost. ibi.* (d) *Aug. tract. in Joan.*
(e) *Luc.* 10, 40.

ſufficio, ſuppetias à te peto, dic illi ut me adjuvet; alioqui, (*f*) tuo ori affixa, & dulcedini de te loquente mananti immerſa, non avelletur. Quod ſi Martha ſolitudinem ſuam ſenſit, ſibi ſoli relicta ad brevem horam, cogitemus, quo ſenſu ſeipſam Eccleſia naſcens circumſpexit, cum ſe orbam Matre miſericordiæ vidit? O quoties gemitum imo de pectore ducens, iteravit, reliquit me MARIA Solam? Vox eſt cujusdam pii, (*g*) *ſit cœlum plenum poſſeſſione unius animæ*. Quantò magis impletum eſt cœlum, ſed ſimul vacua remanſit terra à poſſeſſione MARIA, illud captâ, iſta erepta. Quod ſi Magdalena dulcedini intenta verbi, ſed obſcuri ſed ænigmatici, non potuit ad juvandam Sororem avelli: (*h*) quid MARIA? audiens quomodo Pater æternus loquatur ſuum verbum non obſcurè ſed dilucidè & ſine umbris, an poterit inde ad auxilium Eccleſiæ abſtrahi? Verùm, ne dubita Mater Eccleſia de Matre miſericordiæ, non poterit illa inter ſumma gaudia tui obliviſci: tu dices adjuva me, reſpondebit illa verbo & affectu Filii, (*i*) ecce ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſeculi. Receſſi à te, & creata ſum mater Miſericordiæ omnibus miſeris, in cœlo autem miſeria non ſubſiſtit, in terris affluit, adero ergo miſeris, & juvabo auxiliis. Quod ſi ita eſt, ut eſt, eleva Eccleſia vocem & mentem

Salve

(*f*) *Aug. ſer. 26. de Verbis Domin. Sa. in c. 10 Luc.* (*g*) *Franc. Garziaſ.* (*h*) *Aug. tract. in Joan.* (*i*) *Matth. ult. v. 20.*

Salve Auxilium Chriſtianorum, Salve Mater Miſericordiæ Aſſumpta, clama.

§. 2.

NEmo jure conqueri poteſt hominem ſolum à Deo eſſe relictum. Munivit enim charitas & providentia divina, immenſis undequaque auxiliis naturam noſtram. (*a*) Et qui dixit, faciamus homini adjutorium ſimile ſibi, iſte anticipatè præparavit ei, multiplicis adjutorii turmas & legiones. Sive enim in cœlum oculos ſuſtuleris, ſive per terram omnem eosdem circumtuleris, ubique auxilia tibi homo diſpoſita atque ordinata deprehendes. Temporibus Samuelis invaſerant Philiſtæi regionem Judæorum, ſed orante Samuele, & cœlo pro Iſraëlitis militante, diſſipati ſunt, ac cæſi; atque eo in loco inquit (*b*) Tertullianus ubi paſtos impaſti, & armatos inermes cedere ac perſequi deſierunt, in monumentum pugnæ fixit Samuel grande ſaxum, eiquè nomen ut refert Lira, (*c*) *Abenezer, hoc eſt lapis adjutorii* indidit, (*d*) eò quod hucſuque ſuis auxiliatus eſſet Dominus, De Carolo item Magno refert (*e*) Crantzius, cum difficili quodam prælio, tandem obtinuiſſet victoriam, Dei favore pro ſe ſtante, eum in gratitudinis perpetuam memoriam, montem vicinum, montem Adjutorii vocaviſſe. Nos verò ſi rectè DEI beneficia, & noſtra auxilia

 cenſere

(*a*) *Gen.* 2. 18. (*b*) *Tertul. l adv. pſichic. c.* 7. (*c*) *Lip. in* 1. *Reg. c.* 7. (*d*) 1. *Reg.* 7. 13. (*e*) *Cranzius l.* 2. *hiſt. Saxon. c.* 4.

censere volumus, ubi saxum cum Samuele, ubi montem cum Carolo M. terminum & monumentum adjutorii divini ponemus? Si in nubibus erexerimus, adhuc supra nubes, spatia sunt plena humani adjutorii: si in terram descenderimus, plena est terra pro nobis conscriptis præsidiis. Unde, terminum quousque nobis auxilietur Dominus, non invenimus. Benè Psaltes: (f) *adjutorium nostrum in nomine Domini qui fecit cœlum & terram.* Q. d. cœlum & terram quæque intra ista duo continetur varietas creaturæ, plena est adjutorii humani, & ultra, & ultra. Nam ipsum nomen *Domini* quod est cœlo superius, & terra profundius, adjutorium est homini. Cæterùm istis adjutorii millibus hominem munire non contenta divina providentia, superaddit adjutorium simile Adæ, sive ut vertêre 70 (g) adjutorium secundum eum, aut ut Chaldæus, adjutorium penes eum. Rectè Chrysostomus, (h) *quantumuis* inquit, *multa irrationabilia animalia adjuvent hominem, in laboribus suis, nullum tamen par est, rationali mulieri.* Et paulò post, *Voluit huic rationali animali præstare, ut non solùm honestè, sed etiam commodè vivat, adjuncto illi adjutorio simili.*

§. 3.

ET verò quomodo mulier adjutorium viro, quæ impedimentum & Scandalum, & Sathanæ instru-

(f) *Psal.* 120. 2. (g) *Gen.* 2. 18. 70. *Ver. chald. textus.* (h) *Chrysost. hom.* 14. *in Gen.*

instrumentum extitit viro? Qui adjutorium simile, quæ similitudine Dei virum exuit, & larva peccati deformavit? Invehitur in eam Tertullianus, (a) *tu es Diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu imaginem Dei hominem tam facilè elisisti.* Propter tuum meritum etiam filius Dei mori habuit. Verùm quod primæ Evæ defuit, altera Eva supplevit. (b) Quænam verò illa? S. Chrysostomus & Anastasius Sinaita respondent Ecclesia, (c) hæc enim de costa & latere secundi Adæ educta, facta est illi adjutorium simile, utpote suo sponso candido & rubicundo, ipsa sine ruga sine macula, tota pulchra & decora, ac concolor. Unde Chrysostomus illa psalmi verba, (d) *Deus in adjutorium meum intende,* interpretatur eo sensu, ut oret Christus, quatenus Pater laborantem suam Adjutricem Ecclesiam benignis oculis respiciat & propitiatione sua complectatur. Verumtamen nulli aptius Adjutorii Adæ similis titulus, ut Matri misericordiæ respondet. Etenim similitudo inter Christum & Virginem in eo intercedit maxima: quia ut humanitas Domini assumpta à verbo æterno ejus infinitati suo modo communicavit, ad cujus possessionem exæquandam nec hactenus admissa est ulla creatura nec deinceps admittetur: ita fatus S. Bernardinus (e) *oportuit Virginem elevari ad quandam æqualitatem divinam*

(a) *Tertul. l. de habitu mul. init.* (b) *Chrysost. h. 22. in Matth.* (c) *Anastas. in Genes. 2 c.* (d) *Chrysost. in psal. 69. v. 2.* (e) *Bernardin. Senen. com. 1. ser. 61. ar. 1. c. 12.*

nam, per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum, quam æqualitatem creatura nunquam experta est. Sic ille. Deinde, dicta est Hugoni Cardinali, (*f*) Virgo adjutorium altissimi, & illa verba psalmi qui habitat in adjutorio altissimi, explicat, qui habitat in MARIÆ patrocinio quæ est adjutorium altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Ut enim Hester (*g*) facta est Regina quatenus laboranti pro salute Judæorum Mardochæo fieret ei adjutorium: Sic MARIA, assumpta est ad Maternitatis divinæ fastigium. Ut brachio Domini pro mundi redemptione laboraturo, ipsa cooperaretur, & Salvatori accederet quodammodo salvatrix. Neque hic titulus excedit metas humanitatis puræ, audi Abdiam, *ascendent* inquit (*h*) *Salvatores in montem Sion, judicare montem Esau, & erit Domino regnum.* (*i*) Quem locum quidam exponunt de Machabæis, qui & montem Sion possessum à gentibus armis receperunt, & filios Esau expugnaverunt, (*k*) melius tamen doctiores (*l*) de Apostolis intelligunt, (*m*) qui non tantum in montem, sed etiam de monte Sion accepto Spiritu, supra gentes ut Salvatores ascenderunt, Salvatoris doctrinam tradentes, & miraculis traditam confirmantes, ita ut non tantum filii Jacob, sed etiam filii Esau hoc est gentiles jugo Christi sese submiserint, & regnum Dei

(*f*) *Hugo in ps.* 90. (*g*) *Hester.* 4. 14.
(*h*) *Abdiæ* 21. (*i*) *Menoch. in v.* 21. *Abd.*
(*k*) *Corn. à Lap. ibi.* (*l*) *Sanch. in Abd. n.* 85.
(*m*) *Aug. tom.* 4.

Dei quod fide & charitate coalescit auxerint. Si ergo Machabæi, si Apostoli absque divinitatis injuria, à Spiritu S. dicti sunt Salvatores, cur non item Mater Salvatoris, mater salutis & mater Salvatrix dicenda? Quare Richardus à S. Laurentio dixit, (n) *MARIA est Coadiutrix Christi in passione & redemptione generis humani.* Nec injuria *redempturus enim genus humanum, totum pretium contulit in MARIAM* inquit Bernardus: (o) Maneat ergo certum, Matrem misericordiæ, adjutricem esse Dei, sive adjutorium simile altissimo.

§. 4.

QUid autem Solatii inde expectare potest nostra miseria? hoc quod à Matre misericordiæ, ab auxiliatrice Redemptoris, nempe omne bonum: Versans illum Geneseos locum, non est bonum hominem esse solum, Florens, *Viro* inquit (a) *bonitas divina ADJUTORIUM prospexit, ne quid non boni,* (supple, deesset) non est enim bonum homini esse solum. Sciebat illi, sexum MARIÆ obfuturum. Ex quo patet Matrem Misericordiæ, esse Adæ & generi ejus Adjutorium, non quod obfuit ut Eva, sed quod profuit: & quidem sic profuit, ut nihil boni adjuvante illa misericorditer nobis deesset. Adjutorium ergo Virgo plenum gratiæ & misericordiæ, & non sicut Eva, plenum miseriæ & fragilitatis. Hortatur B. Apostolus fideles, (b) ne desi-

(n) *Rich. p.* 104. (o) *Bern. serm. de nativ. B.V.* (a) *Tertul. l.* 2. *contr. Marci, c.* 2. (b) *Hebr.* 12. *v.* 15.

desint gratiæ Dei, sive ut oblatæ sibi gratiæ Dei velint esse contemptores, inde enim omne malum fluit, inde nihil non boni diffluit quia audemus deesse gratiæ Dei, quæ idcircò nobis offertur, ut nunc & deinde nihil boni desit nobis. Et tamen nostra fragilitas, oblatæ gratiæ divinæ deesse, eique non cooperari audet! Ecce verò Mater misericordiæ, nobis DEI gratiæ non respondentibus, sed in vacuum accipientibus, ideòque donis Dei dilabentibus, supervenit à DEO datum Adjutorium ut nihil nobis desit. Non secus atque cum alicui data est regia clavis ut sibi thesauros regios aperiat, eisque acceptis per omnia ditescat; ipse verò aut quia uti Clave nescit, aut quia voluntate torquescit, ipsâ non utitur, & in misera egestate manet. Huic si superveniat amicus, qui clavis usum monstret, qui torpentem ad usus excitet, quanti adjutorii est loco! Ita nos persæpe virgo nescientes docet, ignavos permovet, ut gratiâ Dei, dum adest, utamur. Et quemadmodum per Raphaelem duo Tobiæ omnibus bonis repleti sunt, (c) ita nos Adjutorio misericordissimæ Matris sic ditamur, ut nihil nobis desit, quod ad æternam salutem profit. Et impletur illud Bernardi, (d) *sic est voluntas Dei, qui totum nos voluit habere per MARIAM.* Sicut autem illa voluit, *sic Totum* nobis venit & fluit per MARIAM. O adjutorium misericordiæ, quod par aliud tibi, inter homines invenietur?

§. 5 Ma-

(c) *Tob. 12. v. 3.* (d) *Bernard, serm. in nativ. B.V.*

§. 5.

MAgnum adjutorium, magnum Paulus, cæterique Sanctorum, quia etiam per eorum manus nos habere sua dona voluit Deus, verumtamen secundum partes, non secundum totum: Quare Leo M (a) loquens de Apostolorum principibus *eos inquit Dei gratia eò provexit ut in corpore, cui caput est Christus quasi geminum constitueret lumen oculorum.* Sicut autem oculi juvant animam ad videndum, non ad audiendum aut gustandum, & sicut per oculos hauritur scientia visionis ut sic dicam, non scientia autem auditus: ita per SS. suffragia certa acquiruntur munera. Per manus autem Virginis omnis gratiarum transit dispensatio. Cæterùm dubitabit aliquis, an Virgo in summa cœlorum fastigia provecta, nos adjuvandi misericordissimam retineat voluntatem? verùm solvat metum, & respiciat Spiritum S. de quo Apostolus, (b) *ipse Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Nempe, sedet in cœlo, & adjuvat tamen infirmum nostrum velle, & perficere: nullius eget, & tamen postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Si ergo Spiritus S. nos adjuvat, quomodo non Sponsæ ejus Princeps qualis est MARIA, quæ illi favet & adest, cui item Spiritus adest & favet? Non inflat honor cœli MARIAM & rapit extra se, terra ascendit sursum, terra & manet. (c) An-

---

(a) *Leo M. serm.* 1. *in natali SS Petri & Pauli.*
(b) *Rom.* 8, 26. (c) *Come. Natalis. l.* 7. *c.* 1.

Antæum autem terra fortem fecit contra Herculem, Terra adjuvit mulierem (*d*) contra Draconem. Benedicta quoque Terra MARIÆ semper memor sui, & nostri periculi sciens, adjuvat omnes indiscriminatim, filios mulieris, hoc est Ecclesiæ. Illi proinde cum Seraphico Doctore supplicandum, (*e*) *esto umbraculum protectionis, in tentationibus nostris: expansio alarum tuarum defendat nos à devorante.*

§. 6.

S. Chrysostomus Misericordiæ Auxiliatricis hujusmodi concepit effigiem: *misericordia* inquit (*a*) *Virgo est, aureas habens alas, circumspecta per omnia.* Nimirum ad sinceræ Misericordiæ pretium concurrat oportet, intentionis puritas, executionis celeritas, & prudentiæ usus. Atque inprimis casta intentio. Sapienter M Gregorius. (*b*) *Sic quisque propinquorum debet necessitatibus compati, ut tamen per compassionem non sinat vim suæ intentionis impediri: ut affectus quidem mentis viscera repleat, sed tamen à spirituali proposito non avertat.* Puritas ergo intentionis ad Misericordiam faciendum moventis, patet ex Spirituali proposito & fructu, is si deficiat, Misericordia non est Virgo. Tunc enim Misericordia Virgo est, cum parit Spiritus fructum, quem si non proferat, adultera est. Da ergo Misericordiam quæ fundit panem aut pecu-

(*d*) *Apoc.* 12. 16. (*e*) Bonav. *in psal. B. V. ver.* 107. (*a*) *Chrysost. hom.* 36. (*b*) *Greg. l.* 7. *mor. c.* 18.

pecuniam, ſed in corde non habet compaſſionem, verùm indignationem aut amaroremſ iſta Miſericordia Virgo non eſt, quia ſine fructu Attende Auguſtino, (c) *ſi manum pauperi porrigas, nec in corde miſerearis, nihil feciſti.* Et alibi, (d) *ſi panem dederis triſtis, & panem & meritum perdidiſti.* Non dabo ergo concludis apud te panem triſtis, dabo lætus & alacer, ideoque curabo mihi tubis cani. Rurſus tua Miſericordia corrupta & mæcha erit. Cur ita? audi Deum. (e) *Cum facis eleemoſina, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis.* Quid eſt tuba canere? eſt velle honorificari ab hominibus. (f) Tu autem Chriſtiane, qui virginem tuam Miſericordiam vis elocare DEO, noli vanæ laudis appetitu reddere corruptam. (g) Quis enim filio regis, ſcienti corruptam, filiam ſuam in Uxorem elocare audet, tanquam caſtam Virginem? Quare nec ante te, nec in te, nec poſt te canas tuba. Non ante te, quid enim commodi ex flatu tubæ habebis? extra tubam ſonus, qui celeriter perit, intus autem tuba, perinde ut ante vacua. Hoc verò & non aliud ex tua eleemoſina; Spiritu hypocritico facta, ſpera; animo eris Vacuus, & reſonante vanæ laudis ſonitu non dives. Tranſibit Miſericordia tua cum ſonitu, & aëre. (h) Non in te: quo-

(c) *Aug. in pſ.* 121. (d) *Aug: in pſ.* 42.
(e) *Matth.* 6. 2. (f) *Liran. ibi.* (g) *Interlin. Gloſſa in c.* 6. *Matth.* (h) *Quod agit Virtus, neſciat elatio. Gloſſa in c.* 6. *Matth.*

quoniam intus tibi tubâ concinens, eodem vanitatis imples te vento; & quid inde referas, nisi quod terra ſpiraculis ventorum gravida, concutitur, laceratur, hiat. Non denique tubâ canas poſt te. Poſt ventum enim ſeminatum quid areſcit? jam prædixit Oſeas, *qui ventum ſeminat metet turbinem*: nolles tuæ ſylvæ incubuiſſe turbinem, cur eum ſed ſæviorem tibi poſt mortem proventurum, dum Miſericordiam ſpargis, ſeminas? Narrat B. Joannes, canente quarto Angelo tubâ (*k*) obſcuratam eſſe tertiam partem Solis, Lunæ, & ſtellarum in cœlis. Vide quàm maligni flatus & ſonitus iſta fuerit tuba in terra reſonat, & in cœlo tot eclypſes & noctes facit. Hæc autem tuba non eſt alia, authoribus conſentientibus niſi hypocriſis quæ pietatis viſcera mentitur, (*m*) & diem meritorum, vertit in noctem pœnarum. Jam vero non ſufficit Miſericordiam eſſe intentione Virginem, niſi executione fiat ALATA. Ubi habet vernaculus textus, de Charitate, (*n*) *lampades ejus lampades ignis*, alius textus effert, *alæ ejus, alæ ignis*. Nimirum quemadmodum Charitas ſi non ferveat velocitate benefaciendi, ita Miſericordia ſi tardè gratiam pauperi ſeminet, minus ſapit. (*o*) *Elêemoſinæ magnitudo*, inquit Chryſoſtomus, *non in pecunia-*

(*i*) *Oſeæ.* 8 7. (*k*) *Apocal.* 8. 12. (*l*) *Vega in Apoc. c.* 8. *comm.* 1. *ſect.* 13. (*m*) *Lux miſericordiæ nullis miſceatur tenebris. Gloſſa int. in in c.* 6. *Matth.* (*n*) *Cant.* 8 6. (*o*) *Chryſoſt. h.* 24. *in Hebr.*

cuniarum multitudine indicatur, sed in dantium promptitudine. Unde rectè Gregorius, (p) *qui tardè petenti dat, nocivè cruciat.* Et ante eum Scriptura, (q) *cor inopis,* monet, *ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti.* Denique oportet sit Misericordia circumspecta per omnia. Hortatur S. Gregorius Nissenus, ut miserendo in Deos transeamus. *Si* inquit (r) *misericordiæ appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo hortatur, nisi ut miserendo DEUS fias, tanquam formatus & insignitus propriâ notâ Deitatis.* Divini autem oculi, sic discurrunt per universam terram, (s) ut omne animal, repleant benedictione. Nonne ergo decet ut nostra Misericordia, intentos in omnem egentem verset oculos, cum nihil sit dignius teste M. Leone, (t) quam ut homo sit sui authoris imitator, & secundum modum propriæ facultatis, divini sit operis executor. Nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, foventur infirmi, nonne auxilium DEI manus explet ministri, & benignitas servi, munus est Domini. Et verò optamus omnes, ut non dormitent super nos, (u) nec claudantur divini oculi, id autem obtinere aliter non possumus, nisi ipsi, oculis nostris saginemus famelicos, vestiamus nudos. Quare Tobias Tobiæ, (x) *noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.*

§. 7. Nemo

(p) *Greg. in pastor. p.* 3. *adm.* 21. (q) *Eccl.* 4. 3.
(r) *Nissenus lib. de beatitudinibus.* (s) *Zach.* 4. 10.
Psal. 144. v. 16. (t) *Leo serm. de Quadrag.*
(u) *Psal.* 120. 4. (x) *Tobi.* 4. 7.

§ 7.

NEmo verò dubitare poteſt, Miſericordiam Adjutricis & Auxiliatricis noſtræ, eſſe totam Virginem: ſicut & omnia opera ejus virginali & intemeratâ puritate omnia fulgebant & candebant. (*a*) An enim veritatis mater Spiritu vanitatis & gloriolæ humanæ inflari inficique potuit? illa præſertim, quæ ſicut gratiæ ſic gloriæ plenitudinem perpetuam poſſedit? *Remuneraturus benefacere avaritiæ eſt affectus* inquit Ambroſius: (*b*) Virgo autem bonorum noſtrorum non eget, nec quicquam expectat, quod non abundanter præhabeat. Et quid expectet illa, quæ BONUM HUMANI GENERIS dicitur: (*c*) Jam ſi placet cernere alas miſerentis MARIÆ, mundum metire ſuppedaneum, & illo alium inferiorem. *Miſericordia MARIÆ* fatur Ambroſius (*d*) *feſtinat & diſcurrit per mundum.* Quomodo verò diſcurrit, num more avis pullos ſuos colligentis, paſcentis aut portantis? Diſcurrit more fulgoris, quod ab oriente in occidentem tranſuolat, vix obſervata celeritate: niſi quod fulgur lucem quam fundit, fugiendo perdit, & implens curſu mundum, mundum non ditat. At virgo divini ordinis fulgur, citò omnes terrarum partes pervadit, luce implens, beneficiis onerans, gratiis ditans. Diſcurrit

(*a*) Bonav. *in ſpec. B. V. c.* 1. (*b*) *Ambroſ. l. offic.* (*c*) *Apollinaris. in Chriſto patiente.* (*d*) *Ambroſ. l.* 2. *in Lucam.*

rit misericordia Virginis, more ingeniosæ & sapientis animæ, hæc enim sæpe dicenda prævertit, & explicandos mentis partus alienæ, jam prævidendo tenet. *Virgo* enim fatur Basileense (*e*) Concilium, *non solum supplicantes exaudit, sed sicuti ex sua clementia consuevit, etiam supplicantium, vel supplicare volentium preces prævenit.* Psaltes ubi dixisset, *justum habitare in adjutorio altissimi*, addidit, (*f*) *scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis.* Has autem pennas Dei examinans, magnus hæreticorum malleus fatur, Deus Aquila erat ante incarnationem, gallina factus est post Incarnationem, (*g*) namque Israelem velut Aquila portavit, & provocavit eum ad volatum: Christianam autem gentem quasi gallina colligit sub alis, & fovet Charitate. De Virgine autem dixit Abbas Guerricus. (*h*) *Nunc habitamus in adjutorio Matris altissimi, postea in consortio gloriæ ipsius.* Addo: nunc habitamus in adjutorio matris altissimi quasi pulli, sub pennis & alis Gallinæ, (*i*) de qua Christus alas & affectum gallinæ accepit: postea autem in consortio ejusdem, ut veri aquilarum pulli, facie in faciem Solis nostri intendemus. Antequam autem intendamus, nunc currit & discurrit alata Misericordia MARIÆ, nec supervolitare cessabit,

(*e*) *Basilien. Conc. sess.* 43. (*f*) *Ps.* 90. 4.
(*g*) Bellar. *in ps.* 90. v. 4. (*h*) *Guer. ser.* 1. *de assumpt.* (*i*) Bonav. *in psalt. B. V. Maria sub pennis protegit suis. v.* 90.

bit, nisi unum post unum, usque ad ultimum unum de terris evexerit & transportârit in æternitatis dulcem & fixum nidum. (*k*) Denique vis intuere multoculam & per omnia circumspicientem clementiam & beneficentiam matris Virginis Plena est oculis ante & retrò. Retrò ut nos præteritorum pondere peccatorum pressos sublevet & allevet, ante autem, ut temporalium bonorum & malorum nexibus expediti, æterna fiducialius & constantius persequamur. (*l*) Quærit ab illa, purpurâ insignis, sed magis solitudine nobilis Petrus, *nunquid quia deificata nostræ salutis oblita es*? Alloquitur hic Petrus, qua homo Virginem: in hominibus enim pœne mos præscripsit, ut cum in terris deificantur, sive dignificantur, miserorum obliviscantur, hoc est oculos amittant. Numina enim nostratia, tanquam Gentilium numina, cum honoribus consecrantur oculos habent, & miseros non vident At virgo quia deificata, in altissimam DEI memoriam recepta, & clarissimis pluribusque oculis quàm tota Sanctorum Corona donata; proinde quomodo potest oblivisci Mater parvulorum suorum? aut gustata memoria æterna in qua electi vivunt, deponere nostri memoriam in tempore? Solatur quandam desolatam DEUS, (*m*) *complacuit*, inquiens, *Domino in te, & habitabunt in te filii tui*. In te autem ô Virgo Assumpta complacuit sibi Deus & super omnes

(*k*) *Epiph. de lau.* B. *V.* (*l*) *Damian. ser.* 1. *de nat. B. V.* (*m*) *Isai.* 62. 5.

omnes filios adoptionis complacuit, & tu jam ſcis ac vides, quinam filii habitabunt in te. Tu in DEO ſalutari tuo exultas, & exultabis & habitabis: filii autem tui, qui modò ſunt ſub te, nonne habitabunt & gaudebunt in te? An autem non reſpectat imò non circumſpectat mater media omnia, ut diviſos locis filios, videat conjunctos, & habitare in ſe, & ſecum. Rectè Guerricus. (n) *Beata Mater Chriſti, quia matrem Chriſtianorum ſe agnoſcit*, curâ quoque ſe eis matrem præſtat, & affectu pietatis.

§. 8.

SIc igitur Miſericordia MARIÆ, Virgo, alata, & per omnia circumſpecta. (a) Noſtra verò Miſericordia num Virgo, & non deflorata? num ipſam ſpes commodi, tuba ſæculi, triſtitia dati non violavit? An alata, vel certè plumbea? & quæ ad accipiendum diſcurrit & feſtinat, ad dandum forſan torpet & graveſcit? Num circumſpecta non ſibi tantum ſed aliis? & ponit ac figit hominibus adjutoria ſibi æterna monumenta? Dulce erat audire Poſito lapide Adjutorii (b) *huc usque auxiliatus eſt nobis Dominus.* Non minus dulce erit teſtes Beneficentiæ noſtræ excipere dicentes, hucusque auxiliatus eſt nobis Homo O quale erit ſpectaculum, cum erupe-rint, & fulgere cœperint piramides & coloſſi perpetui Miſericordiæ MARIANÆ? cum hinc

(n) *Guerr. ſer. 1. de Aſſumpt.*
(a) *Chryſoſt. h.* 36. (b) 1. *Reg.* 7. 12.

Martyrum Chorus clamare cœperit, hucusque auxiliata eſt nobis Mater miſericordiæ: illinc Doctorum Corona, & nobis hucusque iſthinc Sacerdotum ordo, hucusque, & ab altero latere militum Acies hucusque, denique cum ſenes & juvenes, viduæ & Virgines, digitos in ſigna intendere, voce beneficia explicare cæperint. Hic & ibi, ſic & ſic, denique hucusque auxiliata eſt nobis MARIA? Tibi verò Chriſtiane quis in cœlo ponet memoriam, quis beneficentiæ & auxiliatrici tuæ Virtuti figet trophæa, hucusque auxiliatus eſt nobis Frater Spiritu, ſervus MARIÆ? eruntné linguæ & ſempiternæ, quæ à tuæ miſericordiæ laudibus non ceſſabunt? An contra, te contra de cœlo clamabunt multi, jam portiunculum panis, jam caliculum aquæ, jam panni fruſtillum oſtendentes, & dicentes, judex æterne, hic qui tibi REUS aſſiſtit, nec hucusque nobis auxiliatus eſt? Pone tuam Calvaricam petram ſuper caput ejus, & jube nos devoluere ſuper eum Saxa: pone illi in inferno monumentum, cui inſcribe. (c) *Qui facit miſericordiam currit ad præmium, qui non facit, decurrit ad pœnam.*

CAPUT. IV.

VITA SALVE.

MAtris Miſericordiæ titulum, meritò conſequitur titulus alter VITÆ. Reginæ enim Miſericordis illuſtriſſimum cenſe

(c) *Chryſol. ſerm.* 8.

censetur ab omnibus opus, vitam dare afflictis, aut conservare. Superbius quàm verius videtur Pyrrhus loqui apud Tragædum, (a) *mortem misericors sæpe pro vita dedit*: Veriùs apud eundem, Creonti Regi Medea Cholitris: *hoc reges habent*

(b) Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare protegere.

Porrò nomen VITÆ, eripiunt illi, Matri Virgini, qui se nuper ab obedientia Ecclesiæ, gremioquè veritatis abrupêre: volentes illud, nulli mortalium concedi debere. Splendidè sanè, ut solent, mendaces. Ubi vulgata legit, (c) *vocavit Adam nomen Uxoris suæ Heva, eò quod mater esset cunctorum viventium*, 70 extulerunt interpretes, vocavit, (d) *VITA.* Nec fuit hoc amare jocari, sic uxorem ab Adam ut volunt nonnulli, nuncupari. Nec audiendus est Rupertus dicens, (e) *quia insanius, quàm in illo talis causæ judicio, nuncupare Evam, id est vitam, quæ vitam in se non habebat?* Nam Eva, in illo aaticulo, & in se pro se, & in se pro aliis vitam de gratia reservatam conditoris habebat. (e) Neque iratus, sicut potuit, dixit illi *Deus*, auferam à te, sed multiplicabo conceptus tuos, paries filios: (f) habilem autem esse ad concipiendum & pariendum filios, hoc

(a) *Senec. in Troad. actu. 2.* (b) *Senec. in Med. Act. 2.* (c) *Gen. 3. 20. 70. vers.* (d) *vide Per. l. 6. in Gen.* (e) *Rupert. l. 3. c. 26. de Trin. Gen, III, 16.* (f) *Arist. lib. de gener.*

est VITAM in se etiam pro aliis continere. Et sicut Adam, cui dictum à Deo est, (g) pulvis es, pulvis merus tunc non erat; sed vivens ac rationale animal: (h) ita Eva quanquam moritura, tamen quia vitam in se pro se, proqué aliis ferebat, VITA meritò esse, dicta est. Adde, cum Deus tunicas pelliceas, post nominationem Evæ, (i) utrique conjugum porrigeret, eum non dixisse, ecce Vita Adæ, monstrans Evam sicut videns, visitansqué nudum virum Sarcasmo perstrinxit, ecce Adam quasi unus ex nobis. Quod si verò primi viri uxor, Deo consentiente dicta est VITA, cur Mater Dei, cum injuria creatoris appellabitur Eva & VITA? Eva secundum (k) S. Epiphanium per ænigma, sive figuratè dicta est VITA: certè si figura figuratæ VITA est, cur non magis, ipsa per Evam figurata, VITA nuncupari poterit? An si Petrus pictus vocetur VITA, Petrus vivus non verius dicetur VITA? Mater Caini & Abel, vita est: cur non mater JESU Christi? Si sine cujusquam præjudicio matres Regum vocantur reginæ, & Principum Principes, cur Mater primæ infinitæqué VITÆ VITÆ nomen amittet? At DEUS VITA est. In verbo inquit Joannes, (l) *quod erat in principio apud Deum, vita erat, & VITA erat lux hominum.* Rursus de Verbo incarnato diserte pronuntiat Apostolus, (m) *cum Christus apparuerit VITA vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria*

(g) *Gen.* 3. 19. (h) *Corn. à Lap. in c.* 3. *Genes.* (i) *Gen.* 3. 22. (k) *Epiph. hær.* 78. (l) *Joan.* 1. 4. (n) *Colos.* 3. 4.

ria? Sicut ergo; quod Dens inditum nomen ab Ada non mutavit, non abolevit: ita quem titulum Ecclesia dedit MARIÆ, hæreticus Zoilus non audeat carpere. Et *Eva quidem posteros antequam pareret* teste Bernardo (*m*) *peremit*, & tamen VITA mansit quanto Sanctius & Sapientius dicitur MARIA VITA, quæ quos Eva necavit, ista vitâ immortali donat, & donabit? In scripturis ait Salvator Judæis, (*n*) *putatis vos vitam æternam habere*; Et rursus: (*o*) *verba quæ ego loquor, Spiritus & vita sunt: custodi legem*, monet Proverbiastes, (*p*) *& erit Vita animæ tuæ.* (*q*) *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te* ait Salator: quod aliqui de cognitione visionis beatæ exponunt. (*r*) Si ergo, verba Dei, fidei, alii de cognitione si verba Christi, si lex divina custodita, si cognitio fidei aut visionis beatæ, dicuntur VITA, quomodo VITÆ VITARUM mater, non VITA? *Vitæ nomen* teste S. Dionysio Areopagita (*s*) *Deo debetur principaliter, creaturis autem participativè tantum & minus principaliter.* Hinc cum Aristotele (*t*) Philosophicæ perstrepunt scholæ, dari in herbis, in animantibus, in hominibus vitam primam & secundam: primam, scilicet animam, secundam autem, nempe ejusdem animæ functiones. Audi & Principem vatum, ut vocet animam,

(*u*) *Vitaquè cum gemitu fugit indignata sub umbras.*

(*m*) *Bern. serm. super missas.* (*n*) *Joan.* 5. 39. (*o*) *Joan.* 6. 64. (*p*) *Prov.* 3. 23. (*q*) *Joan.* 6. 64. (*r*) *Vide Mald. ibi.* (*s*) *Dion. de divin. nominib. c.* 6. (*t*) *Arist. l.* 1. *de anim.* (*u*) *Æneid.* 12.

Quid quod amantes ſuis dilectis, & clientes de morte liberati patronis, & domini cocis, aurigis, medicis, vitæ nomen imponunt? Deus ille magnus Dominus, cujus ſapientia non fallitur, nec veritas ac majeſtas adulari ulli poteſt, dicit apud Iſaiam cuidam, (x) *eris corona decoris, diadema regni, & vocaberis voluntas mea in ea.* Quæ eſt iſta quæ ſic vocabitur? reſpondet Maximus in ſcripturis Doctor, Eccleſia. (y) A quo verò vocabitur: à DEO inquit. Licet ergo & ſanctiſſimè licet, Magdalenam & Chananæam, & cæteras olim peccatrices, in cœlo coronas, vocare Deo, ſuas voluntates: & nobis exemplum & os Domini ſecutis, nefas erit Sanctam Sanctorum in cœlis reginam, in terris appellare VITAM? Inde autem quod corpus humanum à ſua Vita ſive ab anima recepit, hoc nos à te expectamus VITA noſtra MARIA. (z) VITA corporis non odit ullam partem corporis, ſed placidè intereſt illi, eamqué regit & movet & perficit. Ita & tu Mater Dei, non ſolum capita, ſed & pedes, & digitos Eccleſiæ filii tui, amabis, perficies. Salve igitur & non ſemel VITA.

ARTICULUS I.

VITA IN CONCEPTIONE.

§. 1.

CErtum eſt mortem ut mortem, nihil in ſe vitæ, actu continere: certum quoque ſi

(x) *Iſai. 62. v. 3. 4.* (y) *Hieron. l. 17. in Iſai.*
(z) *Averroes. de anima.*

ſit oportet, in VITA, nil miſceri mortis. Abſolvit ergo Eccleſia Virginem Matrem ab omni peccato actionis & originis, cum eam nuncupat abſolutè VITAM. (a) Peccatum enim originis, Mors mortium eſt. In quo qualiter inter alios Rex Ezechias præluxerit quaſi quadam face, nunc videndum. Hunc inter Triumuiros Sanctos ſic Dei vox recenſet: (b) *præter David, & Ezechiam, & Joſiam omnes peccatum commiſerunt.* Nam reliquerunt legem altiſſimi reges Juda. Diſtinctius autem, & expreſſius in negotio VITÆ noſtræ ſine labe conceptæ procedendo, legimus Ezechiam proximo mortis periculo divinitus ereptum ſic in ſuo carmine euchariſtico ceciniſſe: (c) *Vivens, vivens ipſe confitebitur tibi ſicut & ego hodie.* Senſus eſt: (d) *juſtum eſt ut omnis homo qui ſive primò datam, ſive deinde redditam per te ſibi vitam ſentit, te laudibus honoret,* inquit Hyeronimus. Quare & ego, tuo beneficio vivens, depulſo mortis diſcrimine, ſicut de vita mihi gaudeo, ſic ex jure gratitudinis, tibi laudibus ſacrifico: ego inquam per te vivens hodie Porrò Virginem Matrem quà Adæ filiam periculo primogenitæ mortis (e) (ſic originale nuncupatur delictum) ſuppoſitam fuiſſe ferè inter omnes conſtat, huic tamen non ſuccubuiſſe actu morti, pœnè omnis nunc confitetur Eccleſia. Et illa ergo Domino, cum Pa-

(a) *Gloſſa in Rom.* (b) *Eccle.* 49. 5. 5.
(c) *Eſai.* 38. 19. (d) *Hyeron. l.* 11. *in Iſai.*
(e) *Chriſippus in hymno de B. V.*

tre suo Ezechia cantat, vivens vivens ego, confiteor hodie Domino. Cur verò divina benignitas Ezechiæ prorogàvit vitam, videtur ex aliis ejus cantici verbis posse colligi, dum cantat, (f) *sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.* Quæ expendens verba Hyeronymus, (g) *mors* inquit *imminens & languoris incumbens dolor, quasi leo ita omnia corporis mei ossa frangebat, sed ego in similitudinem hirundinis ac columbæ fletibus ac gemitibus dies noctesque jungebam.* Verùm si flere placebat Ezechiæ, cur non more turturis aut alaudæ, sed instar hirundinis ac columbæ gemebat? Inter domesticas & silvestres aves hoc intercedit: istæ in agris, aut silvis sive specubus inaccessis, illæ inter habitata ab hominibus tecta, nidos sibi fingunt: quarum in numero meritò reponenda est columba, & hirundo, de qua Maro (h)

Garruta quæ tignis nidum suspendit hirundo.

Dum ergo Ezechias sese domesticis avibus comparat, se quoque domesticum Dei, & non extraneum quempiam innuit. Infirmitate lethali pressus sic orat: (i) *obsecro Domine memento quomodo ambulaverim coram te in veritate.* Q. d. (k) Veritas tua, domus tua, in qua lates & clauderis, juxta illud, (l) veritas tua in circuitu tuo: ego quoque non alio circuitu, velut homo ambitur tecto, claudebar: ibi meus cibus & potus ib

(f) *Esai.* 38. 14. (g) *Hyeron. ibid.*
(h) *Virg. l.* 4. *Georg.* (i) 4. *Reg.* 20. 3.
(k) *Genebr. in ps.* 88. (l) *Psal.* 88. 10.

ibi quies & ſomnus. (m) Abraham Pater te coram ambulavit nec ego ejus filius te coram moveri, & procedere deſtiti: quocunque me voluntate mea circumtuli, intra domum tuam delitui, veritate tua tectus & ex omni latere clauſus inceſſi. Jam verò VITA noſtra, Virgo Parens, quære quando non Dei domeſtica? Hortatur Apoſtolus Sanctos, (n) *jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis domeſtici*: iſti tamen domeſtici non ſemper domeſtici: præfuerint peregrini, extranei, à longe. Non unus eorum Domino queſtus eſt cum S. Auguſtino, (o) *tu intus eras, & ego foris.* Virgo autem benedicta, ſicut ſemper VITA, ita nunquam non Dei domeſtica. Illa verba Pſalmi, (p) *audi filia, obliveſcere populum tuum & domum Patris tui*, Leo Imperator Baſilii filius Virgini Matri adaptat: *cum adhuc*, inquiens (q) *in lumbis paternis contineretis, progenitor tuus clamabat, audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & oblivifcere domum Patris tui.* Audiſti verè ô filia commendationem, & oblita es populi, & ſortis, & domus paternæ. Cæterùm, quia Virgo in lumbis contenta paternis, oblita eſt domus Adameæ, de qua proceſſit, oblita eſt originariæ maculæ, quam totam Pater Adam infecit. Quæ autem oblita eſt domus Adamææ, recepta eſt in domum & familiam Dei, quæ eſt ſancta, ſine ruga, & macula? (r) Grande novum viſum eſt ſuper terram, quando fæ-

 mina

(m) *Gen.* 17. 1. (n) *Epheſ.* 2. 19. (o) *Aug. l. confeſſ.* (p) *Pſal.* 44. (q) *Leo Imp. orat. de Annunc.* (r) *Hierem.* 31. 22.

mina virum, scilicet ut S. Bernardus explicat (s) Christum circumdedit; nec minus illustre effulsit miraculum, quando Christus circumdedit fæminam. Quomodo verò? quia, ut loquitur D. Dionysius (t) in Epistola, Alexandrinus, *Matrem incorruptam à pedibus usque ad caput benedictam servavit.* Nimirum, quia à primo conceptionis pede quo limen vitæ mortalis attigit, ad caput Assumptionis in cœlum, sine labe puram custodivit. In arcam illam Noë (quam meritò domum Dei vocare possumus, quia ab eo inventa, & provisa,) dicitur Deus deforis inclusisse Justum, (u) ut doceret, inquit Chrisostomus, (x) quod securum fecerit Noë, quem, ob id deforis clausit, ne is videns generalem omnium interitum, maximo dolore conficeretur. Matrem item suam de cujus visceribus carnem sumpsit, à diluvio primi peccati exemit, & intra sua viscera, omnis securitatis domum, eam inclusit: nec permisit ut eam dolor pœnitentiæ tangeret, quam culpa non infecisset ulla. (y) Ubi vulgata habet: *sicut pullus hirundinis clamabo*, Symmachus extulit, (z) *ut hirundo inclusa cantabo.* Hoc verò optimè Vitæ nostræ MARIÆ congruit: ipsa enim ut semper Deitati inclusa hirundo & domestica permansit, & cantavit. Non sicut nos, quos una hora ut inclusas

(s) *Bern. serm. sup. missus. 2.* (t) *Dion. Alex. in epist. contra Paulum Samosatenu.* (u) *Genes. 7. 16.* (x) *Chrisost. hom. 25.* (y) *Hieron. l. 11. in c. 38. Isai.* (z) *Symach. in c. 38. Isai. v. 14.*

ſas Deo hirundines videt, & audit cantantes, altera autem ut excluſas à Dei gratia ſentit plorantes, & gementes.

§. 2.

TRiumphat coram Deo, de Deo in ſuo cantico Ezechias (a) VITÆ reſtitutus dicens, vivens, vivens ego hodie confiteor. In HODIE vim poſuit, vivens inquit Hodie, ferè non vivens nuper, non victurus deinceps, ſed vivens hodie. Verùm hoc Ezechiæ HODIE quantum & quale? Hodie vivens, heri moriens: hodie vivens, cras poſt quindecim annos moriens. Jam, hoc hodiernum vivere, num totum eſt vivere? *Quicquid ætatis retrò eſt, mors tenet* inquit Seneca: (b) proinde quicquid & vitæ retrò eſt, morti ſubeſt: ſed & quicquid ætatis ac vitæ ante eſt, nihil tenet, occupat, non eſſe. *In puncto fugientis temporis pendeo* inquit idem: proinde & vivens ego hodie, (d) *in puncto* vitæ fugientis verſor. Porrò CONCEPTA fæliciter vita noſtra Virgo, idem carmen Ezechiæ, ſed ſenſu diverſo occinit, vivens, viuens ego hodie. Vivens vita corporali mortali: Vivens vitâ Spirituali immortali. Nam vita Spiritus & gratiæ, quæ mihi de meritis filii, impedita morte originali conceſſa eſt, immutabilis, & indefectibilis omninò eſt. Arnobius, vetus author, explicans illud ſecundi pſalmi, (e) *ego hodie genui te, Deus* inquit *heri &*

Q 6 *cras*

(a) *Eſai.* 38. 19. (c) *Senec. in epiſt.* 53.
(d) *Senec. lib.* 6. *natur. quæſt. cap.* 32.
(e) *Arnob. in pſal.* 2.

cras non habet, hodie habet. Simillimum verò Deo vivere, concepta VIRGO accepit, hodie magnum habet, heri fugiens non habet, cras inane non habet, Hodie plenum gratiæ habet. (*f*) Quærit Apoſtolus, *cui dixit aliquando Angelorum*, (*g*) *filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ubi, hodie, ex conſenſu interpretum ſonat Æternitatem: eſt namque æternitas unus dies, totus & ſemper præſens, quem non præcedit heri, nec conſequitur cras. Hoc verò HODIE abſolutum, Chriſtus Dominus qua Deus à Patre accepit omni creaturæ incommunicabile: aliud autem HODIE, ſive æternitatem gratiæ, habentis initium, non habentis finem idem Dominus accepit ut creaturis communicabilem, non tamen ut actu, vel Angelis ipſis communicatam: (*h*) Quanquam enim Angeli in gratia juxta S. Auguſtinum (*i*) & D. Thomam ſint creati, non tamen in gratia inamiſſibili: Una eſt mater Dei, vita de vita, quæ gratiâ donata eſt, ejusmodi, (ubi primum concepta) ut omninò illa foret indefectibilis. Explicans Doctor Seraphicus, (*k*) illud Archangeli, *Dominus tecum*: *quia* inquit *Dominus indeficientiſſimus indeficientiſſimè eſt tecum, ideò & tu indeficientiſſime es in æternum ſecum.* Ubi illud, indeficientiſſimè eſt tecum, ſonat ſingulare Virginis privilegium, quale nulli puræ creaturæ collatum fuit. Applicat

(*f*) *Hebr.* 1. 5. (*g*) *Pſal.* 2. 7. *Menoch. ibi. Aug. ibi. Hieron.* Bellar. *Genebr. ibi.* (*h*) 1. *part. qu* 62. *ar.* 3. (*i*) *Aug. libr. de civit.* 12. *c.* 9. (*k*) *Bonav. in ſpecul. B. V. cap.* 8.

plicat quidem ſe Deus electis per gratiam indeficientem, plerumque tamen circa occaſum, ut omnibus electis, aut decurſum Vitæ, ſicut Apoſtolis & Angelis: Matri verò ſuæ, quam præ omnibus dilexit, præ omnibus, in primo animationis inſtanti ſeſe cum gratia indeficienti affixit. Unde non dixit S. Bonaventura, (*l*) ideò & tu indeficienter es ſecum, ſed, indeficientisſimè es ſecum. Et rationem adjunxit, quia indeficientisſimus Dominus eſt tecum. ut indicaret privilegium MARIANÆ gratiæ, ſuper omnia privilegia etiam Angelorum eminere. Non enim dixit Dominus indeficiens, aut indeficientior eſt tecum, ſed Dominus indeficientisſimus indeficientiſſimè eſt tecum, & tu, verſa vice, indeficientiſſima de illius gratia, indeficientiſſimè es ſecum. Nullum ergo tempus, vel momentum vitæ tuæ aſſignari poteſt, quo in te defecit gratia, ſive vita Spiritualis. Quapropter canta benedicta VITA noſtra, à primo ad ſupremum vitæ mortalis momentum: vivens, vivens ego hodie, vivens in æternitate. Ubi enim anima mea æternitati divinæ cœpit convivere, me non temporalis ut plurimos, ſed æterna gratia, ſive æternitas gratiæ complexa eſt. Vivens vivens ego hodie. Verè Hieronymus: (*m*) *nulla res longa mortalium, omnisque felicitas ſæculi dum tenetur amittitur*: ſic & Dei gratia, à plurimis dum tenetur amittitur. Tuæ autem gratiæ felicitas, dum vita inchoatur fluxa & tenetur, ô Virgo, & nunquam

(*l*) *Bonav. ubi ſupra.* (*m*) *Hier. in c. 38. Iſai. lib.* II.

quam amittitur. Aliis dicitur (*n*) *præcipitabit Dominus mortem in sempiternum*: sed tarde, cum apparuerit scilicet Christus vita electorum suorum in gloria. (*o*) Tibi verò in prima vitæ Aurora, & non in occasu seculorum, DEUS tuus filius tuus, præcipitavit mortem in sempiternum, Mortem Reginam, & fæcundissimam matrem, ex qua omnium animorum corporumque mortes eruperunt. Canta ergo benedicta VITA nostra, iterum repeto, vivens vivens ego hodie, vivens in æterno.

§. 3.

VIdens Ezechias vitam suam in mortem ruere, rugiit, (*a*) *Domine vim patior responde pro me.* In quo autem vim patiebatur? (*b*) quia in veritate ambulans & corde perfecto, promissionem sibi à Deo in majoribus factam, impleri minimè videbat. Promissio erat Davidi facta: (*c*) *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, Chaldæus addidit regem, explicant interpretes Messiam. Iste autem de fructu ventris Davidici, per hæredes ejus Sanguinis venire debuit Quoniam autem Ezechias hærede tunc caruit, & consequenter Christum ut fructum ventris sui suscipere non potuit, Domine vim patior, ingemuit, S. Hieronymus ad illa verba: (*d*) *flevit itaque Ezechias fletu magno, flevit* inquit *propter pro-*

(*n*) *Isai.* 25. 8. (*o*) *Greg. l.* 6. *moral. cap.* 15.
(*a*) *Isai.* 38. 14. (*b*) *Corn. à Lap. ibi.* (*c*) *Psal* 131. 11. *Genebr. ibi.* (*d*) *Hieron. in* 4. *Reg c.* 20. *ad v.* 3.

promissionem ad David quam videbat morte sua perituram, eo enim tempore Ezechias filios non habebat. Porro respondit pro Ezechia DEUS, quando illius, velut patronus favens, justum desiderium implevit. *Ad hoc*, inquit Rupertus (e) *reservatus est Ezechias, ut generaret, & in serie generationis Christi Pater cum Patribus resideret.* Cæterùm si VITA nostra Altissimi Mater, originaria labe inquinata prodiisset, tota humanæ massæ Natura clamâsset, Domine vim patior. Quomodo verò? Tenetur tua promissio in Paradiso data: (f) *inimicitias ponam* (ô Serpens) *inter te & mulierem & ipsa conteret caput tuum.* Sed Eva caput ejus non contrivit, nec ulla fæminarum quæ concepta est, elisit serpentis caput, imò omnes sicut & Eva in capite suæ originis conteruntur, nulla inimica ejus, omnes animæ, imò seruæ ejus de sanguine Adæ & Evæ oriuntur. Si mater tua, ejus caput, originale scilicet peccatum non conteret, (g) quæ est alia ab ipsa, & tamen promissa, quæ non contrita caput ejus conteret? (h) Omnes expectamus pro Eva, Evam, & pro Eva in ænigmate, Evam in veritate, & hæc non est alia, nisi tibi à te decreta mater. Ipsa enim de te vita vita prodibit, ut te de se, VITA VITAM fundat. Rursus, si MARIA in ortu suo primo, inquinata fuisset peccato primo, honestas Maternitatis divinæ cla-

(e) *Rupert. in c. 1. Nahum.* (f) *Genes. 3. v. 15.* (g) *Ekius serm. de concept.* (h) *Salas. de concept. B. V. c. 19. n. 17.*

clamâsset: Domine vim patior, (*i*) stringunt homines pro fama Matrum enses, ineunt prælia, accipiunt mortes & vulnera, & tu cum possis dedecus à Matre tua avertere, noluisti? Si præexisterent filii Matribus, & tu quidvis faciendi potestatem in manibus eorum relinqueres: faciem de Sole, Luna, sideribus earum elaborarent, & reliquam corporis molem de primis elementis, sive floribus corporum cœlestium componerent, dotes Angelicas in animas transfunderent, & summas omnium pulchritudinum in eas deponerent. (*k*) Quod si tantus amor exornandi Matres urit præcordia filiorum, quantò amplior oportet in Christo arserit, præsertim quia præceptum honorandi parentem, & amor illabatæ suæ famæ tuendæ urgebat Dominum virtutum acerrimè. Et certè nisi Filius VITÆ nostræ, antiquum quod pridem dederat mandatum, (*l*) fideliter adimpleret, matrem videlicet honore præveniendo. Virgo semplena gratiæ esse probaretur. caro autem Christi Virginea quæ de carne matris sumpta erat, à tota discreparet, inquit Petrus Blesensis. Surculus Davidicæ arboris Ezechias, propter fructum quem DEUS præmisit non est fractus: (*m*) nec sanctior Surculus ejusdem arboris inquit Petrus Damianus violari peccato originis debebat, cujus futurus erat, Deus fructus.

§. 4. Cæ-

(*i*) *Isai.* 38. 14. (*k*) *Thom.* 3. *part. qu.* 27. *ar.* 4. *ratione* 1. (*l*) *Petr. Blesen. in instructione ab Alex. III. data Soldano Iconii.* (*m*) *Petr. Damian. orat.* 2. *de nat.* B. V.

§. 4.

CÆterùm, in reddenda Ezechiæ vita, duo obſerva maximè, tempus & modum ejus reparandæ. Et verò, tunc DEUS dixit Ezechiæ, vives, cum tota aula, ars medicorum, & omnis rerum natura conclamârat, Ezechias non vivet. Hoc autem ad famam ſplendoremque miraculi faciebat maximè, ſiquidem Dei virtutem prodebat: nam teſte Auguſtino, (a) *illic intercedit divinum adjutorium, ubi deficit humanum conſilium.* Et S. Bernardus expendens illud Domini dictum, (b) *nondum venit hora mea: hora* inquit (c) *mea extrema eſt, cum homines non poſſunt, tunc ego opitulor.* Denique cum ſpes humana deficit, gratia Dei incipit, ut monſtret: ſe ſuper morbos mortemque dominari. Sapienter Ambroſius, (d) *morbis Deus utitur ut ſuis ſatellitibus, qui te vinctis manibus, pedibusque affligant cubili, donec ſapias magis.* Hinc diſcis verum eſſe illud Davidicum, (e) *ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es:* hoc eſt, ſi ero ita vicinus morti, quomodo ſolet propinqua eſſe umbra comitis, ſimul ambulanti comiti, non timebo, quia tu mihi aderis, Dominus vitæ & mortis. (f) Jam verò remedium morbi, nunquid ſalutarem datum eſt illi expellendo, & non ſatiùs, ut adverterûnt doctores, efficax, illi amplius exaſperando? (g) Maſſa

(a) *Aug. ſer.* 89. *de temp.* (b) Bern. *ſer.* 2. *de vino in Cana.* (c) *Joan.* 2. 4. (d) *Ambr. in com. Luc.* (e) *Pſal.* 22. v. 5. *valent. ibi.* (f) *Lyran. in c.* 28. *Iſai.* (g) *Valleſ. de ſacra Philoſoph.* c. 39.

Maſſa enim ficuum vulneri irritando, aut ulceri, & non leniendo magis ſervit. Hic rurſus reverere & admirare poteſtatem divinam, cui contraria, non contraria, & diſſymbola, tanquam ſymbola. (h) Lutum natum eſt oculos inficere, quod tamen Deo volente eos refecit. (i) Corvus ex natura carnivorum animal, & tamen ad imperium Dei, Eliæ panes & carnes miniſtravit. Leones fame cruciati, apti ſunt non ſervare ſed devorare hominem, (k) & tamen Danielem ſex diebus non attigerunt. Jam verò ſi quæras, quomodo VITA noſtra virgo, de carne Adæ, modo carnis uſitato procedens, contraxerit tamen minimè, mortem animæ? melius vix reſpondebitur, niſi, quia maſſa ficuum, facta eſt illi contra mortem antidotum. Quæ eſt autem maſſa ficuum, niſi caro Chriſti, ſumpta de carne veterum Patrum? Audi Deum, diſce myſterium: (l) *quaſi poma prima ficulneæ in cacumine vidi Patres eorum.* Ficulnea fuit natura humana pomum ejus caro Adæ, pomum caro Abrahæ, pomum caro Davidis, ex his autem pomis ficulneæ, pomum carnis Chriſti ſumptum eſt: quod applicatum, omni ulceri peccatorum medetur. Hinc illæ voces Eccleſiæ: (m *culpat caro, purgat caro, ſanat Deus, Dei caro.* Quod ſi Evam Matrem, ut nonulli, voces maſſam ficuum, eò quod mater ſit hominum peccatorum:

(h) *Joan.* 9. 11. (i) 3. *Reg.* 17. 6.
(k) *Daniel.* 14. 31. 39. (l) *Oſeæ.* 9. 6. 10.
*Sanch. ibi. n.*47. (m) *Hymno de Aſcenſion. Dom.*

rum! (*n*) VITAM quoque SS. Virginem, voca item massam ficuum, quia ipsa mater novorum hominum, mater electorum ut eam SS. Patres appellant. (*o*) Ut enim massa ficuum, sibi soli relicta, non medetur, sed obest ulceribus: eadem tamen virtute divini conjuncta (ut patet in massa Ezechiæ) prodest ulceri, medetur instanti morti: ita vetus Eva perdidit, quia à Deo se revulsit: nova Eva salvavit mortale genus, quia Deo homini utpote Mater ejus, conjunxit sese. Et quemadmodum massa Ezechiæ, suam dulcedinem non amisit, & à Deo ut medicina assumpta, ulcus sanavit, mortem avertit: ita Virgo Parens, ipsa sibi in ortu suo salva mansit: deinde languidi medela mundi facta est S. Epiphanius, comparans antiquam Evam cum nova, concludit, (*p*) *unde mors illata est, inde vita processit, ut vita pro morte fieret, & qui per mulierem vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet.* Christus ergo ex sententia Epiphanii, bis ut VITA natus ex Patre ab æterno nascitur ut vita: ex matre in tempore procedit ut VITA item. An autem Vita procedit immediatè ex morte, & non ex vita? Christus Patribus Sanctis, & Matri, massa salutaris ficuum, sed Patribus, eorum ulcus natum sanando, Matri, ne ulcus originis contraheret ut antidotum impediendo.

§. 5.

NOn sola umbra in horologio Achaz (*a*) redden-

(*n*) *Glossa. in c. 2. Canticor.* (*o*) *Isido. S. Aug. Greg.* (*p*) *S. Epiph. hæres. 78.*

(*a*) 4. *Reg.* 20.

dendam vitam Ezechiæ significavit, sed & Sc
in cœlo. *Reversus* inquit Isaias, (*b*) *est Sol d*
cem lineis. Porrô Sol non rediit tantum in cœl
comparatè ad clima & notitiam Judæorum, se
quoad omne clima & notitiam etiam gentium
(*c*) siquidem Nuntii qui de Babylone ad Ezech
am venerunt, non solum gratulatum ei rece
ptam sanitatem venerunt, sed etiam interroga
tum de portento quod acciderat super terram
hoc autem miraculum erat, retrogressi in cœl
Solis, & diei novis horis aucti, aut 5. ut vu
Cajetanus, (*d*) aut 10, ut melius censet 5. Areo
pagita Dionysius. (*e*) Porrò Ecclesiasticus d
hoc prodigio loquens, nova utitur phrasi: (*f*
in diebus Ezechiæ retrò rediit Sol, & addidit Reg
vitam. Quomodo verò Sol addidit Ezechi
vitam, quando nec umbra addidit horologii Re
gii, sed massa ficuum? (*g*) Sol additam signifi
cavit ut signum, non restauravit ut remedium
vitam. Enimverò si ad Ezechiæ filiam respic
as, ibi verificari invenies, Sol addidit MARIA
vitam; non Sol in cœlo currens & umbras i
terra faciens, (*h*) sed Sol umbrâ Spiritus S. ope
rantis involutus, & in utero MARIÆ tanquar
Sponsus in thalamo quieturus. De quo, Eccle
sia, in nocturno Natalis Dominici cantat: (*i*
tan

(*b*) *Isai*. 38. 8. (*c*) 2. *Paralip*. 32. *v*. 31.
(*d*) *Cajet. ibi*. (*e*) *Dion. Areop. in epist. ad Po*
licar. (*f*) *Eccle*. 48. 26. (*g*) *Corn. à Lap*
ibi. (*h*) *Luc*. 1. 35. (*i*) *In noct*, 1. *Nata*
Domin.

tanquam Sponsus Dominus procedens de thalamo. Quem versiculum sumpsit ex psalmo decimo octavo, (*k*) in quo, dicitur de Sole, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo. Thalamus autem Solis æterni, (*l*) carne de Virgine sumpta obumbrati, fuit uterus Matris, in quo nuptias fecit Pater, cum cum natura humana copulando, illius inquam Solis, de quo Zacharias in suo Cantico, (*m*) *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Ubi eruditè advertit Toletus Card. (*n*) & alii, ORIENS non ut herba, sed ut Sol, oriens autem ex alto suæ divinitatis. Iste ergo Sol dedit MARIÆ vitam, cum desperante natura, & sterili & eflæta, fecit eam de Anna & Joachim oriri: iste idem Sol addidit vitam, quia à morte originali eam defendens, vita gratiæ in ortu suo primo complevit. Iste est Sol, qui & descendit & ascendit dans vitam: descendit ut Rabanus (*o*) explicat per 9. gradus Angelorum, ad decimum gradum seminis Abrahæ quod apprehendit; ascendit autem per novem choros Angelorum transiens, & in decimo Matris suæ sistens: quam sicut super omnes Choros Angelorum assumptam in cœlos evexit, sic orientem nobiliori gratia illustravit. Quia ex mente S. Thomæ, (*p*) ex hoc creatura rationalis in justitia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionem.

Ergo

(*k*) *Psal.* 18. 6. (*l*) *Vide Sa in notis ad c.* 1. *Luc.* (*m*) *Luc.* 2. (*n*) *Tolet. in comm. in c.* 2. *Lucæ. item annot.* 162. (*o*) *Raban. in* 4. *Reg. ad c.* 20. (*p*) 1. *part. qu.* 100. *ar.* 2.

Ergo Angelica creatura ante beatam visionem, in justitia de se vacillabat, & nutabat, sicut & in multis, cecidit. B autem Mater ubi concepta, stabili, immutabili, indefectibili gratia ornata. Audi Gersonem: (q) qui per mulierem Sole amictam explicans B. Virginem, infert. *Si erat ut mulier amicta Sole justitiæ, ejus sub pedibus Luna totius mutabilitatis creaturarum pendebat.* At si tota mutabilitas creaturarum sub pedibus MARIÆ, ejus ergo caput non mutabili, sed immutabili gratia cinctum erat. S. Augustinus comparans geminam Christi D. nativitatem, (r) *Christus*, fatur *natus est de Patre principium vitæ, de Matre autem finis mortis.* Magna utraque & felix nativitas, sed posterior sicut nobis vicinior: ita gratior: quia Christus nobis natus, nobis datus est, ut FINIS MORTIS. Nunquid autem omnibus Sanctis, Christus factus est æqualiter, ut FINIS MORTIS! nequaquam: tibi Sancte latro factus est Finis mortis in fine vitæ tuæ: tibi SS. Petre & Paule finis mortis, in medio vitæ: tibi SS. Baptista & Jeremia finis mortis post aliquot menses inchoatæ vitæ: una est MARIA, cui Christus factus est Finis Mortis, in ipsa prima origine mortalis vitæ. Et iste FINIS mortis, unam eam super omnes fecit, FINEM IRÆ DEI, ut ait B. Bonaventura. (s) Sed, si MARIA finis iræ Dei, an in fine iræ, principium iræ, ut est culpa prima, potuit latere? (t) Agens de secun-

(q) *Gerson. de laud. B. V.* (r) *Aug. serm.* 15. *tom.* 10. (s) *Bonav. in spec. B.V.* (t) *Aug. de hæresi. cap.* 5.

ecundinis puerperæ unus doctor, omnino benè
lixit, Sol Christus sordes naturæ in Matre sicca-
it. Addamus: idem Sol sordes animi ut est
eccatum in Virgine siccavit, & siccando vitam
ddidit.

§. 6.

SEnnacherib, Rex Assyriorum, temporibus
Ezechiæ, adducto ingenti exercitu, vastita-
em Judææ, excidium & vincula Jerusalem mi-
itabatur, at Deus prece flexus Ezechiæ, *non in-
redietur*, nunciat, (*a*) *urbem hanc, nec mittet
n eam Sagittam, nec occupabit eam clypeus. Et
ntecedenter, sprevit te, & subsannavit te Virgo filia
ion, post tergum tuum movit caput filia Jerusa-
em.* Hinc argumentari licet. Si temporibus E-
echiæ, ita cara fuit Deo filia Sion, filia Jerusa-
em, ut ei re ipsa ab Assirio victore illudi non sit
assus: quantò magis Matrem suam à victore
Paradisiaco, & primo Pugnatore non est passus
inci, atque occupari, qualis est Diabolus pri-
ni peccati Inventor. Cur autem Jerusalem fi-
am non concessit in prædam Assyrio DEUS,
ausam ipse expressit: *protegam urbem hanc pro-
ter me.* Quomodo verò? quia insultaverat
uncius Assyriorum Rabsaces, non solum E-
echiæ, (*b*) sed etiam Deo, quasi eam non pos-
et defendere: *ne conturbet vos Ezechias dicens:
Dominus liberabit nos. Nunquid liberaverunt Dii
entium, unusquisque terram suam de manu Assy-
iorum regis? Ubi est Deus Emath, & Arphad?
Ubi*

(*a*) 4. *Reg.* 19. (*b*) *Isai.* 36. 18. 19.

Ubi est Deus Sepharuim? nunquid liberaverunt Samariam de manu mea? Ne ergo nomen Domini quod super omnes Deos eminebat nota, infamiæ laboraret, DEUS filiam Sion, captivam fieri Sennacherib non permisit. Jam si gloria sic Deum pungebat, pro lutea & lateritia filia, quantum eadem sollicitabat pro Sanctissima & æterna sua Matre? Doctor Angelicus, (*c*) docens cum sensu communi, VITAM nostram B. Dei genitricem omni peccato veniali caruisse, primam adfert rationem, nam inquit Virgo non esset idonea Deo mater, si peccasset aliquando: quia honor Parentis redundat in prolem, juxta illud proverbiorum, gloria filiorum patres eorum. (*d*) At minus fuisset idonea SS. Virgo, DEI Mater, si originali macula contaminata fuisset: nam veniale peccatum non fundat æternum Dei odium, sicut originale fundat. Alteram causam assignat Deus, (*e*) protegam urbem hanc propter David servum meum: quia scilicet ab ipso capta, Deo fuit sacrata, Gregorius, (*f*) autem Pontifex Neocæsariensis, virginem vocavit civitatem Dei animatam: alii Jerusalem gloriosam Dei urbem. De Jerusalem porrò ut futura est Sanctorum Comprehensorum civitas, prædixit Tobias Senior, (*g*) per vicos tuos cantabitur alleluja, scilicet vox lætitiæ & laudis. Ergo & Dei viventis & Redemptoris civitas, oportet perpetuò & per omnes vicos suos resonet alleluja?

(*c*) 3. *part. qu.* 27. *ar.* 4. (*d*) *Prov.* 17. 6.
(*e*) *Tostatus in* 2. *Reg.* 5. (*f*) *Gregor. orat.* 3. *de annunc.* B. *V.* (*g*) *Tob.* 13, 22.

luja? Et verò ut sic dicam, vicus senectutis, Virginalis & mortis, vicus vitæ, & nativitatis festivo decoratur alleluja, cur non item originis primus vicus? (*h*) *Jurabit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam.* Quam autem? *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam,* hoc est, Messiam ut Christiani interpretes volunt. (*i*) Fructus enim fuit Christus, & fructus, unius ventris, scilicet Virginalis. Ut igitur uterum istum, præter Christum nemo habitavit: sic uteri istius Mentem nulla culpa profanavit. Glicas historicus ad pauca respiciens, ad verba illa Dei, protegam urbem hanc propter me, & propter David Servum meum, adjecit, ne putaret, inquit, Ezechias, (*k*) orationem suam justitiæ causa qua præditus erat, exauditam esse, justos homines etiam vita functos, viventium patronos agere ostendit DEUS. Detraxit non parùm Sancto Regi Glicas, sed quod ille detraxit, reddit sermo Dei ad eundem Ezechiam. (*l*) Quæ deprecatus es me, super Sennacherib Rege Assiriorum, audivi. Quomodo verò audivit? sic, qualiter deprecatus est idem pro vita sua, & responsum accepit: audivi orationem tuam, (*m*) & vidi lacrymas tuas. Audit autem Deus inquit unus cum exaudit, surdus est, cum negat. Sicut, (*n*) & videt la-

(*h*) *Psal.* 131. 11. (*i*) *Aug. Hier. Lor. Genebr. Bell. ibi.* (*k*) *Glicas, annalium. parte* 2.
(*l*) 4. *Reg.* 19. *v.* 21. (*m*) 4. *Reg.* 20. *v.* 5.
(*n*) *Lor. in psal.* 129.

crymas justorũ, quas in vinum solatii mutat, non videt autem lacrymas improborũ, (o) quas cibum igni æterno destinat, oravit ergo pro vita sua Ezechias, & exauditus est. (p) Porrò VITA nostra Virgo, antequã in utero Matris conciperetur, non erat; in mente tamen Dei fæcundâ præexistens quasi orabat, an me Pater dicens, primam filiarum, & tu fili, unam matrem tuam, & tu S. Spiritus, Sponsam tuam deseres? Et capiet meam animam hostis tuus & meus, cujus corpus non capiet amicus tuus & meus Josephs (q) Misit Deus motus oratione Ezechiæ Angelum suum qui centum octoginta quinque millia exercitus Assyrii exanimavit. Quo verò lethi genere? Herodotus sicut in nomine Sennacherib, corrumpendo illud errat, sic in multis. (r) Ait enim illum ausum fuisse templum vulcani apud Ægyptios celebre expilare, ob quod immissi in ejus exercitum mures, arcus & pharethras, & scuta de boum tergo contexta corrosere. Unde coactus fuit turpi fuga se salvare, & statuam ab Ægyptiis in eodem templo fixam portare, quæ in ejus persona murem cum hisce tenebat verbis: *in me quibis intuens, pius esto*: q. d. templa ne spolies, ne mures sentias. (s) Eruditi verò Christiani interpretes, asserunt, exercitum Sennacherib, igne sacro de cœlo tactum, consumptumque fuisse quem Angelus bonus vindex Justitia

(o) *Glossa in c. 2. Joan.* (p) *Salasar. in c. 8. Prob.* (q) 4. *Reg.* 19. 35. (r) *Herod. in Euterp. num.* 141. (s) *Hieron. l.* 4. *in c.* 10. *Isai.* (t) *Sanch. à Lap. ibi. Isai.* 10. 12. 13.

Justitiæ applicuit. (t) Nituntur autem locis scripturæ, satis fortibus. S. Hyeronimus ad illa verba, propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem, (u) & subtus gloria ejus (Sennacherib) succensa, ardebit quasi combustio ignis: inquit, mittet Dominus Angelum suum, & una nocte 185 millia de tuo morientur exercitu: & sicut Hebræi tradunt, illæsis vestibus Assyriorum, corpora occulto crementur ardore. Nunc à Patre ad filiam, reduc oculos. Ezechias unum Angelũ & semel pro se suisque de cœlo devocavit: (x) Virgo verò quos vult, quando vult, quibus vult Angelicos applicat ordines, utpote primo in vitæ limine jam iis gratiâ constanti superior Ezechias igne per Angelum admoto, (y) ussit homines: Virgo sine labe concepta urit ipsos noctis Angelos: utpote cum vident sibi ruinosam & mobilem, illi inamissibilem atque immobilem à Deo esse gratiam concessam. (z) Bis ergo uruntur, semel pro amissa sua, & semel pro substituta loco sui, Virginis excellentia & felicitate.

§. 7.

PRimas inter laudes Ezechiæ facinus refertur, (a) quo ausus est Serpentem illum æneum tempore adhuc Moysis fusum, erectumque confringere, & in minutum pulverem redigere. (b)

(u) *Nahum* 1. *ad ult. Menoch. Tir. ibi.* (x) 4. *Reg.* 19. (y) *Hier. l.* 4. *in Isai.* (z) *Gerson. ubi supra de laud.* B. V. (a) 4. *Reg.* 18. (b) *Menoch. ibi.*

Quod fecit motus zelo honoris divini, utpote quia populus credens aliquid divinitatis illi inesse; incenso cum honoraret. Hic considera quantum ævi damnosa queat mutare vetustas; (c) & quomodo juxta sensum Aristotelis, modicus initio error, nec amotus, degeneret in maximum. Ecce Serpens Dei inventio, Christi figura, Moysis opus, populi Vita, serpentum serpens, recedentibus aut silentibus melioribus Magistris, & antiquitate temporum, impiam conferente authoritatem, de metallo vili in Deum evasit. Ita cum reges zelare pro Deo, Sacerdotes pro ejus honore vigilare cessant, (d) sumit superstitio grandia cornua, & publicum scandalum putatur religio. Verè & Sapienter Chrysostomus, (e) *melior est apud Deum unus justus, quàm totus mundus peccatoribus plenus.* Et alius. Sæpius pietas vera in paucis subsistit, in multitudine corruit. Ecce Ezechiam. (f) Hic nil veritus antiquitatem temporum, permissionem regum ac Sacerdotum, populi superstitionem, serpentem non solum fregit, sed & in pulverem comminuit. Quin & eundem Serpentem vocavit Nohestan, aut ut Theodoretus scribit (g) Nehustam: Seu ut Philastrius Nohastan (h) Sonat autem hoc multiplex nomen æs eorum, cuprum eorum, cuprellum eorum. (i)

Q. d.

(c) *Æneid.* 3. *Arist.* (d) *Raban. in* 4 *Reg.* (e) *Chrysost. h.* 22. *in Matth.*
(f) *Gloßa in c.* 3. *Matth.* (g) *Theodor. qu.* 49 *in* 4. *Reg.* 18. (h) *Philast. de hæres.*
(i) *Lira Gloßa. in* 4. *Reg.* 18.

Q. d. Ezechias populo, vos ut patres veſtri huic Serpenti credidiſtis, aliquid divinæ infuiſſe virtutis, ego verò vobis, vile & inanime metallum, cuprellum & æriculum demonſtro. Et fortaſſe propter hoc factum, ita de eo Scriptura. (k) *Itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis regibus Judæ, ſed, neque in his, qui ante eum fuerunt.* Quid Virgo Vita noſtra: & ipſa confregit obtrivitque ſerpentem, non æreum, ſed materiæ ac corruptionis expertam: Serpentem, qui plus uno pomo, quam omnes Bellatores vaſis armisque ſuis potuére. Halitus ejus peſtilens, omnes afflavit, omnes perdidit, & nihil in hominibus intactum ſanumque reliquit. S. Ambroſius de eo: Serpens in auribus Adæ & Evæ Semitam fecit: (l) fecit & in pedibus quibus interdictum fuerat iter ad arborem, (m) fecit & in manibus quibus contacta ſunt poma. Baſiliſcus fertur ea veneni atrocitate plenus eſſe, ut herbas & prata quà tranſit, exurat: Serpens autem Antiquus, (n) ubi ſemitam in hominibus fecit, ibi omnia corrupit: implevit aures inobedientiæ veneno: affecit manus tepore benè agendi, corrupit pedes celeriter in malum currendi. Ita quicquid attigit, morte polluit. Verùm; totum illum, Dei infinita caritas MATRI ſuæ vincendum objecit. Nam inquit Cizici Epiſcopus Proclus ad Epheſini Conclii Patres: (o) ubi

R 3

(k) 4. *Reg.* 18. *v.* 5. (l) *Ambr. l. de Salom.* (m) *ſuper cap.* 30. *in fragment.* (n) *Maiolus colloq. de inſectis.* (o) *Proclus. ſerm. de nativ. Dem.*

ubi ſerpens per inobedientiam virus ſuum infuderat, (ſcilicet in Eva) *ibi verbum per obedientiam ingreſſum vivum ſibi templum exædificavit.* Quod enim agebatur vita erat. Dantur templa & aræ, & ſepulchra Sanctorum nonullorum, in quibus à ſerpente morſi ſanantur, atque de periculo mortis ad vitam revocantur: MARIÆ autem in omnes inferni Serpentes & aſpides poteſtas, nec loco nec tempore, nec modo medendi arctatur: ubique & ſemper, ſicut in ſe vita eſt, ita Serpentibus iſtis, mors & Morſus. Ubi vulgata legit: *inimicitias ponam inter te* (o Serpens) *& mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius:* (p) Chaldæus legit: *inter filium tuum & filium illius.* Quis eſt filius Serpentis? aliqui originale peccatum, alii & melius omne grave peccatum: alii, (q) omnes Diaboli adjutores qui ſerunt ſcandala in novo Dei paradiſo, qui eſt Eccleſia. Porrò Vita noſtra, Virgo Sancta, in omnem Serpentis peſtiferam propaginem, non ſolum ipſa nacta eſt virtutem, ſed eam aliis communicat. (r) Hinc Margarita & Pelagia MM. Virgines, Matri divinæ devotæ Draconem antiquum cæperunt, & vinculis oneratum judicibus ſtiterunt. *Serpentes corporei,* ut Tertullianus ait, (s) *incantati atque effumigati fugiunt:* omnia autem reptilia infernis: ſint licet ignem mortemque ſpirantia, ad nomen MARIÆ obſtupeſcunt

ſtupeſcunt

(p) *Geneſ. 3. 15. Chald. textus.* (q) *Salas. de concep. c. 28. num. 11.* (r) *Sur. 20. Juli. in vita.* (s) *Tert. l. ad Mart.*

ſtupeſcunt & diffugiunt. Nec mirum: ut diem nox, & impuritas puritatem non ſuſtinet: ſic mortis inſtrumenta, vitæ Matrem. De Ezechia Scriptura, (t) *dormivit Ezechias cum Patribus ſuis, & ſepeliverunt eum ſuper Sepulchra filiorum David.* Ubi S. Hieronymus, altius Ezechiæ & excelſius ſepulchrum inter reges collocatum eſt. Virgini autem non mortis ſed vitæ monumenta & memorias excitat totus mundus & clamat. (u) Ave virgo mundi vita, tu cum nato da petita, ut me Dei civitatis civem eſſe faciatis.

VITA IN NATIVITATE.

§. 1.

INter alias, fortunatiſſimas Magnæ Parentis procreatrices, bonum in Evangelio Jerichuntis filia, patria Chananæa, proſelita Iſraël, uxor Principis Salmon, (a) Rahab heroina tenet locum. An talis præfuerit, (b) qualem illi titulum ſcriptura prætendit, non pauci litigant: Siquidem verbum hebræum Zona, (c) ſic ſignificat proſtitutam, ut etiam ſonet cauponam. Sed mittamus lites Scholis in nobis autem Chriſtianis, ex ſenſu Ambroſii (d) cum non quærantur initia ſed finis, quæſtuaria obeſſe non poteſt, quæ deinde virtutum ſplendoribus velut

(t) 2. *Paral.* 32. *Hier. ibi.* (u) *Bonav. in pſal. minor. quinq.* 2. (a) *Matth.* 1. v. 5.
(b) *Liran. Abulen. Hier.* (c) *Aug. Magd. in c.* 2. *Joſue.* (d) *Ambr. de bono mortis.*

Sol in altissimis, sic in domo Dei refulsit? (e) Certè in laudandis aliis fortasse & una chorda cytharæ Spiritus S. sufficeret, in encomiis Sanctæ Rahab mihi psalterium decachordum non satis videtur? Vis fidem in Deum? (f) Apostolus eam laudat & inter heroes fidei admiscet, ipsa autem msgnifica voce eam prodit (g) *dominus Deus vester, ipse est in cælo Deus sursum, & in terra deorsum.* Vis pœnitentiæ Vigorem? quod semel deseruit, nunquam repetiit, vidua laxius vixit quoad famam, (h) non quoad promiscuam sui copiam, famam tamen in terra olentem, fama in cœlis redolente oppressit, unde & meruit grande verbum Dei, (i) *memor ero Rahab scientis me.* Quomodo scientis? exponunt authores, scientis me scientia approbationis meæ legis & voluntatis, & scientis scientias (k) reprobationis exactæ ætatis. Vis spem & fiduciam in Deum intueri in ipsa? Signiferam spei ac Crucis eam vidit descripsitque Ambrosius. (l) *Meretrix* inquit ille, *quæ in excidio Civitatis, remedia desperabat Salutis, quia fide vicerat, signa fidei, atque vexilla Dominicæ passionis attollens, coccum ita in fenestra ligavit, ut species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptura, vernaret.* Vis Dei timorem? *Elanguit* loquitur ipsa, (m) *cor nostrum, nec*

(e) *Eccle.* 26. 27. (f) *Hebr.* 11. 31.
(g) *Josu.* 2. 11. (h) *Magala. in c.* 2. *Josue.*
(i) *Psal.* 86. 4. (k) *Anon. ibi.* (l) *Ambr. l.* 5. *c.* 5. *de fide.* (m) *Josu.* 2. 11.

nec remansit in nobis Spiritus ad introitum vestrum. (*n*) Vis humilitatem? Quærunt interpretes, cur aliquoties Rahab agens cum exploratoribus, dixerit, Dominus DEUS vester, (*o*) & non etiam Dominus Deus noster, cum tamen eum Solum & Unum esse Deum credidisset? & respondent ex S. Cyrillo Alexandrino, (*p*) quia impuritatis suæ memor, non audebat Deum suum nominare. Vis religionis reverentiam? Volens obstringere fidem sibi ab exploratoribus datam firmiore vinculo, jurate mihi per Dominum: non dixit per Dominum vestrum, (*q*) sed absolute per Dominum, quia *præter Unius Dei excellentiam quam Israel adorabat*, inquit Glossa, (*r*) *omnem aliam Deitatis notam apud se extinxerat.* Vis fortitudinis virtutem? clamat Ambrosius, (*s*) *disce Christiane quomodo verum JESUM sequi debeas, quando Rahab contempsit omnia sua, & JESUM in figura propter similitudinem nominis est secuta.* Vis hospitalitatis gratiam? (*t*) *Ex operibus Rahab justificata est, suscipiens nuntios, & alia Viâ ejiciens*, inquit S. Jacobus. Vis prudentiam? in lino ostendit, sed non tenuem. Vis justitiam? Verbo stetit ut promisit, nec quæsita quo illi ivissent, quanquam nosset, retexit. Vis in Deum charitatem? patriæ charitatem, (quæ omnes omnium amores ut Tullius ait, (*x*) una complexa est) ei post-

 habuit.

(*n*) *Magali. ubi sup.* (*o*) *Ciryl. Alex.* (*p*) *Cyrill. Alex.* (*q*) *Josue. 2, 12.* (*r*) *Glossa ibi.* (*s*) *Ambr. in ps. 37.* (*t*) *Jacob. 2. 25.* (*u*) *Josu. 2, 6.* (*x*) *Cic. in off. lib. 1.*

habuit. Vis perſeverandi robur? Intravit in Synogogam ait gloſſa, (*y*) & poſt ſe, ne rediret ad patrios Deos, fortiter clauſit.

§. 2.

HÆc igitur tàm robuſtæ & multiplicis mulier fidei ac virtutis quomodo naſcenti præluſerit glorioſæ Virgini, adverte. Certè eam Eccleſiæ geſſiſſe figuram Patres adſtruunt. *Illa* inquit Auguſtinus, (*a*) *quæ præſumpſit in promiſſione, quæ timuit Deum, cui dictum eſt, ut per feneſtram mitteret coccum, id eſt ut in fronte haberet ſignum Sanguinis Chriſti, ſalvata eſt ibi, & Eccleſiam gentium ſignificavit.* Origenes (*b*) autem de ipſa, deque domo ejus locutus, infert: nemo ergo ſemetipſum decipiat, extra Rahab domum, id eſt extra Eccleſiam, nemo Salvatur. Nam ſiquis foras exierit, mortis ſuæ ipſe ſit reus. Unde concludere licet, domum Rahab domum vitæ, & ipſam Rahab, matrem vitæ, ſive VITAM, ſuorum appellandam eſſe. Prope capta Jericho proclamat Joſue: (*c*) *Sit civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt, Domino; Sola Rahab meretrix vivat, cum Univerſis, qui cum ea in domo ſunt.* Expendens hæc verba S. Chryſóſtomus, (*d*) *reſpice*, exclamat *novam clementiam; qui in lege dicit, non mæchaberis, & ſi mæchaberis regnum Dei non poſſidebis, verum transmutans de clementia, clamat per JESUM Nave, Rahab meretrix*

(*y*) Gloſſa in Pſal. 86. (*a*) Aug. in pſal. 86.
(*b*) Origen. hom. 2. in Joſue. (*c*) Joſue 6. 17.
(*d*) Chryſoſt. tom. 3. h. 5. de pœnit.

vetrix vivat. Hoc igitur, verbum, VIVAT RAHAB, Josue clamavit, DEUS concepit, cœlum itaque ut Rahab vivat, cum terra conspiravit. Videte quanta est ista quam DEUS & Princeps populi Sancti de periculo mortis absolvit, & pereunte Jericho cum omnibus, privilegio vitæ donat & coronat. Addit Josephus Judæus, (e) Rahab, cum suis omnibus domesticis & familiaribus Exploratores eripuerunt: quam dum ad se JESUS venire fecisset, gratias ei egit pro Exploratorum Salute, & donavit eam multis agris, & rebus maximis honoravit. (f) Adjungunt præterea Rabbini graves, eam sua fide non Solum apud Josue sed etiam apud *D*eum tantam gratiam adeptam esse, ut etiamsi ducentos homines sibi cognatione conjunctos habuisset, illique cum aliis 200 prosapiis affinitates contraxissent, omnes tamen ob ejus respectum vitá donandos fuisse. Sic igitur non Sola sibi, sed etiam aliis VITA facta est Rahab. Jam verò sicut Josue uni Urbi, sic *D*eus toti orbi post lapsum primi hominis intonuit, (g) sit omne genus hominum anathema, morte moriatur, excidatur: quicunque nascetur, filius Iræ & mortis nascatur, sic & filia. Una tamen Mater mea MARIA vivat, cum universis qui in domo ejus erunt, vivat. Atque hoc geminum *D*ei decretum mundus sentit. Nam, & qui nascuntur, filii perditionis & non vitæ nascuntur, oportet illos Vitæ fontes quærere, indeque salutis hau-

 stum

(e) *Joseph. l.* 1. *antiq. c.* 1. (f) *R. Simeon in c.* 6. *Josue.* (g) *Josue.* 6. 17.

ſtum captare: & MARIA eſt cui dictum eſt, vivat cum omnibus ſuis. Fuit quidem olim apud Perſas, (h) & ante illos apud Medos, & deinde per multas gentes mos receptus, ut dies natalis anniverſaria & ſolemni memoria celebraretur recurrens: nihilominus obſervarunt Eruditi, (i) neminem Sanctorum veterum diem natalitium feſto proſecutum eſſe, ſed nunquam Reges in Sacra memorari ſcriptura, ut Hærodem, (k) Pharaonem, Antiochum, quibus placuit ortus ſui Solemnitatem inſtituere. Cæterùm Sancti quibus vitæ fallacis nota erant pericula, ejus primitias luctu & querimoniis dedecorare voluerunt. (l) *Pereat dies in qua natus ſum*, Job ſanctus queſtus eſt, quibus verbis ut Beda ait, (m) in ſe humani generis mortalitatem deflet. Nec alter aliter in utero quanquam Sanctificatus, (n) *maledicta dies in qua natus ſum, dies in qua me peperit mater mea, non ſit benedicta.* Ubi M. Gregorius, (o) *dies nativitatis eſt tempus noſtræ mortalitatis quod quamdiu nos in hac noſtræ mutabilitatis corruptione retinet, æternitatis nobis immutabilitas non apparet.* Qui igitur jam diem æternitatis videt, ægrè diem ſuæ mortalitatis ſuſtinet.

§ 3.

VErùm enimvero, VITÆ noſtræ, benedictæ Matri, (a) non moriatur, ſed vivat, accla- matum

(h) Plutarch. Herodotus. (i) Perer. in c. 48. Geneſ. tom. ult. (k) Mar. 6. 21. Geneſ. 40. 20. 2. Mach. 6. 2. (l) Job. 3. 3 (m) Beda ibi. (n) Hier. 20. 14. (o) Greg. m. l. 4. mor. c. 6. 7. (a) Joſue. 6.

matum eſt de cœlo, (ſicut Rahab,) cum lucis primum uſuram inciperet. Iſte ejus dies non lacerandus maledictis, ſed condecorandus benedictionibus ab omni gente & ſeculo. Sicut & decoratur ſolemni feſto, quod in octiduum ſeſe exporrigit. Dat cauſam Eccleſia in ſuo hymno: *Nativitas*, canens (*b*) *tua Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo mundo. Ex te enim ortus eſt Sol juſtitiæ* (hoc eſt Sanctitatis) *Chriſtus Deus noſter: qui ſolvens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem donavit nobis vitam Sempiternam.* Preme ultima verba, donavit nobis vitam Sempiternam. Qualem vitam? utique qualis erat Sol: Sol autem natus eſt nobis de Virgine Sanctitatis, dies ergo & menſes, & annos & ſæcula donavit nobis Sanctitatis, hæc autem ſunt divinæ, ſublimis, æternæ vitæ portiones. Quoniam autem qui talem vitam nobis donavit, ex te vitam traxit, ô Virgo, meritò ſicut in ortu ejus, ſic etiam in ortu tuo, non mæret ſed exultat univerſus orbis. Olim, (*c*) plumbum erat ſignum vitæ, eò quod onera gravia & intolerabilia in homines derivaret. (*d*) Apud alios autem populos mel ſymbolum mortis, fel ſymbolum vitæ habebatur, eo quod vita, amaritudo amariſſima propter multiplices acerbos eventus cenſeretur, (*e*) mors autem ut optimum naturæ inventum (inquit

(*b In feſt. nativ. B. Virg. ad magn. antiph.*
(*c*) *Salas. in Prov. c.* 30. (*d*) *A caſtro in c.* 20. *Jerem.* (*e*) *Senec. l.* 1. *de conſol. ad Mar.*

quit Seneca Philosophus) laudaretur. Ad mentem Jobi quærentis, (*f*) quare data est misero lux, & vita iis qui in amaritudine animæ sunt? Doctor autem Angelicus, (*g*) vitam nostram, noctem esse dixit, explicans illa verba, *pereat nox in qua dictum est, conceptus est homo*. eò quod ut Sapienter dixit Cato, *sicut in divinis, sic in humanis rebus multum insit caliginis*. Et nescio, annon hoc indicare voluerunt Ægyptii Sacerdotes, (*h*) qui templum ingressi, vociferari solebant, *tenebræ, tenebræ, tenebræ*, Deus certè in se lux est, sed hominibus tenebræ: Sed si Deus hominibus tenebræ, quid ergo illis, lux erit? (*i*) Aliæ gentes, puerperio secuto solebant ad puteos currere, indeque collectas viles herbas infanti præsentare. Nempe, ut herba putei, de puteo prodit, nullius ferè pretii, aut usus: Sic homines utero materno exclusi, mane ut herba oriuntur, mox induranter, arescunt, velluntur. (*k*) At, non hæc symbola Vita nostra MARIA feliciter edita meretur, dicas ejus vitæ originem non plumbum gravans, sed purum aurum pretio elevatum, spemque elevatis: nec fellis amaritudine imbutam, sed favo dulcissimo plenam: dicas non initium noctis, sed ut dixit S. Thomas, (*l*) ortum surgentis Auroræ: denique non fætentem herbulam, sed

---

(*f*) *Job*. 3. 20. (*g*) *S. Th. in c.* 3. *Job*.
(*h*) *Horus. in symb.* (*i*) *Granat. in Duce peccat.*
(*k*) *Psal.* 89. 6. (*l*) *S. Thom.* 3. *p. q.* 27. *ar.* 2.

sed florem odoris Christi. (m) S. Aurei oris, consideratis virtutibus Rahab nostræ eam vocavit margaritam sine confusione, aurum sine luto, florem sine spina, religiosam animam in loco pietatis: tametsi prius aliter se habuerit. Do verba. *Erat in fornice, velut in volutabro confusa gemma, aurum in luto abjectum, flos spinis confossus, religiosa anima impietatis loco reclusa.* Hos verò omnes sine fæce titulos VITÆ natæ, Rahab filiæ applica: ipsa enim orbis pretiosa margarita, omnis expers læti ipsa aurum sine sorde: ipsa flos sine spina, ipsa, anima religiosa, ubi nata, in centro pietatis, & loco sanctitatis defixa.

§ 4.

MOs est sacris literis, homines mortis reos vocare filios mortis. Ita David contra unicæ ovis raptorem, *vivit*, inquit, (a) *Dominus, quia filius mortis est vir qui fecit hoc.* Et Salomon Abiathar Sacerdoti qui partes ejus non fuerat secutus, sed Adoniæ: *equidem* inquit (b) *Vir mortis es*, alius textus legit, *filius mortis es.* Fortasse autem ideò rei mortis dicuntur filii mortis, quod quemadmodum filii in seminali Parentum virtute continentur, sic pœna in culpa, & pœna mortis in culpa mortali. Porrò Rahab, quanquam si ejus patriæ merita attendas, unà cum aliis filia Mortis haberetur, nihilominus tamen à Josue filia Vitæ declarata est. Qua verò de causa potissimum? ex gemina fide, una quæ Deum, alterâ qua concernebat proximum. Et

(m) *Chrysost. Hom. 5. de pœnit. tom. III.*
(a) 2. *Reg.* 12. 5. (b) 3. *Reg.* 2. 26.

Et de prima ejus fidè claré Apoſtolorum Minimus: *fide* inquit (*c*) *Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* (*d*) Abulenſis & cum eo nec pauci, nec obſcuri authores tenent, Rahabam habuiſſe divinitus revelationem de veritate divinitatis, (*e*) ut & verba ejus oſtendunt, Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum. Atque hæc eſt illa celebris & fulgentiſſima fides, quæ ſe in memoriam divinitatis ſempiternam inſcripſit, ac de qua gloriatur Deus, (*f*) memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me. S. Hieronimus & Auguſtinus, (*g*) Theodoretus, & Euthymius, nomine Rahab, ſumunt illam Chanaanitidem quæ Joſue exploratores accepit, quam ait DEUS SCIENTEM SE, & videtur omnibus Scientibus aliis præponere. Alii enim ſciunt inferiora ut Geometriæ & Aſtrologiæ myſteria, Rahab autem ME DEUM. Sicut autem objectum Scientiæ Rahab objecta aliarum ſcientiarum tranſcendit: ſic ipſa Scientes alios ſuperat, De altera autem Rahab fide verſus homines, Frater Domini: qui fidem ſine operibus cum pronuntiaſſet eſſe mortuam, probat hoc, ſubjectis de Abraham & Rahab exemplis, & ſubdit: (*h*) *ſimiliter & Rahab meretrix nonne ex operibus juſtificata eſt, Suſcipiens nuntios, & alia Via ejiciens?* Ex quibus verbis elucеſcit, fidem Rahab non

(*c*) *Hebr.* 11. 31. (*d*) *Abul. qu.* 48. *in Joſue.* (*e*) *Magadal. in Joſue. in c.* 2. (*f*) *Pſal.* 86. 4. (*g*) S. *Hier. Aug. in pſ.* 86. (*h*) *Jacob.* 2. 25.

non qualemcunque, sed vivam & actuosam, fortem & puram fuisse: (i) namque eam egregiis operibus nobilitavit, non solum cum periculo fortunarum & capitis susceptos exploratores occultans. & dimittens, sed integra fide & constanter in dato eis verbo persistens. Splendide de ea Ambrosius: (k) Rahab exploratores JESU Nave civibus suis quærentibus denegavit, & hostes patriæ, legatos tamen fidei, maluit occultare quam prodere. Non eam minæ civium, non bellorum pericula, non incendia patriæ, non discrimina terruerunt. (l) Et alibi commendans hospitalitatis honestatem, & tu potes sicut Loth suscipere Angelos, si advenientibus hospitium tuum offeras. Quid de Rahab dicam? quæ hoc munere invenit Salutem. Munus autem hospitalitatis, cum homines tractet ac suscipiat velut Angelos, ostendit insignem robustamque erga homines fidem. Sic igitur Rahab fide ut dixi gemina facta & renata est VITÆ filia, cum haberetur ut cæteri, filia mortis. S. Dionysius Episcopus Alexandrinus B. Matrem nuncupavit filiam vitæ sic contra Paulum Samosatenum scribens, *una* inquiens (m) *& sola Virgo filia Vitæ, genuit Verbum vivens & per se subsistens*, increatum & Creatorem. Profectò si ad Sanctorum attendas fidem, & tempora justificationis, cogeris dicere, Sanctos omnes esse

(i) *Corn. à Lap. in 2. Jaco. Menoch. in c. 2. Jacob.*
(k) *Ambr. in ps. 37.* (l *Ambr. l. 3. epist. 25.*
(m) *Dion. Alex. epist. Contr. Paul. Samosat.*

esse & fuisse filios ac filias Vitæ: ut ergo Salvetur Dionysii dictum, quomodo Virgo Sola extiterit Filia vitæ, oportet ut ad ejus exordia attendas. An verò quæ imitata est Rahab in titulo Filiæ vitæ, imitata quoque est in causa hujusce sublimis tituli, scilicet FIDE? omnino. Nascitur Virgo ut filia vitæ, (n) quia ex viva, forti, actuosa fide suorum Parentum: Rahab ex fide, & Virgo ex fide vivit. Et verò fides in Deum SS. Joachim atque Annæ, longa sterilitatis patientia, & expectatione prolis exercita: fides autem hospitii voluntarii, tota vita culta est: domus enim eorum sicut & mensa nulli non patebat hospiti. (o) Quod Græcus commendavit Poëta brevibus, hoc SS. Parentes Virginis, tota coluere vita: Pulchrè Menander, *hospes natus, hospites cole.* Primam sententiæ partem comprobat orator Romanus, *ex hac vita* inquiens (p) *discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo, commorandi enim natura diversorium, non habitandi locum dedit.* Secundam verè ejusdem sententiæ partem acuit Augustinus præmio: (q) *disce* inquiens *Christiane sine discretione exhibere hospitalitatem, ne forte cui domum clauseris, sit DEUS:* tollit Ambrosius dubitationem, (r) *vide recensens, quia Abraham Deum recipit hospitio, dum hospites quærit.* In hospite est Christus, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait, hospes fui & collegistis me. Ergo beati VITÆ nostræ MA-

(n) *Damasc. de orthod. fide. l. 4.* (o) *Menand. in laudib. hospitalitatis.* (p) *Cicer. de Senect.* (q) *Aug. l. contr. hæreses.* (r) *Ambr. l. de offic.*

MARIÆ Parentes, dum hoſpitem ſuſcipiunt, filiam invenerunt & cum filia Deum nepotem obtinuerunt. §. 5.

PRonuntiat Apoſtolus, (*a*) *juſtus ex fide vivit*, deſumpta ſententia ex Propheta Abacuc, qui ſic, (*b*) *ecce*, fatur *qui incredulus eſt non erit recta anima illius in ſemetipſo, juſtus autem in fide ſua vivet*. Si autem juſtus ex fide vivit, utique prius fides in juſto oportet vivat. (*c*) Sicut enim anima picta aut ficta non poteſt corpori impartiri vitam, quoniam eam ipſe non poſſidet: ita fides mortua, nec juſtum facere, nec vivo juſto, vitam juſtitiæ propagare amplius poteſt. Fides autem non oſtendit ſe vivere niſi per opera charitatis, ut eſt inter alia, gratia hoſpitalitatis, & conſtantia cultæ amicitiæ. Intuere hujus veritatis ſplendorem in Sancta Matrona Rahab, (*d*) hæc enim quales accepit hoſpites, tales ſuperatis omnibus difficultatibus à ſe dimiſit, nempe à nocte ad noctem, & usque ad abitum Salvos. Non ſicut complures, qui ex levi cauſa ſancta hoſpitii jura diſſolvunt, & modicos propter reſpectus, vincula contractæ ſanctæque amicitiæ diſrumpunt. (*e*) Quis in horum, tametſi rectis corporibus, curuas habitare animas dubitet, quorum fides prius recta, deinde obliqua, in grandes Errorum umbras detorſit ſeſe? ubi vulgata habet, *qui incredulus eſt, non erit recta anima illius*, alter textus ut videre eſt apud Gaſp.

(*a*) *Rom.* 1. 17. (*b*) *Abac.* 2. 4. (*c*) *Gloſſa ibi.* (*d*) *Joſue* 2. & 1. 8. (*e*) *Perſ. ſatyr.* 1. (*f*) *Abac.* 2. 4. *alter textus.*

Gasp. Sanchez effert, (g) *non placebit animæ meæ.* (vox est Dei) Quomodo verò non placebit? Explicat idem author, *non prosperabitur illi, nihil succedet ex voto, & cum tempus mortalis vitæ abibit, ipsa peribit.* (h) Sic curuæ in terris animæ, & cœlestium inanes, dum à Deo hominibusvé data fide recedunt, quoad alios rectæ, in seipsis curuæ, sibi placentes, sed Deo displicentes, ad hoc detortis perveniunt itineribus, quod apud Augustinum minatur ejusmodi *Deus*: (i) Veniet tempus, quando nec mihi placebis nec tibi: mihi cum judicaberis, tibi cum ardebis. Rahab Sancta, stans fortis in arrepta fide cum videret hospitibus suis instare lethi periculum, seipsam pro eis objecit, (k) & stipula lini, ab exploratoribus, ac satellitibus regiis, eos contectos, defendit. Enimverò Vita nostra Virgo Virginum, an de fide eminenti Parentum edita, ipsa quoque splendore fidei geminæ non effulsit deinceps? Videns ejus fidem erga Deum, sub modio modestiæ ardentem & lucentem exclamavit Sancta anus, (l) beata quæ credidisti. Tanta erat, ut eam effari non posset, indicare solum valeret! Non secus atque si quis quærens nummum inveniret thesaurum, quem amico indicare posset, ipse autem nulla vi auferre posset. Fidem autem, quanta cum constantia & perfectione, colat ad mortales quis explicet?

(g) *Sanchez. in c. 2. Abac. ad v. 4.* (h) *Persius. Satyr. 1.* (i) *Aug. in psal. 49. ad vers. 21.* (k) *Josue. 2. v. 6.* (l) *Luc. 1. 45.*

cet? O quantus ex variis orbis partibus globus clientum illi clamat: (m) *O Domina mea S. MARIA, me in tuam benedictam fidem hodie & quotidie commendo.* Nunqid tamen alicui horum respondet, quid me fatigas? cur me inquietas querelis, altioribus ego intendo, supplicibus superabundo, (n) vade ad alterum Sanctorum? Cœli fores, & MARIÆ aures die nocteque omnibus patent. Dormiebant Exploratores, Rahab vigilabat: illi seipsos non videbant, ista pro iis providebat. Sic & vigilantissima fidelitas VITÆ NOSTRÆ dormitat nunquam: sed instar animalis Apocaliptici, plena oculis retro & ante & in circuitu, in similitudinem fulguris coruscantis discurrit. Meritò precatur sic Seraphicus: (o) *emitte Virgo lucem tuam & gratiam tuam, & repara denuò vitam meam & conscientiam meam.*

§. 6.

DEscribens brevibus Doctor mellifluus conditionem Justi viri, (a) *justus* inquit *est lilium candidum in se, sed proximo odoratum* Sic omninò est. Justus enim candere debet integritate conscientiæ, & proximo fragrore bonæ odore famæ. Fama autem non colligitur odorata, nisi de operum laudabilium constantia, quæ & ODOR CHRISTI, sicut odor vitæ in vitam dicitur: (b) Sicut & facinorum perversitas, dicitur fætor corrupti odoris, sive odor mortis in mortem.

(m) *Orat. in off.* B. *V.* (n) *Apoc.* 21. 25.
(o) *Bonav. in psalt. majori* B. *V.* (a) Bern. *ser.* 71. *in Cant.* (b) 2. *Cor.* 2. 15.

tem. Rahab intuere: quæ ſecundum aliquos ubi accepit famam de rubro mari Iſraelitis aperto, (c) & ſuper Pharaonem clauſo, omninò vitæ genus mutavit, & Deum Iſraelis ſuper omnes eminere credidit: quare & bonis operibus, caſta mente & carne inſiſtens, ſibi lilium candidum, aliis odoratum eſſe cæpit. Unde & exercitium harum virtutum nacta, nullo alio niſi Dei reſpectu, exploratores & caſtè ſuſcepit, & ſuſceptos vel cum capitis ſui periculo defendit. (d) *Fecit* inquit ſcriptura *aſcendere in Solarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini, quæ ibi erat.* Hoc linum, ajo fuit charitatis odoratum lilium: (e) nam nuncios, quos tanquam hoſtes patriæ ſuæ prodere potuit, reſpectu, & impulſu veri Dei mota cui ſerviebant illi, non prodidit ſed texit: & ſimul ut inquit Theodoretus, (f) *Vulnera peccatorum ſuorum multitudine bonorum contexit.* Quare non eſt audiendus Abulenſis, qui merita Rahabæ charitatem in populum Dei exercentis, docet intra bonorum naturalium præmia ſtetiſſe. Certè quæ ſe & ſua peccata contexit, merendo limites præmii naturalis exceſſit, & ſe æternorum bonorum proportioni ut docent authores accommodavit. Jam verò vita noſtra MARIA, an ſicut ſibi candens omni genere candoris fulſit lilium, ſic proximis odoratum?

(c) *Gloſſa in c. 2. Joſue.* (d) *Joſue. 2. 6.*
(e) *Magalian. in Joſue. c. 2. ann. 6. n. 4.*
(f) *Theodor. in c. 2. Ioſue. Abul. in Ioſu. 1. c. 41. Magali. in c. 2. Ioſu. an. 6. n. 7.*

ratum? Vox est Hieronymi (g) *ea debet esse conversatio & vita Pontificis, ut omnes motus & gressus atque universa opera ejus cœlestem redoleant gratiam.* Quod Hieronymus scripsit, hoc in se Pontifex JESUS Christus, MARIÆ filius expressit, & in Matrem impressit. Utriusque enim omnes motus & gressus, & universa opera non modò redolebant gratiam, sed etiam cœlestem gratiam, & nunc magis ac fragrantius redolent ac spirant. (h) Rahab nuntios lino crudo texit. Nam stipulæ lini ut benè notavit doctus P. Menochius, sunt linum nondum stuppariis malleis subactum, & ab aceribus purgatum. Quid filia Rahab? quæ non duos, sed innumeros prope ab Ira Dei ad supplicium quærente protegit? Illi, linum crudum Virgini ut Patronæ clientes offerunt, ista linum mundissimum suæ charitatis & intercessionis eis offert & reddit. Bissinum enim sunt orationes Sanctorum ait B. Joannes. (i) Retorque animum in opera quæ nos clientes Vitæ nostræ patronæ molimur; & invenies non uno modo cruda Quid enim sunt nostra jejuniorum munera, precum pensa, & cætera religionis officia, nisi crudum linum, quo non principes, sed pauperes ut scriptura loquitur, utuntur & vestiuntur? (k) Lini Semen vastat agrum, juxta illud Poëtæ

(l) *Urit enim campum Lini seges.*

Et

(g) *Hyer. in 2. Cor. c. 2.* (h) *Menoch. in c. 2. Iosu. ad v. 4.* (i) *Apocal. 19 8.*
(k) *Eccle. 40. v. 4.* (l) *Virg. Georg. lib. 1.*

Et nos perſæpe cum bona opera ſpargimus, aliunde proximos ſcandalo urimus. Et ſicut ſtipula lini naſcitur cum clava: ita nos non rarò ubi aliquid boni egimus, velut Hercules in monſtra clava potentes nos & victores inflamus. Et tamen VITA noſtra Virgo, pro crudo hujusmodi officiorum lino, nobis charitatis ſuæ remetitur candens biſſinum, tegens culpas, veſtiens nuditatem, exornans egeſtatem. Ipſa noſtras ſtolas immundas in ſanguine mundat agni, nec remittit ſuam curam, donec inter exercitum candentium & palmatorum conſtituat. Hoc eſt quod Bernardus ab ipſa, & nos cum eo ſupplicamus: (*m*) *copioſa Charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa fœcunditatem nobis conferat meritorum.*

§. 7.

RAhab exploratoribus bis dedit vitam, lino ut vidimus, filo ut dicemus. Timens enim illorum periculum, excitavit eos à ſomno, ad fugam hortatrix impulit, funem de feneſtra appendit, (*a*) ſportam in qua ſederent obtulit, & ſic, inquit ſcriptura demiſit eos per funem è feneſtra. Porrò funis iſte à tribus habet commendationem, primùm quidem à fortitudine nam de fortibus & multis filis erat tortus & conſtipatus: deinde à colore, erat enim coccineus: denique à pretio: nam ut aliqui aſſerunt, (*b*) ille

(*m*) Bern. *ſerm. ſuper miſſus.*

(*a*) *Ioſue* 2. 15. (*b*) *Megal. in c.* 2. *Ioſu.*

ille erat redimiculum capitalis ornamenti Rahab mulieris copiosæ. Poterat illa altero, stuppeo puta fune uti ad exploratorum ejectionem, sed noluit: ut ostenderet autem quanti eos æstimaret, capitis sui ornamentum usui eorum applicuit. Et verò funiculo signari charitatis benevolentiam atque amicitiam clarum est ex Ecclesiaste: (c) *melius est*, inquit ille *duos esse quàm unum, habent enim emolumentum Socitaetis suæ.* Funiculus triplex difficulter rumpitur ut enim filum solum, infirmum est, adjunctum autem aliis sumit quasi robur sese in integritate conservandi, & onera sustinendi: ita dum charitati solitariæ qua se unusquisque homo naturaliter diligit, accedit amicorum delectus ac dilectio, infirmus homo potenter convalescit, & contra fortunæ pondera roboratur. Non placet veræ ac Christianæ Philosophiæ axioma (d) stoicorum, *sapiens seipso contentus est*, sui juris, non alieni arbitrii. Verùm, cum neque omnis tellus, seipsa sit contenta, (quandoquidem non omnis fert omnia tellus,) (e) sed terra adjuvatur à terra: quomodo pulvisculus terræ verè dicere poterit, sapiens seipso contentus est: num Sapiens, uni sibi relictus, fortis in omnem fortunæ audaciam sufficit? Luna Sole, sapiens amico eget: quem qui tollit, inquit Tullius, (f) solem è medio tollit. An sapiens qui vita non vitali fruitur, beatus dici potest? at idem Cicero quærit, cui potest esse vita vitalis, qui

(c) *Ecclesf.* 4. 9. 12. (d) *Senec. epist.* 9.
(e) *Virg. Georg. l.* 2. (f) *Cic. de Amicit.*

non in amici mutua benevolentia conquieſcat. (g) Porrò VITA noſtra SS. Virgo, utpote mater pulchræ dilectionis, clientes ſuos ab iis funiculis avertit, quos unum marſupium ad luxum unum pratum floridum ad diſcinctam licentiam colligat: eos autem funiculos hoc eſt amicos ſuadet, quos Sanguis filii ſui pretiosè colorat qui capiti ſuo ornamentum addunt. Quare legimus non ſemel amicitias ſuſpectas aut improbas diſſolviſſe, & ſanctas fortiter conciliaſſe. Ita ad B. Jordanum SS. familiæ Prædicatorum deinde Generalem, (h) plurimos ut apud eum peccata & dubia ſua deponerent, transmiſit. S. Ambroſius coccinum Rahab perpendens, mulier inquit quæ fide vicerat, (i) ſigna fidei, atque vexilla Dominicæ paſſionis attollens, coccum ita in feneſtra ligavit, ut ſpecies cruoris myſtici quæ foret mundum redemptura vernaret. Coccineus ergo funiculus quem MARIA ſuis offert, eſt JESUS paſſus, illi enim canit Eccleſia, ó Vera Chriſte charitas; hic eſt ornamentum capitis virginalis, hic tinctus bis, quà Deus quà homo, ardore rubentiſſimæ dilectionis. Ut enim ipſa virtute hujus funiculi mortem evaſit, ſic & aliis, Mater eſt ſalutis. In Rahab domo, (k) feneſtra tenebat funiculum, funiculus ſportam & in ſporta ſedentes. (l) in domo autem MARIÆ MARIA feneſtra eſt cœli, ſed Salvator

(g) *Idem ibid.* (h) *In ann. F.F. Prædicat.*
(i) *Ambr. l. 5. c. 5. de fide.* (k) *Joſu. 2.*
(l) *Magal. in c. 2. Joſu.*

tor passus, & fenestram, & qui per fenestram transeunt potentissimè sustentat: hoc agnovit, qui dixit: (*m*) o caput gloriosum & benedictum. tu dolores meos portas, & pro me doles. Bonfilus Florentinus cum longo tempore Matri Virgini servivisset fideliter, (*n*) inspirante mentem Virgine, erexit unam Sodalitatem, quæ stipem pro pauperibus colligeret, & in memoriam Dolorosæ Matris, sed inprimis Filii ejus Patientis pullam vestem eidem & sibi adscivit. Vides ut istum VITA nostra de se velut de fenestra pendentem, Filio suo dolenti, velut coccineo vinculo alligavit? Unde & factum est, ut Bonfilus jam ad terram, pauperum curam habendo, se deprimeret feliciter, jam ad supera perfectioris, elevaret se sublimiter. Rectè olim Xenophon, (*o*) *non aureum sceptrum est, quod principibus regnum conservat, sed amici fideles regibus verissima, tutissimaque sunt sceptra.* Nobis verò funiculus coccineus MARIÆ, & amicus & sceptrum fidissimum est atque pulcherrimum. (*p*) Rumpetur aliquando funiculus Vitæ ut Salomon ait argenteus, dissolvetur Vita aurea, sed & adamantina secularis amicitiæ vincula lique-scent, at funiculus MARIÆ. in vita erit ornamentum, in morte præsidium, post fata sceptrum & diadema.

S 2 § 8. Res

(*m*) *Bern. ser. 1. in capite jejunii.* (*n*) *Hist. servorum B. MARIÆ.* (*o*) *Xenoph. in Cyrop. l. 8.* (*p*) *Eccles. 12. 6.*

§. 8.

RES animadversione digna in libro Josue dicitur, (a) quod Rahab exploratores dimisit per funem: Frater autem Domini ait, (b) Rahab ex operibus justificata est, suscipiens nuntios & alia via ejiciens. Ubi duo observa, primum, Rahab alia via nuntios suscepisse, scilicet per portam civitatis, & per fores domus suæ: & alia Via eas dimisisse, scilicet non per portas, sed per fenestram domus suæ, quibus verbis ut ait glossa, notatur ingeniosa fidelitas (c) Rahab erga exploratores. Alterum est, quia non dicit S. Jacobus eam nuntios emisisse, sed ejecisse, quod primo tinnitu videtur violatæ hospitalitatis sonare horrorem. Sed non est ista. (d) Discipuli in illi in Emaus euntes, & Emaus proximi, dicuntur coegisse Dominum, ut cum illis hospitio sociaretur. An hæc violentia, rupit funiculum amicitiæ? *peregrini* inquit Gregorius (e) *ad hospitium non solum invitandi sed etiam trahendi sunt.* Sic & Rahab, dum cunctantur, dum hærent Saluti suæ prospicere hospites, ipsa timens Auroram illi nocituram, eos ejecit, hoc est dulci violentia à se expedit, apud quam jam non latuissent securi. *Amicus fidelis, medicamentum vitæ & immortalitatis* inquit Ecclesiasticus (f) Medicamentum autem corruptos humo-

(a) *Iosu.* 2. 15. (b) *Iacob.* 2. 25.
(c) *Glossa in c.* 2. *Iosu.* (d) *Luc.* 24. 28.
(e) *Greg. homil. in Evang.* 23. (f) *Eccles.* 6. 14.

humores aut consumit, aut ejicit. Sic & Rahab, timorem & cunctationem suorum consumpsit, dum eos ejecit. Hæc Rahab nuntiis: nonne verò illustriora facit MARIA suis servulis? Quosdam enim placidè dimittit de Jericho, quosdam vi magna ejicit. (g) S. Augustinus ad illa verba, inquire pacem & persequere eam, quærit: quæ est ista pax, nisi quam non habet Jericho, sive mundus? quæ est ista pax, nisi quam non habet ista vita, quæ in beatæ vitæ comparatione nec vita est? Jericho ergo mundus, & in hoc mundo fugax vita. Quanti fuêre ante nos, & sunt, & erunt qui planè sicut Caleb & Phinees, ad Rahab, (h) sic ipsi advesperascente vitæ mortalis die confugiunt ad ipsam clamantes, MARIA, suscipe nos, Vita, Salva nos. At Virgo nunquid etiam istis invocata non profuit? Vitam à Vita retulére.

§. 9.

PArum fuisset Nuntios dimisisse in pace Rahab, (a) nisi illa seipsam ipsis in consilio prudentissimo inclusam, dedisset. *In montana*, inquit *conscendite ibique tribus diebus latitate, ne forte occurrant vobis revertentes.* Quid vita nostra Virgo? Infiniti sunt qui de Jericho, de mundi amore evocati ejus ope in montana festinavére. *Montana* inquit (b) Glossa, *sunt charismata meliora*

(g) *Psal.* 33. *Aug, in lib.* 50. *homil* 1.
(h) *Rabbi Salomon. in c.* 2. *Iosue.* (a) *Iosu.* 2. 16. (b) *Glossa in c.* 2. *Iosu.*

liora, conſilia perfectiora. Reſpice nunc Elzearium cum ſua Delphina, Henricum cum Cunegunde, in publico conjuges, in occulto Virgines, ecce conſiliis MARIÆ in montanis altisſimis. Sunt multi, qui ejus admonitu, ſuſcepta prole, à conjugio feriati ſunt: ecce alia montana MARIÆ. Sunt tertii qui dato vale mundo, ad Chriſti pauperis vexillum evolavêre, ecce tertia montana MARIÆ. Quis cætera enumeret? in quibus, tribus diebus Servuli latuêre MARIÆ, (c) ſcilicet ut unus, ait, die lætæ, die triſtis fortunæ, & die mortis. Rahab ſonat Latitudinem & meritò: nam illa inquit Origenes (d) unius oppidi excutiens anguſtias, venit in medium Iſraelis. S. autem (e) Auguſtinus eandem Rahab vocavit Stabulariam. Utrumque nomen NATÆ VITÆ noſtræ convenit: latitudo eſt, nam in ejus nativitate univerſus mundus exultat: (f) STABULARIA eſt, ne inter oves nata S. Tabulo mundi præeſt, & hædos mutat in oves, & oves de valle in montana transfert. Iſta die quâ Salvata eſt Rahab, (g) Jubilæi tubæ perſonuerunt: buccinate & vos, ô Gentes in neomenia tuba, in Jubilæi buccina, quia nata Virgo, VITA eſt veſtra.

ARTI-

(c) *Anon. in pſal.* 33. (d) *Orig. in c.* 2. *Ioſu.* (e) *Aug. in Ioan.* (f) *Damaſc. lib.* 4. *c.* 15. *de fide orth.* (g) *Ioſue* 6. 8.

ARTICULUS III.

VITA IN ANNUNTIATIONE.

§. 1.

CORpus humanum vitale, dici tabernaculum ex pluribus Scripturæ locis constat: Princeps Apostolorum de se vivo: *instat* inquit, (a) *velox depositio tabernaculi mei*: Coapostolus ejus Paulus: (b) *nos qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus aggravati.* Sed & vita nostra mortalis, tabernaculi nomine insignitur. (c) Ezechias videns se pelli de statione vitæ, & portas inferi sibi venturo hospiti aperiri & stridere: *dixi*, ait, *generatio mea ablata est à me, & convoluta est quasi tabernaculum pastorum*: (d) Ubi generatio, ut advertunt interpretes, nuncupatur vita præsens, eò quod in singula pœnè momenta, Vita nostra continuata, transeat à non esse ad esse, & quasi renascatur. Porrò vita dicitur tabernaculum, quia corpus quod vitam recipit ac tenet, formam tabernaculi, (e) ut Doctores nostri & Hebræi advertenrunt, imitetur. Ossa enim quibus homo compingitur sunt velut fulcra tabernaculi: nervi

(a) 2. *Petr.* 1. 14. (b) 2. *Cor.* 5. (c) *Ezechias apud Isai* 38. 12. (d) *Corn. à Lap. Sanch. Menoch. ibi.* (e) *Hieron. epist. ad Fabiolam. R. Hacados.*

quibus vincitur sunt veluti funiculi tabernaculum extendentes: pedes quibus inhæres, sunt clavi tabernaculum; pellis pellem refert tabernaculi. Atque huic insistens allegoriæ, meritò potest super omnem defunctũ sumere quis planctum illum Jeremiæ: (*f*) *tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt. Non est qui extendat ultra tentorium meum, & erigat pelles meas.* Ad quæ verba Hieronymus: (*g*) *non est qui me restauret.* Rursus eadem Vita comparatur tabernaculo pastorum: quoniam tabernaculi primus inventor, fuit Pastor, de quo Moyses, (*h*) *Ada genuit Abel, qui fuit Pater habitantium in tentoriis atque pastorum.* Nomine autem, Patris, Hebræi persæpè, artis inventorem aut excellentem Magistrum exprimere consueverunt: (*i*) eò quod sicut Pater naturalis fœtum, sic inventor edat artem: ille de corporis, iste de animi lumbis. Et sicut Pastores, (*k*) vagas suas & viatorias domus mutant cum herba, pecori suo grata & utili: sic vita hominum nequit uno consistere loco, & uni durationi ac stationi immorari: transit enim de infantia in pueritiam, de hac in adolescentiam, & robustiorem ætatem, velut de prato in pratum. Excitans Seneca ad philosophiam veram, suum Lucillum, (*l*) *vis* inquit, *adversus hoc corpus liber esse? tanquam migraturus habita: pro-pone*

(*f*) Jerem. 10. 20. (*g*) Hieron. l. 2. in c. 10. Jerem. (*h*) Genes. 4. 20. (*i*) Corn. à Lap. Menoch. ibi. Tirin. (*k*) Horat. l. carm. 3. ode. 3. (*l*) Senec. epist. 2.

pone tibi, quandoque hoc contubernio tibi carendum, & fortis erit ad necessitatem exeundi. Certè sive pastores, sive milites, qui tabernaculis utuntur, oportet ut & multa & sæpe patiantur, jam defectu commodorum quæ domus fixa præbet, jam affluxu adversitatum, quam cœlum & terra in eos congregat: ita in vita mortali oportet pectus præpares & munias aheneo patientiæ thorace: venisti enim ad patiendum, non ad ludendum? (*m* *Non est*, inclamat idem Seneca *ridendi in terris locus, ad miseros advocatus es.* Planè instar Tamerlanis seu Temuris claudi, Magni Cham Tartarorum, (*n*) agit nobiscum rerum natura & fortuna. Ille prima die qua urbem obsidione cingebat, vexilla & tabernacula alba explicabat: altera, sanguinea: tertia nigra: Et primo quidem explicatu tabernaculorum candidorum, pacis gratiam obsessis offerebat: secundo bellum Sanguineum, minabatur: ultimo internecionem indicabat. Nec aliter vita humana, nunc prospero & albo utitur tabernaculo, nunc adverso & Sanguineo territatur: denique præter expectationem se nigro involutam tabernaculo, mortis videt & plorat. Venit annus pacis, succedit belli, sequitur & lethi. Imò aliquando una dies tria spectat uni fixa difformia tabernacula. (*o*) Aman Macedo, mane invitatur ad prandium. in prandio velut per-

(*m*) *Senec. epist.* 52. (*n*) *Ioan. Leunclavius in histor. Musulmana liber.* 7. (*o*) *Hester.* 7. 16, 10.

duellis in reginam accusatur: & denique ante occasum in alieno patibulo, suo tamen in palatio suspenditur: videsnè isti una die, album rubrum, nigrum, tensum fuisse tentorium? album infelicitate prandii regalis: rubrum in comminatione mortis: nigrum, in infami ligno.

§. 2.

QUicunque Reginæ cœli Salve VITA canit, iste quoque eidem. Salve vitale Dei cum hominibus Tabernaculum concinit. Vita enim & Tabernaculum vitale convertuntur. Olim dictum est à Deo Moysi, (a) *erige tabernaculum, juxta exemplar quod tibi in monte monstratum est*, quod erat veteris legis velut fundamentum, & simul perfectio. (b) In nova autem lege iterum erectum est Tabernaculum, duratione immortale, Sanctitate inimitabile, perfectione absolutissimum. hoc autem est Christus Dominus quà homo. (c) Et sicut Moysaicum, erectum est tabernaculum, secundum tabernaculum in monte divinitus demonstratum: ita Tabernaculum Christi in novo Testamento suscitatum est juxta tabernaculum Virginis Matris: imò verò etiam Tabernaculum de tabernaculo acceptum compactumque est: quia Christus D. (d) carnem non aliunde, quam ex carne Virginis traxit Matris, juxta Ven. Bedam. Jam verò Christum D. dici tabernaculum, patet ex

(a) *Exod. 26. 30.* (b) *Liran. in Hebr. c. 9.* (c) *Hieron. epist. ad Fabiol.* (d) *Ven. Beda lib. 4 cap. 49. in Luc.*

ex Apostolo: ad Hebræos scribente: ubi dicitur: (e) *Christus Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum & introiisse in Sancta, æterna redemptione inventa.* Audi item Cyrillum Alexandrinum: (f) *dicimus tabernaculum illud, quod à Moyse erigebatur, Sanctissimum Christi corpus, in quo plenitudo divinitatis corporaliter inhabitavit.* Et pergit. *Tendebatur autem Tabernaculum, omniaque continebat, ut unum omnia, non multa esse viderentur: Unus enim in nobis, quamvis multifariam intelligatur, Christus est. Tabernaculum quidem propter carnis tegumentum, Arca autem legem Dei habens reconditam ut Dei Patris verbum: mensa ut cibus & vita: candelabrum ut lux spiritalis: altare Incensi, ut odor suavitatis, in Sanctificatione: altare holocausti, ut hostia pro totius mundi vita ad crucem acta.* Hactenus Alexandrinus. Hoc verò tabernaculum cecidit & dirutum est in morte ait S. Hieronymus, (g) suscitatum in resurrectione: glorificatum in ascensione, manifestabitur in judicii magni die. Ne dubites hoc tabernaculum VITÆ esse, imò vitam esse, tenetur disertum Dei verbum, caro mea est pro mundi Vita. Cæterùm, hoc Sacrosanctum & VITÆ tabernaculum, unde sumptum factumque est? De Virgine, VITA, de VITA. Oro, quid agit, quid intendit Archangelus à Deo missus? quid molitur, Salutatio-

 nem

(e) *Hebr. 9. 11.* (f) *Cyril. Alexan. lib. 4. in Joan. c. 28.* (g) *Hier. in c. 9. Amos. Euthim. ibid. S. Thom. in c. 1. Ephes. Joan. 6. 52.*

nem promendo, legationem proponendo, ſuaſionem admovendo, fidem aſſertis rebus conciliando, niſi diſponit & habilitat Tabernaculum vitæ, ut de ipſa ſumatur, & in ipſa item expandatur Tabernaculum amplius & perfectius, (h) ſimiliter vitæ? Ubi vulgata offert: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*: græcus textus originalis habet, *verbum, tabernaculum fixit in nobis*. At, hoc tabernaculum carnis quod fixit in nobis, tunc quando Virgo, VITA noſtra, in verba Archangeli conſenſit, fecit de Virgine, quæ fuit de nobis, quæ facta eſt vita nobis. Porrò hoc tabernaculum triplici ratione ſumptum eſt de Virgine: quà paſtoritium, quà militare, quà Sacerdotale. In paſtoritio, paſtor oves paſcit, (i) & ponit animam pro iis: de militare, Auguſtinus: (k) *Verbum in carnis tabernaculo velut imperator militavit pro nobis, in ipſo ſuo tabernaculo tentatus eſt, ne miles deficeret*. De Sacerdotali autem fatur Dionoſius Alexandrinus: (l) qui in epiſtola contra Paulum Samoſatenum, cum B. Matrem vocâſſet vitæ Matrem, & tabernaculum non manu factum nec hujus creationis, Subdit, *in quod ſemel in conſummatione ſeculi, Solus DEUS & ſummus Pontifex introivit: occultè in ſe rem faciens divinam*. Ubi adverte, vocari S. Matrem tabernaculum tabernaculi, ſive Pontificis Dei, non hujus creationis,

(h) *Joan. 1. 14. Græcus textus.* (i) *Joan. 10. 11.* (k) *Aug. in pſal. 90.* (l) *Dion. Alex. epiſt. cont. Paulum Samoſat.*

nis, non manu factum. Ut ostendatur dignius tabernaculo Aaronico quod manus fecit hominis, scilicet Beseleel, & Ooliab tabernaculum autem MARIÆ sicut Sanctificavit ita fecit altissimus: (m) & aliud tabernaculum Vitæ quod de ea sumptum est, non operatio seu creatio humana architectata sed Deus: ita ut quemadmodum explicat Strabus, (n) Ooliab æternum Patrem, (nam nomen ejus sonat tabernaculum Patris) & Beseleel Spiritum S. (nam nomen ejus exprimit in umbra Dei) olim præsentârit.

§. 3.

EX his colligere licet, quantùm hoc tabernaculum Christi, de Virgine Annuntiata sumptum præstet Tabernaculo testamenti veteris: in illo enim Deus non agebat pastorem, pascens oves corpore suo, (a) in hoc verò agit: in illo non militabat pro nobis, (b) bella & vulnera pro militibus suscipiens, in hoc autem sensit pro nobis, flagella crucem, clavos, inquit Augustinus: (c) denique in illo non egit ipse partes summi Sacerdotis, rem divinam faciens pro populo, sicut in hoc egit, & quidem adeò efficaciter, ut non solum oblatâ ab eo hostiâ, (d) sed etiam, voluntate prima offerendi victimam, sanctificati simus omnes. (e) Rursus tabernaculum illud legis scriptæ Angelus concepit, Angelus

(m) *Psal.* 45. 4. (n) *Strabus ad c.* 32. *Exod.*
(a) *Joan.* 6. 54. (b) *Aug. in psal.* 90.
(c) *Dion. ubi supr.* (d) *Hebr.* 10. 10.
(e) *Corn. à Lap. in Exod.* 26.

gelus Moysi monstravit, Beseleel autem & Ooliab manus elaboraverunt, sive creaverunt: tabernaculum autem Christi, Deus invenit, Deus extendit. Dixit enim Annunciator, (*f*) Virgini Angelus, Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ut ex te nascatur SANCTUM. Qummodo verò virtus altissimi obumbravit Virgini? respondet Hilarius, (*g*) *virtus altissimi Virginem obumbrat, infirmitatem ejus velut per circumfusam umbram confirmans.* Alii autem in eo ajunt Virginem DEI virtute obumbratam: (*h*) quia quod naturali efficaciæ erat impossibile, divina virtute factum est superveniente possibile: non solum ut Virgo fætum, sed etiam ut creatura creatorem, umbraculo, opertorio, sive tabernaculo carnis circumdaret & vestiret. Ut enim homo docta phrasi hebræa dicitur umbra Dei, quia factura ejus, (*i*) ejus similitudinem exprimens: Sic Virgo umbraculum carnis quale ipsa circumferebat, Deo ut filio suo injecit. Illa verba Ecclesiastici perpendens (*k*) Honorius, *qui creavit me requievit in tabernaculo meo*, secutus Spiritum Ecclesiæ, Virgini SS. adaptat, & ait: *Virgo est Dei tabernaculum, in quo veniens ille requievit, & de quo velut sponsus de thalamo processit.* Ubi duo contraria observa, nempe & quietem & motum, Deum in Virgine invenisse: quietem quidem, quia

(*f*) *Luc. 1. 35.* (*g*) *Hilar. l. 2. de Trinit.*
(*h*) *Vide Pintum. l. 3. tit. 1. loc. 2.* (*i*) *Lyran. in Gen. c. 2.* (*k*) *Eccle. 24. 12. Honor. in Cant. 2.*

quia in ejus utero velut in florido lectulo, incarnatus 9 mensibus requievit: motum autem, quia inde velut sponsus, non solum apparuit & refulsit, sed processit sive peregrinari cæpit. Sicut autem sponsi non procedunt de thalamo nisi congruè ornati, sic Verbum æternum, de tabernaculo Virginis, cum tabernaculo mundissimæ assumptæ carnis, & vitæ communis ac mortalis processit. Hinc verò quanta utilitas & dignitas humano generi accessit? Sicut enim sponsus non dicitur nisi assumpserit sibi sponsam: quam verò assumit, assumit liberorum, (l) sive vitæ communicandæ aliis, à se autem suavius ducendæ causa: ita Deus cum de thalamo sive tabernaculo Matris ut sponsus egreditur: duo significat maxima à se intenta: primum quia sponsam sibi de hominibus assumpsit, deinde quia vitæ & non mortis causa. Habitavit quidem DEUS in veteri tabernaculo consertus hominibus, juxta illud: (m) *facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum*: Ubi Tabernaculum fœderis vocat sanctuarium, sed non thalamum: at verò tabernaculum quod idem benignissimus Deus de Virgine Annunciata suscepit, sic est sanctuarium, sit ut etiam simul Sponsi thalamus & receptaculum: sicut & caro Matris ejus, non solum tabernaculi & sanctuarii, sed etiam thalami nuptialis vices obivit (n) Non ergo mirum, si olim Moyses, aspero & horrendo

(l) *Joan.* 3. 29. *Aug. ibi.* (m) *Exod.* 25. 8.
(n) *Greg. hom. in Evang.* 39. *Deut.* 4. 7. *Coloss.* 3. 4. *Joan.* 14. 6.

do verbo terruerit & concusserit synagogam, dicens, *Deus noster ignis consumens*: at verò idem inclusus carneo de Virgine sumpto tabernaculo, vocetur ab Apostolo vita, imò verò ita, & à tota cantetur Ecclesia, mors & vita duello conflixêre mirando. (o) Quid enim à sponso expectes, nisi quod ille sponsam sibi copulans intendit? intendit autem vitam, & sibi & liberis novam futuris. Adora proinde tabernaculum carnis Christi, & dic supplex, salve vita, dulcis vita: Sed & matris ejus tabernaculum, cole quam potes submisissimé, illudque Saluta, Salve Vita MARIA, de qua procesfit tabernaculum novæ & æternæ vitæ, imò nova & æterna vita.

§. 4.

NOn difficile hinc deduci potest B. Matrem, ter tabernaculum vitæ, sive vivens tabernaculum habendum esse: semel sibi, semel Deo, & denique generi nostro. Et verò vidimus qualiter vitæ tabernaculum illa extiterit DEO: inde verò evidenter sequi videtur, sibi quoque semper vivens & vitæ tabernaculum extitisse, utpote in qua mors nullius peccati unquam substiterit. (a) Pulchrè in hymno græcorum, canitur *Mortalitas inferni.* Cur ita? quia ipsa morsum fixit, mortem intulit inferno. Omnino germana & simillima JESU suo Mater: qui de se: (b) *ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.*

(o) *In prosa Pasch.* (a) *Hymn. Græc. apud. Buteon. p. 123.* (b) *Osea 13. v. 14. præfat. in pasch.*

inferne. Quod tunc impletum eſt, quando ut canit Eccleſia, mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit. Noſtro autem generi an non vitæ & vitale Tabernaculum extitit, quæ illud erexit? Gregorius Nicomedienſis (*c*) conſiderans oblatam in templo Virginem, *ipſa* inquit *eſt Tabernaculum Domini, quod noſtrum erexit, quod ceciderat.* Ceciderat autem noſtrum tabernaculum in Adam & Eva, quæ de vitæ tabernaculo tranſierat in tabernaculum mortis: erexit autem in filio, ei in negotio reparationis noſtræ Cooperatrix. Apud Iſaiam invitatur quædam ad molitionem novi, & novorum tabernaculorum creationem. *Lauda* inquit, (*d*) *ſterilis quæ non paris, decanta laudem & hinni, quæ non parturiebas, quoniam multi filii deſertæ magis, quam ejus quæ habet virum dicit Dominus.* Et pergit. *Dilata locum tabernaculi tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende: ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clavos tuos conſolida, ad dexteram enim & ſiniſtram penetrabis.* Quænam verò iſta eſt ſterilis prius, poſterius fæcunda? ante deſerta, deinde filiorum turba coronata? olim unius tabernaculi, poſt multorum tabernaculorum Domina & mater familias? Maximus in ſcripturis Sanctis Magiſter, (*e*) Eccleſiam de gentibus congregatam, & cum eo paſſim expoſitores intelligunt. Et meritò. Quia & Apoſtolus ad Galatas de gentibus

(*c*) *Greg. Nicom. orat. de oblat.* B. *V.* (*d*) *Iſai.* 54. *v.* 1. 2. (*e*) *Hier. l.* 15. *in Iſai. Sanch. Corn. Tir. Menoch. ibi.*

tibus conversis scribens, adducto hoc ipso Isaiæ loco, subjungit, (*f*) *nos autem fratres secundum Isaac repromissionis filii sumus.* Nam, inquit ibi Hieronymus, Ecclesia de gentibus virum non habuerat Deum, deserta à lege & prophetis: (*g*) quæ deinde in turmas excrevit fidelium populorum. Nec vetat aliquid hunc ipsum locum de VITA nostra Virgine Matre interpretari: quæ est prima, principalis, & Maxima pars Ecclesiæ. Et ipsa enim sterilis & non sterilis, deserta & non deserta: sterilis enim de natura, fæcunda de gratia: deserta & invia Viro, populosa autem & habitata de S. Spiritu. Cum enim de eo concepit Salvatorem, (*h*) cum eo omnem cæpit & excepit Salvandorum gregem, ait unus. Quam verò ob causam dicitur artis scenofactoriæ sive tabernaculorum Magistra? Quia phrasi scripturæ matres dicuntur jam tabernacula, jam tabernaculorum Ministræ: (*i*) tabernacula quidem: quia utero filios & filias continent & defendunt: tabernaculorum autem administræ, quia eisdem corpus organizatum tribuunt. Cur verò isti Desertæ dicitur, dilata locum tabernaculi, & rursus pelles tabernaculorum tuorum extende? quia VITA nostra Virgo, inquit S. Augustinus; (*k*) sic facta est Mater Christi, ut simul erecta sit in Matrem Christianorum. Et unum ergo virgo tabernaculum habet, & multa: unum

(*f*) *Galat.* 4. 28. (*g*) *Hier. ubi supra.*
(*h*) *Glossa in* 54. *Isai.* (*i*) *Liran. ibi.*
(*k*) *Aug. lib. des Virginit. c.* 6.

unum in Christo, multa in grege Christi. Audi, nunc quomodo id ipsa ore Ecclesiastici asserat: (l) *qui creavit*, inquit *me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi, in Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.* (m) Creator in tabernaculo MARIÆ requievit inquit Honorius, cum suscepta carne ibi lavit, & deinde velut sponsus inde processit. Cum autem dicit, in electis meis mitte radices, equivalet alteri metaphoræ tabernaculorum, quasi diceret, clavos consolida pelles extende, alias, multitudine filiorum electorum gaude. Nomine enim radicis phrasi sacra filii non rarò intelliguntur, (n) ut doctissimi adverterunt Theologi & expositores. ut cum dicitur, (o) *vicit leo de tribu Juda radix David*, sonat, (p) stirps & surculus David, nam in alio capite (q) dicitur expresse: (r) ego sum genus David: *Egredietur virga de radice JESSE*, hoc est de surculo JESSE, qui fuit David. (s) Et, *germinabit sicut lilium, & erumpet radix ejus*: (t) radix autem foras non erumpit, sed manet involuta terra, radix ergo erumpet, hoc est surculus, sive Virga & stirps de radice. (u) Fortasse autem ideo filii dicuntur radices, quia veluti vastam arborem sustentant radices diffusæ: ita domos

(l) *Eccle.* 24. 12. (m) *Honor. Aug. in Cant.* (n) *Riber. in c.* 5. (o) *Apoc.* 5. 5. (p) *Menoch. ibid.* (q) *Apoc.* 5. 5. (r) *Apoc.* 22. 16. *Isai.* 11. (t) *Osea.* 14. (u) *Sanchez. ibi.*

domos firmat, & familias æternitati transmittit, successio filiorum. Cui ergo dicitur, in electis meis mitte radices, ei gratia data significatur, ut mater electorum corona filiorum lætetur.

§. 5.

URit hoc desiderium omnes, ut sub candido Pacis tabernaculo vitam ducamus; & non tendatur nobis ut olim Tamerlanis (a) Orientalibus populis, aut sanguinea belli, aut atra mortis tentoria. At hoc nequit modò haberi. Vidit unus panem de alto ruere, & sternere ac proruere tabernaculum Regis Madian: (b) & alter infert: quid facient gladii & lapides, si hæc audent panes? Romanus Consul aut prætor (c) in templo Jani mense Septembri figebat clavum, ut sic tabernaculum & fortuna populi Romani firmata æternitet: at ubi nunc utrumque? Dii simulacrum Fortunæ (d) de palatio antecessoris, in palatium Imperatoris successoris transferebatur solemni ceremonia, nunc autem & procul Romanos fortuna reliquit. Fixit DEUS Judæis in Abraham, Isaac, & Jacob felix tabernaculum, at deinde inquit Nazianzenus refixit (e) de ipsis autem unam calamitatis columnam toto orbe fecit Erat tempus, quando ut alter loquitur Gregorius, (f) DEUS latens in pectore Pauli velut sub tentorio ibat, & obibat mundum

(a) *Vide* §. 1. (b) *Judic.* 7. 19. *Glossa ibi.*
(c) *Rosinus. de antiquit. Rom. in anno Roman.*
(d) *Suet. in Galba. c.* 18. (e) *Nazian. de pas*
(f) Greg. *M. in moralibus.*

dum, ſed & aliud ſupervenit tempus, quo idem preſſus exclamavit, infelix ego homo, quis me liberabit de tentoria mortis, ut legunt alii? (g) Alibi quærenda tabernacula non interruptæ pacis, nunc cum *Davide* ſuſpirandum, (h) *quam dilecta tabernacula tua Domine Virtutum.* Ubi ſunt iſta tabernacula quærit Auguſtinus, (i) & reſpondet, ibi ubi nulla preſſura. In mundo autem preſſuram habebitis Apoſtolis dictum, (k) & Apoſtolicis, infero, nepotibus relictum. Sedebit populus meus, promittit DEUS (non ſedet hodie) in pulchritudine pacis, (l) & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Ut autem ſedeat, clamet nunc MARIÆ, mutans nomen Evæ, funda nos in pace. Tu vita, fac nos vitas: tu fundata nos funda: tu pacis plena, fac nos pacis capaces, & hæredes.

§. 6.

UT autem tabernacula ſub MARIÆ cura poſita, ſint pacis ac vitæ æternæ capacia, vide quid debeant ab ipsâ expectare. (a) Jubetur enim ea dilatare extendendo, pelles producere, funiculos prolongare, clavos conſolidare. Quid eſt autem dilatare tabernacula, (b) niſi facere ut ea in latitudine dilectionis, & non in anguſtiis timoris, quemadmodum explicuit Bellarminus procedant. S. autem Ambroſius, (c) ad

(g) *Rom.* 7. 24. (h) *Pſal.* 83. 1.
(i) *Aug. in pſ.* 83. (k) *Joan.* 16. 33.
(l) *Iſai* 32. 18. (a) *Iſai.* 58. 2. (b) *Bellar. in pſ.* 118. (c) *Ambr. in pſ.* 118. *ad V.* 5.

ad illa Pſalmi verba, ambulabam in latitudine, qui inquit ſecundum mandata anguſtam & arctam graditur viam, ambulat in latitudine. Ænigmati ſimile: tunc dilatari cum arctaris, tum ampliari cum anguſtaris? At quomodo Sapiens, ſubdit idem Ambroſius, (*d*) in cordis ſui ambulat innocentia. Illi ergo ſub Virginis cura ac tutela viventes dilatantur, qui cordis innocentiam, ipſa urgente ſectantur. Andream Corſinum ſterilibus parentibus (*e*) Virgo impetrârat, quem cum mater utero ferret, vidit lupum ſuo ventre concluſum, qui deinde in templo verſus eſſet in ovem. Eventus probavit ſomnii veritatem. Nam Andreas Juvenis vlulavit cum lupis, Virginis tamen monitu, ovem induit, cum cucullum recepit. Huic primam Deo litanti hoſtiam apparens Virgo, Andrea inquit, deinceps mihi ſervies, & ſervivit in cordis latitudine, in arcto innocentiæ, & dignus factus eſt, qui per ſublimem latamque ſcalam tenderet, & tendere videretur, in anguſtam cœli portam. (*f*) Longos fac funiculos tuos. Et facit Virgo tabernaculorum ſuorum longos funiculos. Refert Roſueidus, Viſum eſſe de cujusdam Eremitæ ore longum & igneum, continuumque in cœlum aſcendere funiculum, cum ille preces Deo funderet. Hancquoque orandi virtutem ſuis clientibus conciliat Virgo:

(*d*) *Ambr. ubi ſupra.* (*e*) *Surius. 6. Januarii in Vita Andr. Corſin.* (*f*) *Iſai. 54 2. Roſueid. in Vitis PP.*

Virgo: jungit illa labia labiis, preces precibus, & currit ignis catena in cœlum, & impletur monitum Magni Theologi: (g) Deo tanquam certissimo funi omnes inhæreant. *Sicut vita coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce*. Hoc est oratio intercedentis MARIÆ est instar regalis cocci, quæ etiam facit, ut labia sua altera, scilicet clientum, rubeant quoque cœlesti cocco, & ligent invictum. Sæpè nobis labia orationum, livent à vitiis, pallent à timoribus, ubi tamen tu VITA nostra, MARIA, vitam eloquii tui resolvisti, eâque aures filii occupasti, bullit & fervet sanguis ejus, & in nostra labia cadens, tingit ea & suo purpurisso colorat, facitque vittas, se vincientes, cœlum oblectantes. Pelles tabernaculorum extende. (h) Pellis nostra caro nostra, quæ quando jejuniis, & macerationibus in se contrahitur, æternitati dilatatur. (i) Virgo autem suis, spiritum mortificandæ vitæ carnalis ac sensualis inspirat, & suo exemplo inhalat. Quid inquiens, filiæ Jerusalem, pellibus vestris parcitis, (k) me respicite, nigra sum, usta æstu & gelu: formosa, decorata gloriosa carne: Nunc caro mea, pellis mea, ut pellis Salomonis cœlestis fulget, prius tamen, eadem caro, ut tentoria cedaritarum, pluvias & ventos, nives & soles urentes passa est. In hoc corpore, in quo Deum portavi, ego sudavi & alsi, ego flevi, & esurivi, sit.vi

(g) *Greg Nazianz. orat. de seipso.* *Cant.* 4. v. 3.
(h) *Thren.* 5. *sive in orat. Hierem.* v. 10. (i) *Cant.* 1. 5. (k) *Salasar, in Cant. ad c.* 1.

ſitivi & vigilias pertuli, audete poſt me vitam veſtram, vitæ æternæ ſcripta tabernacula. Clavos conſolida. Sic Virgo cum ſuis tabernaculis, ſive vitæ filiis, quomodo Jahel proceſſit cum Siſara De illa autem ſic cantat Debora: (*l*) *benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cynæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo. Aquam petenti lac dedit, & in phiala principium obtulit butyrum: ſiniſtram manuum miſit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.* (*m*) Hortatur Rupertus Chriſtianum, ut contra Diabolum, ſuum Siſaram, induat Jahelem: cujus Siſaræ, caput eſt ſuggeſtio peccati, & quærit cur Jahel in capite quæſivit vulneri locum? reſpondet autem breviter & ſapienter, quia *prima ſuggeſtio peccati, clavo Dominicæ crucis, cum timoris Domini malleo configenda eſt.* Nobiliſſimè & veriſſimè. Quid ſi verò, anima non caput tantum ſed totum etiam infernalem Siſaram incipiat potare? (*n*) Quid ſi hæc hirundo (Siſara enim hirundinem reſonat) incipiat in cordis tecto, & luteum nidum ſuſpendere, & pullos inveteratæ conſuetudinis excludere? (*o*) Tum Virgo ut Jahel ſuo clienti adeſt: accipit clavum timoris, & figit eum in capite & cerebro peccatoris. Tu inquit judicem non times? ſic fregit multos. Quod ſi clavus iſte non proficit, accipit ſecundum, nempe

(*l*) *Judic.* 5. *v.* 24. 25. 26. (*m*) *Rupert. l.* 1. *c.* 7. *in Judic.* (*n*) *Hier. in nomin. Hebr.*
(*o*) *Ambr. in pſ.* 118. *ad ver.* 120.

nempe horrorem inferni, qualem expandit non uni. Alius autem, clavum crucis, figit in intimo cordis, ut de die in diem virtutum proficientes in lucta, certent usque ad sanguinem: & illud Augustini repetit (*p*) *totus Vobis figatur in corde, qui totus pro Vobis fixus est in cruce.* Hujusmodi autem clavo, reliquiæ quæ restabant Sisaræ, conteruntur; fitque iste dulcis clavus hærens in corde, fixus in capite, clavis reserans ut ait Bernardus. (*q*) Quid autem reserans? occulta mysteriorum, viscera charitatis, secreta sanctæ mortis, cœli limina, sublimiora præmia.

§. 7.

HOrtaturRex Propheta suos:(*a*) *Deus Dominus & illuxit nobis, constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.* Quomodo verò illuxit? (*b*) ut triumphator sedens super pullum asinæ in dominica palmarum. Sic ferè exponunt Christiani. At si tentoria, sive condensa, ex frondibus arborum facienda sunt in templo & in urbe, quia Dominus illuxit, quas lætitiæ significationes, dabit quas arbores, & hortos coget plebs Christiana, quale festum tabernaculorum eriget Deo suo, qui ita Virginem obumbravit condensis gratiæ, (*c*) ut se ipsum quoque obumbraret assumptæ tabernabulo carnis,

(*p*) *Aug. de passione Domini l. de S. Virginit. tom.* 6. (*q*) *Bernar. serm.* 61. *in Cant.*

(*a*) *Psal.* 117. 25. 26. (*b*) Bellar. *ibi. Genebrar. ibi. Val. Lor.* (*c*) *Tolet. in c.* 1. *Luc. annot.* 100.

& figeret tabernaculum in nobis? Exiit vox magna de throno dicens, (d) *ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Quid autem aget in isto tabernaculo? *Absterget Deus omnem lacrymam.* Advertunt authores, (e) vocem magnam de throno exeuntem: significare magnum beneficium, quod Deus homines admittat in cœlis ad consortium sui tabernaculi, eorumquè omnem lacrymam detergat. Ego verò pronuncio, non minus beneficium esse, quando dicere licet: (f) ecce Deus in hominum tabernaculo, accipiens supra se omnem eorum lacrymam. Nec illud exile donum, quia Dei tabernaculum Virgo, data est hominibus ut tabernaculum, sed vitæ, & vitæ æternæ. Constituite ergo jam non tribus 12 sed omnes tribus terræ, festum in condensis, solemnitatem in tabernaculis, & dicite introibimus in tabernaculum ejus MARIAM, (g) & adorabimus scabellum pedum ejus.

ARTICULUS IV.
VITA IN VISITATIONE.
§. I.

INter Dei dona hominibus collata, emine[t] VITA, inter vitas, autem (a) Intellectuali[s] vita. Petit Psaltes, *intellectum da mihi & vivam*: nunquid sensibus utens crescens, & incrementi

(d) *Apoc.* 21. 3. 4. (e) *Riber. ibi. Alcas Corn. à lap.* (f) *Glossa. in c.* 3. *Philip.* (g) *Psal.* 131. 7. (a) *Psal.* 118. 144.

menta corporis percipiens non vivebat? (*b*) *quasi non vivit, qui non secundum rectam rationem vivit* inquit Glossa. Rectè (*c*) Plutarchus: *quemadmodum si non sit Sol, per reliqua astra ageremus, noctem: ita quantum ad reliquos attinet sensus, nihil differemus à brutis, nisi ratio adsit.* Si navis loqui posset, nonne quæsita quem maximè vellet sibi inesse ac adesse, responderet, gubernatorem: ita inter omnia bona quæ natura humana concupiscit, primum & præcipuum censetur, ratio recta, inquit Socrates. (*d*) Et gubernator, inquit alius, etiamsi multum conducat, non potest tamen sedare ventos, & undas: at ratio ac mentis habitus, (*e*) non solum motus animi componit, verùm & corporis morbos sæpè levat. Vox est Sidoni Apollinaris, (*f*) *sicut caro est, inferior vita in creatione hominis: sic vita rationi.* Probat Seneca: quia non corporum sed vita rationis, hominem à feris, arboribusque secernit. (*g*) Ratio inquit ille *perfecta, bonum hominis proprium est, cætera autem illi cum animalibus, satisque communia sunt.* Valet homo? & leones: formosus est? & pavones, velox est, & equi. Quin imò in ratione, tota alia bona eminenter continentur. Unde laudat Cicero, (*h*) Biantem Prianeum cujus cum patria capta vastaretur, civesque inde, cum pretiosis rebus abirent, atque ut idem ipse faceret urgerent, respondit,

(*b*) *Glossa ibi.* (*c*) *Plut. in moral.* (*d*) *Stob. ser. 3.* (*e*) *Plut. in mor.* (*f*) *Sidon. l. 7. epist.* (*g*) *Senec. epist. 67.* (*h*) *Cic. in Parad. 1.*

jam vos in hoc præveni: omnia enim mea mecum porto. Et ſubjungit Tullius: (*i*) Illa hæc ludibria fortunæ ne ſua quidem putavit, quæ nos etiam apellamus bona. Ego aliter. Ille omnia ſua ſe extuliſſe putavit, quia theſaurum rationis extulit, quæ omnem ſibi fingere prævalet fortunam. Nonnulli, illam ab Ezechiele viſam rotam in medio rotæ: (*k*) animam interpretantur rationalem, quæ quoniam æterna eſt, quaſi rotundæ figuræ ſpeciem habet fine carentis. Et ſicut illa rota myſtica, aliam in ſe rotam continebat: ſic anima rationalis ſenſitivam & vegetantem in ſe claudit, ejusque vices & functiones optimè exercet. Benè Tyrius Platonicus, (*l*) cum prædixiſſet, homines à leonibus vinci robore, à cervis curſu, à piſcibus natatu, infert: verumtamen cum Deus homini rationem indidit, donum quoddam quod cunctis facultatibus illis æquipolleret, conceſſit. Qui igitur rectam rationem habet, omnia habet: & qui alteri donum & perfectionem rationis impartitur, vitam ſuper vitas confert.

§. 2.

PÔrrò cum SS. *Dei* genitrix Eliſabeth cognatam ſuam viſitando, Joanni parvulo donum rationis confert, nonne ut VITA & quidem eminens ei illuxit? S. Auguſtinus, (*a*) motum inſolitum infantis intra materna clauſtra conſiderans

(*i*) *Idem ibid.* (*k*) *Ezech.* 1.16. *Interlin.*
(*l*) *Stob. ſerm.* 10. (*a*) *Aug.* 56. *epiſt. ad Dardanum Tol. in c.* 1. *Luc. annot.* 118.

derans Joannis, fatetur usum rationis in eo accceleratum esse, in qua sententia alii quoque sunt Patres, ut videre eos apud Card. Toletum licet. Quis verò dubitet, eam intelligendi gratiam Joanni à Christo ut primaria causa, à Matre verò ejus ut efficaci provenisse instrumento? Quapropter meritò ei acclamari potest, (*b*) Salve vita, quæ rationis vitam tribuisti Joanni. Hinc autem assurgat spes nostra. Si enim potuit Virgo, infanti ejusmodi sublimem & pretiosam vitam conferre, an non in manibus ejus posuit Deus, ut & pueris, & juvenibus, & viris rectæ rationis usum impartiatur? Et verò indidit eas vires humanæ rationi Deus, ut indomitas feras edomet, imo insensibilem & brutam rerum naturam domet & suos in usus aptam reddat: sed & patribus ac matribus versus filios, & pedagogis ac Magistris comparatè ad discipulos, eam formandi virtutem concessit, ut impolita & rudis ratio, omni scientiarum thesauro per eas repleatur: (*c*) an verò non ultra hæc amplius, quam orbis Magistram & Pedagogam imò Matrem instituit, Matri donavit? Et verò pedagogi ac Magistri cum summum possunt, in eo possunt, ut suis id conferant quod Epictetus dixit. (*d*) *Si tibi* inquit ille *rationem comparaveris, neque divitias desiderabis, neque paupertatem accusabis*: sic autem in accessus omni fortunæ evades: usum tamen rationis infantibus, & stolidis de natu-

(*b*) *S. Aug. ubi supr.* (*c*) *Hymni. Græcor.*
(*d*) *Stob. serm.* 13.

natura, capacitatem intelligendi atque acumen ingenii, ii imprimere nequeunt: Virgo autem hæc omnia. (e) Quare ſicut patria omnium amore, una complexa eſt, ſic honos ac reverentia, amor & pietas amplior uni Matri divinæ debetur, quam quæ in reges pueritiæ, & magiſtros intelligentiæ ſolet à diſcipulis, & rudioribus conferri. Pulchrè illi confitetur Seraphicus, nobis Magiſter, illi diſcipulus: (f) *tu es Mater illuminationis cordis mei: tu es nutrix refovens mentem meam.* Benè verò hæc duo conjunxit, mater cordis, nutrix mentis: cor illuminans, mentem ſeu intellectum refovens: quoniam dona quæ ipſa elargitur ſuis, non obtenebrant ſed cor illuſtrant: nec ſemel imbutam, deinde deſertam, relinquunt mentem, ſed fomentis alunt ac nutriunt. Populares verò Magiſtri, ferè ſic cum mentibus diſcipulorum procedunt, ut ſeminator cum agrario, poſtquam enim illud occata conſepelivit tellure, (g) amplius non refovet: aut ſicut paſtor cum ſilva, quam ubi igne admoto illuſtravit, ne lux & flamma concidat ulterius non laborat. Virgo autem VITA noſtra, quos illuminat, eos ut mater & nutrix fovet: ne ſcilicet rectæ rationis inſertus deficiat radius, atque ut ſemita lucis inchoatæ, mentis ſcilicet illuminatæ vigor, in perfectam creſcat diem. (h) Illuminatus à Sapientia Joſephi rex Ægyptius, eum annulo ſuo

(e) *Cic. lib.* 1. *offic.* (f) Bonav. *in pſalt. majori. B. V.* (g) *Incognit. in pſal.* 84. (h) *Geneſ.* 41.

ſuo donat, torquibus ornat, currui imponit, clamari à præcone jubet omnibus populis, ut coram eo omnes genua flecterent: (*i*) alter textus habet: clamaverunt coram eo Abrech, id eſt tener ſive amabilis Pater ut ait S. Hieronymus. (*k*) Si Joſephus, & regi & populo Pater, idque amabilis & dulcis pater, quia mentis in futura extentæ ac providæ ſcintillâ iis refulſit: quanto Sanctius vita, Mater, nutrix dicenda & colenda eſt à nobis Virgo, quæ mentem noſtram illuminat, illuminatamque conſervat & refovet? Iterandum illi non ſemel, Salve vita, Salve mater mentis, nutrix rationis bonæ noſtræ.

§. 3.

Uti ratione, cum tota natura uti nequit, grande miraculum eſt: uti verò ratione, in eo objecto, quod omnis Angelicus intellectus attingere poteſt minimè, ſuis viribus relictus, an ſuper miracula non eminebit miraculum? Venit Virgo ad Eliſabeth, ipsâque cœleſte dividente lumen infantulus fatur ſibi, quod audivit Chryſoſtomus, (*a*) *Video Dominum qui naturæ impoſuit terminos, & non expecto, tempus naſcendi: Video in utero geſtari Solem juſtitiæ: exclamo, quoniam filium Patris unigenitum conſidero carne indutum.* Sed unde iſte viſus, & clamor, & conſideratio parvulo? reſpondet apud (*b*) Ambroſium, *mater parvuli, miraculum ſentio, myſteri-*

 um

(*i*) *Geneſ. 41. 43. alter text.* (*k*) *Hieron. bi.*
(*a*) *Chryſoſt. apud Metaphr. in Julio.* (*b*) *Ambr. l. 2. comment. in Luc.*

um agnoſco; mater Domini verbo facta, plena Deo eſt: illa locuta eſt, parvulus autem & loquentem, & in utero ejus Deum latentem, intellexit. Hoc autem quid eſt? Vita æterna. (c) *Hæc eſt vita æterna*, inquit Salvator Patri, *ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Quod expendens S. Auguſtinus: (d) *cognitione*, fatur, *hujus veri Dei nihil melius, nihil beatius eſt, & ipſa eſt vera beatitudo.* Talem autem VITAM cum Virgo contulerit Joanni, quoties, quantoque cum affectu oportet illi Chriſtianus acclamet orbis, Salve VITA eminentiſſima, Salve vita beata. Neque verò aut poteſtas aut voluntas defecit in Virgine, ut nobis etiam, res ſupra naturam omnem ſuſpenſas, ad cognoſcendum neceſſarias, exertè revelet: radius Deitatis dicitur S. Bernardo, (e) radius quoque Deitatis, invocata ſentitur: illa enim quæ à Deo ut radius, & non tenuis ſcintilla proceſſit, illa quæ ad Deitatem velut radius grandis pulviſculos generis noſtri trahit ac reportat: iſta à cæcis vel inſipientibus, ſive ignorantibus arcana ſublimiora Deitatis, inclamata, ut radius Deitatis illuſtrans noctem intellectus refulget. Quod olim Cyro Regi Perſarum, quantis hodie objicit DEUS, (f) *aſſimilavi te, non cognoviſti me*: q. d. mater te ô Cyre, objecit, (g) canis ubere ſuſcepit, ego juſſi. Creviſti inter paſtores, & radiare te feci inter ſummos reges, inter Baby-

(c) *Joan.* 17. v. 3. (d) *Aug. Serm.* 112. *de temp.* (e) *Bern. in Salue. regina.* (f) *Iſai.* 45. 5. (g) *Juſtin. lib.* 2. *hiſt.*

Babylonium & Macedonicum Monarcham, tu medium tenes: quasi Deum quendam in terris te explicui: (*h*) me tamen unum ut coleres, cæteros Deos ut abjiceres, non cognovisti. Sic & Christiani permulti assimilantur magnis, olim nimis depressi, neque cognoscunt maximum: & sicut Cyrus cum vero Deo colebat & falsos: sic & isti. Deus illis vindicta est, Deus avaritia, Deus ambitio, Deus Cupido. Verumtamen ô quantis VITA nostra, dedit cognoscere Solum DEUM. (*i*) Appendit pallium suum Goara Sacerdos in radio Solis, & sanctitas ejus refulsit: appendunt sua corda ad tua lumina Clientes ô RADIUS Deitatis, & illucescit illis sanctitas & magnitudo Divinitatis. Benedictus Magnus, (*k*) in uno lucis radio, omnem percepit cognitionem hujus mundi: nos verò ô Virgo cum tuo radio circumfundis, mundum quem amavimus, non videmus, DEUM unde nostra pendet felicitas, capimus & tenemus.

§. 4.

NOn potest iniri numerum eorum, quorum exerrantem virgo correxit, maximè in arduis & supernaturalibus objectis, intellectum. In nuptiis (*a*) Canensibus cum defecisset vinum, vinum à filio VITA nostra petiit, & ad speciem rejecta, in veritate autem exaudita, venit ad ministros convivii, & præmonuit, (*b*) *quodcunque vobis dixerit facite.* Ubi tria Virgini

(*h*) *Hier. ibi.* (*i*) *Sur. 6. Julii in vita Goar.*
(*f*) *Greg. m. lib. 2. dialog. c. 35* (*a*) *Justin. quæst. gent. resp. 136.* (*b*) *Joan. 2. 5.*

occurrerunt: primum quidem, voluntas filii ad succurrendum novo vino: (c) deinde mos divinitatis miracula patrantis, sciebat enim scripturas terendo, ex impossibilibus sæpe, sæpe & ex contrariis elicere Deum contraria: demum timebat, ne ministrorum reluctans intelligentia & voluntas, miraculi impediret opus. Ergo de duobus prioribus certa, de tertio autem anxia & piè sollicita: quodcunque dixerit vobis, facite, hortatur. (d) Vobis videbitur ejus imperium riduculum, & inutile, videbitur grave & insuave, vos tamen, quod jusserit, facite. Si jusserit aqua repleri vasa, cavete ne frontem contrahatis, aut risum laxetis: judicia vestra ejus submittite judicio: & videbitis sublevatam nuptiarum paupertatem. Et factum est, ubi ministri suum sentire, Christi submisêre judicio, aqua in vinum migravit. Exclamat hic Card. Toletus: (e) hæc est eximia & prudens misericordia, quæ ne homo in malum incidat, prævenire novit. Enimverò prodeat nunc aliquis audaculus, qui se correctione in judicando non egere jactitet? quis est cujus intelligentia saltem septies per diem non erret? Lamentatur psaltes, (f) *mendaces filii hominum in stateris.* In qualibus stateris? S. Basilius nomine (g) stateræ accepit judicium rationis, quod tunc mentitur, cum vana quasi solida, & hodierna quasi æterna bona censet. Cur autem hæc statera men-

(c) *Tolet. in Joan. annot.* 11. (d) *Corn. à Lap. in c. 2. Joan.* (e) *Tolet. ubi supr.* (f) *Psal.* 61. v. 9. (g) *Basil. ibi.*

mentitur? quia lanx non est fixa. Audi Aureum Patrem: (h) *sicut*, inquit ille, *statera*, *si lancem loco motam habeat*, *pondera juste non judicat*: *ita & anima nisi rationis lancem stabilem*, *ac firmiter vi divini timoris affixam habeat*, *res sincere dijudicare non valet*. In quantum verò hæc nutans & corrupta rationis statera mentitur? Sæpè in tantum, ut ipsissima & omnis vanitas; eam vincat. Audi Genebrardum, (h) hunc psalmi versiculum ex hedræo textu nobilissimè exponentem. *Si* inquit, *ascendat in alteram libræ lancem inanitas in alteram verò universum humanum genus*, *profectò inanitas ipsa præponderabit*. Cæterùm inter homines sæpe ita evenit: ut vanitas & inanitas voluptatum, honorum, opum, non solum hominem, & homines, sed & cœlum, & Angelos & Deus ipsum vincat pondere. Malunt enim erronea secuti judicia se, cœlum Deum, quam vanitatem voluptatis, honoris, aut opum perdere Virgo autem VITA nostra, stateras judiciorum corrigit, motas veritatis lances de loco suo, in locum reponit, res temporales, ut ridiculas & damnosas revelat: ad Dei judicia judicia nostra reducit: Machiavellos ut insanias, & falsitates proponit, & apparet vanitas ut vanitas. Sicut apparuit. (k) B. Francisco Borgia, Duci Gandiæ, (qui (l) Virginem Matrem

(h) *Chrysost. in epist. 2. ad Timoth.* (h) *Genebr. in psal. 61. v. 9.* (k) *Schott. in vita ejus.*
(l) *Sacchinus 3. parte hist. soc. JESU. lib. 8. n. 62.*

tenerrimè colebat) qui quærens Iſabellam in tumba à ſe repoſitam, neque eam inveniens, (horror enim & ſanies faciei incubabat,) exclamavit: vanitas vanitatum & omnia vanitas. Ergo mundo ſe ſubducens & S. Patris noſtri IGnatii magiſterio ſe ſubmittens, per calcatas aulas & principatus, imò per ſe ipſum depreſſum & contritum ad vexilla pauperis Crucifixi evolavit, & deinde aliis ſcripſit. (m) *Niſi fumum vani honoris atque exiſtimationis propriæ proculcaverimus, facile ab hoſtibus noſtris conculcabimur, & Chriſti diſcipuli eſſe deſinemus.* (n) Olim antiquitas inter duodecim ſigna cœleſtia repoſuit, & compoſuit ſibi vicina, VIRGINEM, & LIBRAM, cur ita? fortaſſe, ut vindicaret, quemadmodum Virgo corpore, ſic animi humani libram debere eſſe incorruptam, ſi ſe cœlo dignas fingere mortales præoptarent. Vel certè, quoniam Virgo illa cœleſtis, (o) Aſtræa ſive juſtitia eſt: innuere horum vicina ſignorum voluére, hominibus oppido elaborandum eſſe, ut in librâ judiciorum non errent, ſed ſe, & ſua, omnia hujus mundi bona ad veritatem & ſanctitatem Juſtitiæ divinæ expendant, ſive ut paulò ante dixit Chryſoſtomus, (p) oportere, ut lanx rationis vi divini timoris affigatur, ne titubet, & rerum pretia confundat ac mentiatur. Porro S. Hieronymus (q) VITAM Noſtram Sanctam

(m) *Borg. epiſt.* (n) *Georg. lib. 1. Plin. lib. 19. c. 25.* (o) *Ovid. l. 1. Metam.* (p) *Chryſoſt. in 2. epiſt. ad Timoth.* (q) *Hier. ad Princip. Item. ſerm. de vita Virg.*

Sanctam Matrem, non ſemel nominavit Aſtræam. hæc igitur Libræ rationis noſtræ præſit neceſſe eſt Mentiuntur filii hominum in ſtateris ſuis, neque nos deſivimus eſſe & computari inter filios. Ne ergo, & maximè in cenſura vitæ æternæ erremus, illam, caſta prece, & mundis jejuniis, alioque humili cultu nobis alligemus. (r) Refert Cicero Critolai Libram eam habuiſſe virtutem, ut cum in unam lancem animi bona, in alteram autem corporis & externa bona imponebantur, tantum propenderet lanx prior, ut terram & maria deprimeret. Hæc fabella nobis in veritatem vertetur, modò noſtræ Intelligenti Libræ cœleſtis aſſiſtat Aſtræa. Illa enim res ut ſunt repræſentabit, temporalia ut fugitiva, & in interitum deprimenda, æterna ut ſtantia & Deo, Deique gente digna. Amo S. Bonaventuræ vocem: (s) *Domina converte vultum tuum, & miſerere mei. Irradiatio gloriæ tuæ dilucidat intellectum, & lux miſerationum tuarum producit ad ſalutem. Scire & cognoſcere te, radix eſt immortalitatis, & enarrare virtutes tuas, via eſt Salutis.* Ego addo. Crux JESU, canitur, (t) *ſtatera facta corporis, tulitque prædam Tartari:* tu autem ô Vita ô Salus poſt Deum noſtra, ſtatera facta es mentium, rapiſque prædas Tartari.

§. 5.

NOn ſolum mentem Joannis rerum ſublimium cognitione, ſed etiam voluntatem ejus, nulli homi-

(r) *Cic. l 5. Tuſcul. quaſt.* (s) Bonav. *in pſalt. majori. B. V.* (t) *In off. de S. Cruce.*

hominum guſtato gaudio VITA NOSTRA Virgo complevit. Loquens S. Ambroſius de motu Joannis in utero, (*a*) *qui* inquit *habebat exultandi affectum, habebat quoque intelligendi ſenſum.* Sed unde exultandi affectus? unde gaudium ſuper omne gaudium? inde, unde intellectus ſentiens cœli regem ſuper omnem naturalem intellectum. Clare & ſublimiter (*b*) Card. Toletus, inſignis cultor B. Virginis: *exultatio infantis præ gaudio, & repletio Spiritus S. facta Eliſabeth, effectus fuit Chriſti operantis per verba ſalutationis Matris ſuæ.* Ex quo rectè inferes, ubi MARIA ibi lætitia, ubi Mater Dei, ibi vita Deum ſciens, de Deo gaudens. (*c*) Audit vocem MARIÆ infans, & exultat intra maternum carcerem ſubſiliens. Cogita: Sanctam & ſine querela Matrem ſortitus erat Joannes, & tamen toties vocem ejus audiens in utero non exultavit. (*d*) Suſtulit ingentem admirabundumque clamorem ad primum adventum in domum ſuam MARIÆ illa, infans tamen quietus manet, ut ante. Credo, ſi omnes, quotquot in Iſraele tunc erant Sancti ſalutaſſent matrem ejus: imò ſi Angeli ſuæ relicti virtuti ſymphoniam choroſque cantantium ei circumfudiſſent, ad tale gaudium, minimè parvulum emoviſſent. Una MARIA venit, vocem extulit, Salutationem peregit, & quietem motu, & triſtitiam lætitia, abru-

(*a*) *Ambr. l. 3. in Luc.* (*b*) *Tolet. in c. 1. Luc. annot. 121.* (*c*) *Gloſſa in c. 1. Luc.* (*d*) *Luc. 1. 42.*

abrupit. Geminum Verbum Virginis, Pax tibi (e) (hic enim erat mos salutandi hebræis) concussit & movit, & gaudio replevit infantem, quid facient plura eloquia? Hic dicas quod de Judith Assyrii, (f) *non est talis mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine, in sensu verborum.* Labia movet, & ossa cantant: vocem profert, & animam elevat; Salutat verbo, & ditat Deo. Discat hinc mundus, unde vera haurienda sit lætitia. Unus ejus sapientum pronuntiat, volo lætitiam tibi domi nasci. (g) Nunquid verò nos cum lætitia nascimur, qui lætitiam quærere monemur? Ita est Non ex utero, dolor & luctus nobiscum simul ex utero. Ut prima, juxta S. Augustinum, (h) sic omnis Eva, lacrymas in utero portat, cum marito hæredem gestat. Rectè Comicus Græcus, tristitia vitæ affinis est mortalium, (i) Expers doloris nulla vita vivitur, nos ad cunas, dolor ad cunas: nos ad vivi fontem lactis, eundem nobiscum collectanea sugit tristitia: post equitem sedet atra cura, (k) sed & in vertice regum gemmas inter & aurum sedet item atra cura, & veneno luctus findit mentes. Clama ergo Sapiens, volo lætitiam tibi domi nasci: non es natus cum illa, nec eam domi tuæ habes, & si videris eam tibi habere, non est ipsa, sed ejus larva

---

(e) *Maldon. in c.* 21. *Joann.* (f) *Judith.* 11. 19. (g) *Senec. epist.* (h) *August. serm.* 18. *de SS.* (i) *Comicus Græcus.* (k) *Horat. l.* 3. *car. od.* 1.

larva & umbra. (*l*) Ad MARIÆ præsentiam Saltavit præ gaudio infans, & in nativitate ejus, respondent gaudia omnium populorum, & respondebunt, quamdiu secula orbes suos volvent, (*m*) in aliorum natalitiis, prius pedes, deinde corda saltant: & sanctorum capita truncantur & ruunt. In quantorum nuptiis, plaudunt choreæ, & simul inopinatæ saltant mortes! At ego dicis, cum domi non habeo, foris lætitiam advoco: (*n*) Medeam ut Jason in conjugem ducis: quæ pòst oscula dedit venena, & filios quos ei suscepit, peremit. Ita falsa gaudia desinunt in vera venena, & quod delectavit, deinde obtruncat. Cares domo, peregrinaris in mundo, qui autem peregrinationem propriam diligit inquit M. Gregorius, (*o*) dolores etiam inter dolores nescit Fac domi tuæ lætitiam nasci. Quæ est autem domus tua? Utique recta ratio, pura conscientia: ex hac cum lætitia nascitur, tristitia moritur, aut certè temperatur ac dulcoratur. Verè Epictetus: (*p*) *turpe est, muneribus apum potionem edulcorare, rationem autem Deorum munus, ad malitiæ amaritudinem edulcorandam non adhibere.* (*q*) Joannes quando ad vocem vitæ nostræ exultavit, de imo sursum se extulit, de terra in cœlum sese levavit. Hæc verò, hæc est lætitia domi nata, (*r*) cœlo lapsa, rationi consentanea. Sursum enim omnem

(*l*) *Luc.* 1. 42. (*m*) *Marc.* 6. 28. (*n*) *Senec. in Medeam. act. ult.* (*o*) *Greg. l.* 7. *mor.*
(*p*) *Stob ser.* 13. (*q*) *Luc.* 1. 24. (*r*) *Senec. in epist.*

omnem animum sua repetunt principia dixit unus. (s) Elevare, elevare quoties intonat nobis DEUS, an autem gaudentes ei paremus? Plerumque falsa & forinseca lætitia, ut pluvia de cœlo cadit, & fit lutum. Est dignum quæsitu, cur Deus olim vehementer sibi complucuerit in parte victimæ quæ dicitur pectusculum elevationis Inquit Deus in Levitico, (t) *pectusculum eleVationis & armum separationis tuli à filiis Israel de hostiis eorum pacificis.* Vulgo respondetur, in pectusculo animalis, (u) signari pectusculum hominis: pectus est sedes cordis & affectus boni: Deo autem ille placet, qui sapientia & vera lætitia elevatus invenitur: displicet illi pectus depressionis, pectus in ima tendens, sive ut Augustinus ait, (x) florens falsis gaudiis, & periens veris tormentis. Refert vero Cajetanus morem quo pectusculum Deo sacrabatur. Super manus inquit offerentis, (y) medio instrumento pectusculum hoc deponebatur, deinde manus suas manibus offerentis supponebat Sacerdos, & deinde elevabatur sursum, & deprimebatur deorsum. Mox ab oriente in occidentem, & à meridie ad Aquilonem ducebatur. Qua ceremonia testabatur offerens se Deo cœli & terræ Domino pectusculum consecrare, illi, qui olim per crucem Israel ex omnibus inquitatibus foret redempturus.

(s) *Isai.* 51. 17. (t) *LeVit.* 7. 34.
(u) Liran. Corn. Tirin. *Menoch. ibi. Glossa.*
(x) *Aug. in psal.* 136. (y) *Cajet. in c.* 7. *LeVit.*

tus. (z) Hoc ferè ritu excitatus voce MARIÆ, Joannes se Deo obtulit, quando in cœlum lætitia inundans subsiliit, an verò, etiam in formam crucis sese motitârit, scit Deus. Christiana verò lætitia, si vera est, pectusculum elevationis offert Deo, & crucis non obliviscitur. (aa) Nec caret misterio, quod armum & pectusculum secreverit sibi Deus: indicat enim fatur Glossa, (bb) non nisi ex armo benè agitato; elevatæ pectusculum lætitiæ solere nasci. Sublimiter & sapienter Cæsarius: (cc) *Verum gaudium non possidetur, nisi pax & justitia teneatur. Prima enim est & quasi radix justitiæ, secunda pax, tertia gaudium. De justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur.* Sic ille. Quid verius? ut verò tali potiare gaudio, trahe ad te, & tractam tene, gaudii Matrem, vitam nostram MARIAM, & fige animo Bonaventuræ vocem. (dd) *Qui sperant in te ô Domina, lumine induentur, gaudium & perpetuam lætitiam sortientur.* Lumine induentur! nunc rectæ fidei, & æternorum principiorum, post mortem autem item lumine induentur cœli Comprehensorum. At si dulce est videre Solem perituri mundi, viso sole gloriæ, æterna dulcedo & gaudium animas possidebit.

§. 6.

SI rem justis ponderes momentis, Visitans Virgo Joanni, quater facta est vita. Vita ratione

---

(z) *Psal. 129. v. ult.* (aa) *Levit. 7. 34.* (bb) *Glossa extraord.* (cc) *Cæsar. admonitione secunda.* (dd) Bonav. *in majori, psalt. B. V.*

tione animæ, quam allato filio, & suo eloquio Sanctificavit: Vita ratione intellectus, cujus usum, & quidem super ardua objecta maturavit. Vita ratione voluntatis, quam gaudio vitali complevit: (a) Vita ratione morum, creditur enim super eo Deum orasse, ut tantis tamque mirandis principiis, reliqua Joannis vita consentiret, & exaudita esse pro sua reverentia, & dulci charitate. *Erat in desertis* inquit Evangelista (b) de S. Joanne, usque ad diem ostensionis suæ in Israel Hos autem mores unde accepit & quando? Ad præsentiam Virginis quando exultavit, seque spiritu in altum sustulit, & ne eum remitteret, urbes reliquit, silvas adamavit. Non possumus omnes tam alte saltare, ut transilientes civitates, & homines, inter arbores corpora, inter angelos corda figamus. Possumus tamen ad VITÆ nostræ præsidium confugientes, Joanni non absonam, animam & intelligentiam, lætitiam & morem reperire. Ut porrò quis divinis instructus habeatur moribus, oportet tria habeat, quæ Scriptura laudat in David, P*avit* inquit David, (c) *eos innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum, deduxit eos.* (d) Ubi laudatur David à cordis innocentia, ab intellectibus, à manibus. Et quidem ita, ut manus non caput contineat, sed intellectus Euthymius ait (d) *laudari hunc regem, ab actionibus prudentia dispositis*: Bellarminus, quia *quicquid agebat,*

(a) *Bonav. Dion.* (b) *Luc. 1. v. 80.*
(c) *Psal. 77. v. 72.* (d) *Valent. ibi.*
(e) *Euthim. in ps. 77.* Bellar. *ibi.* Genebr. *ibi.*

agebat, *considerate agebat*: Genebrardus, *sicut pastor oves*, *sic rex populos regebat*: pastor autem regit oves pedo & manu: David autem consilio manuum suarum tribus duodecim gubernabat. Non sicut fæx mortalium, quæ aut agit sine fructu, sic autem habet manus sine intellectu: aut excogitat & disponit agenda nec tamen exequitur excogitata: sic autem habetur intellectus sine manu. David verò, quod consideratione prævia invenit, hoc executione forti & matura perfecit: sic autem nactus est manus intellectu potentes. Jamné verò qui intellectum in manibus habet, mores Deo dignos habet? Nondum perfectè. Quanti enim & fuerunt & sunt, qui sapientes dicti sunt ad faciendum malum? (*f*) Adde igitur manibus intellectu instructis, cordis innocentiam, & eris sapiens ut facis bonum, & opereris vitam æternam. Ajebat olim Phocylides, (*g*) *rationem homini esse telum omni ferro acutius*. Quod si telo rationis & prudentiæ utaris non in cordis innocentia, nonne illo te confodies atque offendes? Quod si verò eo, cum Dei timore, secundum axiomata & principia sempiternæ veritatis utaris, sic te defendes, & Spiritus inimicum conficies. Porrò ut istis moribus vitæ æternæ paribus exorneris, cole quo potes studio VITAM nostram, Dei Matrem. Ipsa est enim Mater novi moris, & novos mores indit filiis. S. Bonaventura salutans

(*f*) *Jerem*. 4. v. 22. (*g*) *Stobæus ser*. 3.

tans eam, (*h*) *ave inquit mater novi moris*: & alibi: (*i*) *rigans mundum novo rore, novæ prolis novitate, nova facis MORE cuncta, mira claritate*. Refert M. Propheta, (*k*) *accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium*. Cujus verò nominis? *Velociter spolia detrahe, citò prædare*. Doctor in Scripturis Maximus, (*l*) nomine prophetissæ Sanctam Dei genitricem intelligit, quæ D. JESUM peperit, velociter spolia detrahentem: citò prædantem. Deinde delapsus idem Doctor ad tropologiam, in anima inquit Virginali & nulla sorde maculata, de Spiritu S. Dei sermo conceptus, velociter de adversariis potestatibus *sermo Dei* spolia detrahit, Tales autem filios (infert post pauca) MARIA prophetis, Virgo perpetua generat. Et verè. Ubi enim & citius & perfectius anima Virginalis, nulla sorde maculata, nisi serviendo Virgini VIRGINUM acquiritur? Ubi felicius sermo Dei de Spiritu S. concipitur, & conceptus custoditur ac maturescit nisi apud illam quæ omnia verba Dei conferens in corde suo conservabat? Aut, unde de adversariis potestatibus certior & clarior venire potest victoria, quàm ab illa, de qua nondum concepta, dictum est, (*m*) *ipsa conteret caput tuum*.

§. 7.

QUod si præsentia & efficacia Spiritus S. quæritur, in Virgine ille requiescit. Egredietur

(*h*) *Bonav. in psalt. min.* I. *quinquagena*.
(*i*) Bonavent. *in laud. B. V.* (*k*) *Isai.* 8. 2. 1.
(*l*) *Hieron. l.* 3. *in c.* 8. *Isai.* (*m*) Genes. 3. 15.

tur, vaticinantur prophetes, (a) *Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Ubi sub parabola arboris tria exprimi nota, radicem, virgam, florem. Radix est Bethlemita Jesse, Virga MARIA, flos JESUS inquit Hieronymus. (b) An verò cum dicitur Spiritus Domini super florem requievisse, super virgam non requievit? *Virga florem*, pergit Hieronymus, (c) *non de frutice sibi cohærente, sed de Spiritu S. concepit & protulit;* proinde & in ea Domini Spiritus conquievit, & se in manus ejus permisit. Vis probationem? intuere Elisabeth & Joannem. Insonuit auribus Joannis vox Virginis, & exultavit infans, inquit Ambrosius, (d) & repleta est Spiritu S. mater. Non prius Mater repleta quàm filius; sed cum filius esset repletus Spiritu S. replevit & Matrem. Quomodo verò vox Virginis, applicuit Spiritum S. Joanni & Matri ejus: sic eadem vox, inanes Dei, facit ejus plenos, (e) *Vena vitæ, os justi* ait sapiens: quia scilicet os justi potest consilia & verba vitæ promere, aliisque communicare. (f) Quanto magis vena vitæ, vena Spiritus S. os MARIÆ, quæ ubi intercedendo labia aperuit, Spiritus S. velut flatus de ore ruit. Et verò vita nostra gemina, præsens scilicet, & futura duplici Spiritus S. eget munere, in

(a) *Isai,* 11. *v.* 1. 2. (b) *Hier. l.* 4. *in c.* 11 *Isai.* (c) *Hier. ibid.* (d) *Ambr. l.* 2. *in Luc.* (e) *Prov.* 10. *v.* 11. (f) *Raban. ibi.*

in præsenti, ejus Igne: in futura Vitæ intellectualis pane. Vita verò nostra, SS. mater, utrumque abundè suis præstare potest. S. Epiphanius, inter alios illustres titulos, dat & istum Virgini Matri: *tu* inquit (*ff*) *es, clibanus intellectualis, qui panem vitæ profers tuis, & ignem.* Clibanum dixit intellectualem, quia Panis cœli JESUS in ejus intellectus fide, & consensu voluntatis, tanquam in clibano formatus & coctus est. Panem autem vitæ, nimirum intellectualis, in futuro seculo exhibet suis virgo. Non enim inveniri potest in tota cœlorum terrarumque natura, panis intellectualis, (*g*) qui capacitatem, & famem nostri intellectus explere ac satiare possit. Supra omnes cœlos sedet, & super omnia tempora eminet panis, qui nos expectat. (*h*) Iste est ille, de quo illectus dulcedine auditæ resurrectionis, exclamavit unus: beatus qui manducabit panem in regno *Dei*: quanquam nesciret, inquit Augustinus, (*i*) quia panis quem desiderabat, ante illum recumbebat. Nunc verò IGNE sacro virgo suos pascit, & contra ignitas potestates, igne potentiori armat. Quis verò iste ignis? Sanctissima Eucharistia, non hæc meo prosiliunt cerebro: audi Chrysostomum: (*k*) *quo non solari radio splendidiorem esse oportet manum hanc carnem dividentem? Os, quod igne spirituali repletur.* Et alibi

(*ff*) *Epiph. de laud. Deipar.* (*g*) *Anon. in psal.* 16. (*h*) *Luc.* 14. 15. *Glossa ibi.* (*i*) *Aug. ser. de verb. Domin.* (*k*) *Chrisost. homil.* 60. *ad pop. Antioch.*

alibi. (*l*) *Tanquam leones igitur ignem spirantes ab hac mensa recedamus, facti hostibus terribiles.* Refert Surius, cum Hebræus quidam fictè recepta fide Christiana accepisse de manu S. (*m*) Syri Episcopi diviniſſimam hostiam, eum in ore ignem sensisse. Sic perfidi, sic improbi sentiunt cum malè recipiunt ignem urentem: at non probi, quibus quidem Christus ignis est; sed teporem excludens, calorem spiritus, lumen mentis conferens. Felices! (*n*) quibus unus dolor est, hac esca privari: isti, pulsi vita, invenient occurrentem sibi vitam MARIAM, & cum ea, æternam vitam, & intellectualem panem, & post IGNEM mortalis, LUMEN immortalis patriæ.

ARTICULUS V.

VITA IN PURIFICATIONE.

§. 1.

UBi vulgata legit, (*a*) *Vena vitæ, os justi*: 70 interpretes extulere, *fons vitæ in manu justi*: S. autem Augustinus legens, (*b*) *fons vitæ in manibus justi*, quærit: (*c*) *Vis scire ubi hunc fontem vivum requiras? in psalmo habes, apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Jam verò si inter solemnia purifi-

(*l*) *idem. hom. 61. ad popul.* (*m*) *Suri. 9. Decemb. in vita S. Syri.* (*n*) *Chrisost. hom. 60. ad pop. Anti.* (*a*) *Prov. 10. 11. 70 versio.* (*b*) *S. August. apud.* (*c*) *Alvarez. in manual. c. 13. de baptismo.*

rificatæ Virginis quæras item, (*d*) ubi eſt fons vitæ? reſpondet Evangeliſta, in manibus juſtorum, Joſeph & MARIA, *tulerunt*, inquit (*e*) *JESUM in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino.* Quod ſi iterum interrogatione pulſes. Ubi eſt fons vitæ? reſpondebit idem, in manibus ſenis Juſti: *ipſe* inquit (*f*) *accepit eum in ulnas ſuas.* Non ſatis erat eum vidiſſe, non ſatis viſo eo exultaſſe, adhuc ſumit eum non in manus tremulas, ſed in ulnas totas, & gaudet dulce pondus magnus Atlas geſtare, & certare officio cum parentibus, Exclamat Card. Toletus, & meritò: (*g*) *perpende Dei largitatem, plus dedit, quam promiſit: promiſſum enim Simeoni eſt videre, datum autem ei fuit videre, & in ulnis portare; auſus tamen non eſſet id facere, niſi Sacerdos eſſet, qui infantes oblatos Deo accipere ſolitus eſſet.* Sic Toletus. (*h*) Phraſi autem Auguſtini, promiſſum erat Simeoni, quod fons vitæ futurus eſſet in oculis ejus, & inſuper conceſſum eſt ut eſſet, & in manibus, & in ulnis ejus. Sed & amplius factum eſt, ut fons vitæ, irrigaret univerſam ſuperficiem cordis ejus, ipſamque mortem demergeret, aut ſaltem ex ea parte qua amaritudinem ſpargit, dilueret. Quare non dubito ab illo S. JESU parentem, ut matrem vitæ ſalutatam, atque honorâtam, & Salve vita, ſalve fontis vitæ fons, geminâtam.

(*d*) *Pſal.* 35. 10. (*e*) *Luc.* 2. 22. (*f*) *Luc.* 2. 28. (*g*) *Tolet. in c.* 2. *Luc. in comment.* (*h*) *Auguſt. libr. de communi eſſentia Trinitatis.*

§. 2.

UTinam verò ſicut Simeoni juſto, ita etiam nobis fons vitæ eſſet eo modo ad manum: nunc autem gemere & lamentari licet, venæ mortis ubique; fons vitæ in cœlo. Rectè ex græco Thomas Morus (a)

Nugamur, mortemque procul, procul eſſe putamus,
Hæc latet, at mediis abdita viſceribus.
Scilicet ex illa qua primum naſcimur hora,
Prorepunt juncto vitaque Morsque pede.

Rectè & alius doctus, vitam noſtram Nilum eſſe dixit. Cur verè? Nilus Ægyptiis alit vitam idem tamen inimicos vitæ fert Crocodilos. Sic & nos Laceramur impræviſis caſibus, periculis, mortibus: & gaudia noſtra quibus nos oblectat præſens vita non ſeptemgeminis ut Nilus oſtiis, ſed infinitis rimis, & viis dilabuntur. Fuit aliquando agitata quæſtio, plurane bona vel mala hominibus in vita affluerent? Euripides (b) melioris Minervæ quam animæ homo cecinit *plura bona quam mala vitam advehere* verùm contra torrentem authorum, & rationum. Audi Tertullianum, (c) *Deus homini vitæ ſtatum induxit: homo ſibi mortis ſtatum attraxit.* Illi qui perduellionis rei attrahunt ſibi ſtatum mortis, nunquid exuti fortunis, nomine infames, libertate vacui, carceri & jejuniis traditi, copia perfruuntur bonorum, & non potius omni

(a) *Thomas Morus ex græco.* (b) *Eurip. apud natal. Comit. l. 3. c. ult.* (c) *Tertul. adv. Marc. lib. 2.*

omnis dies, ſumma illis & amara dies? obſervat Plinius,(d) *nulli infantum ante diem quadrageſimum riſum dari, vitam autem à lachrimis auſpicari*: ab ipſo lucis rudimento, manibus pedibusque devinctus, flens animal cæteris imperaturum jacet, unam tantum ob cauſam, quia natum eſt. Initiis, reliqua conſentit dierum ſeries, ſiquidem teſte Auguſtino ipſa (e) *vita mortalium tota pœna eſt*. Duas venas celebres dari in homine adſtruunt Medici & phyſici, quarum altera CAVA vena, altera PORTA nuncupatur. Ego verò exiſtimo, tametſi dentur non pauci mortalium, quos benè VENAS CAVAS appellare oporteat, quorum CAVUM & INANE cordis, nec Cræſi opes, nec Sardanapali voluptates, nec Alexandri M. explere poſſint honores; iſti tamen farti & fæti ſua vana fortuna, dum non timent, venam Portam apud ſe inveniunt, per quam quicquid jucundum erat & vitale effluit, quicquid autem amarum & mortiferum, influit Sic vena prior quæ videbatur vitæ bonorumque plena, invenitur CAVA & hians & vacua rurſus. (f) Intuere Aman in palatio, vena CAVA plena bonæ ſortis: attende eundem in patibulo, vena Porta, patens fortunæ vacuo & ludibrio. Si autem Principes viros ſic præſens verſat vita, quid mediocris & infimæ ſortis mortales? Nobiliſſimè Boëtius,(g) *fælix fortuna* inquit, *à vero bono deviis blanditiis tra-*

(d) *Plin. præfat. l. 7.* (e) *Aug. l. 21. de Civ. c. 14.* (f) *Heſter. 7.* (g) *Boet. l. 2. de conſolat. proſa. 1.*

trahit, adversa plerumque ad vera bona reducens, unco trahit. Cogita quid hic Solidi gaudii, quid vitale in flexu mortalitatis? quando neutra fortuna favet homini? Nam felix in labirinthum errorum, & Minotaurum mortis pellit: (*h*) adversa autem unco acuto lacerat, infami cruentat, nec tamen ad vera bona sæpiùs pertrahit. Gemendum? Venæ mortis ubique, fons vitæ in cœlo. Hunc ipsum quem ago diem cum morte divido, inquit Seneca: (*i*) hoc ipsum poculum quanquam Herculeum quod bibo, (*k*) cum leto communico queritur Alexander: hæc ipsa curia quam cum Senatu frequento, mihi eqvus Trojanus gemit Cæsar Julius; (*l*) in bolo in filo, in lecto, insidiatur mihi mors: ah, venæ mortis ubique, in cœlo solum fons vitæ. (*m*) *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo dicit Spiritus, requiescant.* Amodo, cum punctum mortis ferit, modo cum vitæ gutta ultima effluit, requiescant. Ante hoc momentum totum vitæ spatium, longum laborum spatium & durum mortalitatis tormentum. Sed ego inquis hoc non sentio? quia (*n*) *divitiis, nobilitate, aut potestate es ebrius*, inquit Ambrosius An verò ebrius in luto jacens, quia id non sentit jam non est sordidus?

§. 3.

ATque hæc quæ diximus intra ordinem vitiatæ naturæ omninò vera sunt: quod si ad justitiæ atten

(*h*) *Æneid.* 6. (*i*) *Senec. in epist.* 102. (*k*) *Curt. libr.* 10. (*l*) *Suet. in Cæs. c.* 82. (*m*) *Apoc.* 14. 13. (*n*) *Ambr. l.* 2. *de Abel & Cain.*

attendas orbitam, tenetur certitudo. *Fructus justi lignum vitæ*: 70 extulerunt, (*a*) *de fructu justitiæ nascitur arbor vitæ*. Quomodo verò? de manibus justi viventis, nascitur fructus justitiæ: de manibus autem justi vitam terminantis, nascitur arbor æternæ vitæ. Tantum est Justitiæ studio se totum tradidisse? Nunc quid eligas, attendas. (*b*) *Ante hominem vita & mors, bonum & malum* inquit Ecclesiasticus, quod placuerit ei, dabitur illi: si nunc placuerit in manibus tenere & fovere Justitiæ arborem, olim de manibus ejus nascetur arbor vitæ, cujus fructus, fructus erit vitæ omnem beatitudinis collectionem in se claudentis. Quod si quis nefariis injustitiæ operibus nunc se permiserit: de manibus ejus arbor item nascetur, sed mortis, (*c*) omnem amaritudinem pœnarum continentis. Videat ergo dum electio adhuc pendet, ad citius arboris culturam homo se vertere debeat. Hoc indubitatum est de arbore justitiæ prodire arborem æternæ futuræque vitæ, si tamen illa non in solo desideriorum horto inventa fuerit, nec in ore sed in manu plantata. Publicata lex Dei est: (*d*) Verborum Sola officia, ad vitam non sufficere sempiternam, sed de facta voluntate Dei, fructus erumpere æternos. Cæterùm & hoc noscendum est, arborem justitiæ, modò vera illa sit & non fucata, esse arborem vitæ ut igitur mors ex morte, sic vita procedit de vita.

(*a*) *Prov.* 11. 3. 70. *versio.* (*b*) *Eccle.* 15. 18. (*c*) *Glossæ. ibi.* (*d*) *Hilar. in comment. in c.* 6. *Matth.*

Justitiæ Christianæ arbor probatissima, non est alia nisi cordis humilitas. Quoniam ut rectè scripsit Tertullianus, (e) *professio Christiani humilitas.* Frustra jejunia frequentantur, preces multiplicantur, eleemosinæ funduntur, si post hæc omnia non resonet de imo pectoris justitiæ humilitas, servi inutiles sumus. Quod Christum, hoc idem Christianum oportet commendat Deo: Christi autem virtus, humilitas. Unde S. Bernardus explicans illud Apostoli: (f) *libenter gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Christi*, interpretatur *humilitas.* Et illa verba, *sine modò sic nos decet implere omnem justitiam*, explanant authores, (g) *humilitatem.* Cæterum humilitas Christiana arbor vitæ. Rogatus quidam Eremita, quid esset humilitas, breviter & nervose respondit. (h) *humilitas est arbor vitæ, in altum excrescens.* Et merito.

§. 4.

AD mentem Scripturæ. Ut ordinaria lectio præfert (a) *ascendet sicut virgultum coram eo.* 70 legunt, *annunciavimus quasi parvulum in conspectu ejus.* Ubi Hieronymus (b) pro virgultem, Symmachus ramum interpretatus est, ut assumptum

(e) *Tertul. l. 2. adv. Maricon.* (f) 2. *Cor* 11. 8 *Bern. de gradibus humil.* (g) *Matth.* 3. *Glossa ibi. per humilitatis exemplum, reduco ad vitam.* (h) *Rosveid. de vitis PP. l. 7. c. 13.*

(a) *Isai.* 53. 2. 70 *vers.* (b) *Hieron. l.* 15. *in Isaiam.*

ptum oſtenderet hominem, qui proceſſit de utero Virginali. Ut autem arbos quantum Vertice aſcendit ſurſum: tantum radice in tartara tendit. Similiter vera humilitas merito ſe elevat, Spiritu deprimit. Ven. quæ circa Beda laudans humilem Baptiſtam, *illam* inquit (*c*) *virtutum arcem conſcenderat, á qua tentationibus nullis dejici poſſit.* Arbos illa vitæ narratur ſecus aquas plantata: Vera autem animæ inanitas legi divinæ paret. Unde vir timens Dominum comparatur ligno (*d*) ſecus decurſus aquarum plantato: quia inquit Arnobius, (*e*) *juſtus permanet juxta fluenta legis, ut lignum vitæ immortalitatem capiat.* Comparatur autem lex Domini cui paret noſtra ſubmiſſio, fluentis decurrentibus, eo quod prophetis Succeſſura ſit viſio, & præceptis recedentibus Sola charitas ſit remanſura. Jam, lignum vitæ dicitur ex utraque parte fluminis ſtare (*f*) Humilitas autem cuſtodia ſorti noſtræ utrique præeſt: ſecundæ, ne evertamur inſolentiâ: adverſæ, ne ſternamur impatientiæ turbine. Ubi vulgata habet, (*g*) *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Hieronymus extulit, *Domini ſunt afflicti, & poſuit ſuper eos orbem.* Notat autem Rupertus (*h*) apud Hebræos afflictos Spiritu, dici pauperes Spiritu & humiles corde: (*i*) & afflictionem ſonare humilitatem. quæ ad portandum orbem, afflictos & humiles facit for-

 tes

(*c*) *Beda. hom. de Vigil. S. Andr.* (*d*) *Apoc. 22. 2.* (*e*) *Arnob. in pſ.* (*f*) *Apoc. 22. 2.* (*g*) *1. Reg. 2. 8.* (*h*) *Rupert. ibi.* (*i*) *Hier. in quæſt. Hebra.*

tes & constantes. Jam divide orbem, ut videas humilem: In orbe alii ascendunt alii sibi à læta fortuna additis, alii descendunt & corruunt in lachrimarum valle & mari ut Jcari: humilitas autem quæ sufficit ad fortandum orbem, sufficit etiam ad utriusque sortis pondus sustinendum. Et quemadmodum supra maria fundatus perstat orbis terrarum: (k) ita Ecclesia humilis Christi sponsa plus lachrymis quam viribus contendit. *Neque enim tantum virtus & Sudor fortium, quantum possunt lachrymæ parvulorum*, inquit S. Petrus Chrysologus. (l) Lignum vitæ affert fructum singulis mensibus: justus autem humilis, fatur Ambrosius, fulcrum est generis humani, (m) suas dotes communicans, commoda & felicitates terrarum augens, & in publicum (n) usum conferens. Imò, arbor vitæ singulis mensibus, justus autem pauper Spiritu omni die, hora momento fructificat. Denique folia ligni vitæ dicuntur valere ad sanitatem gentium: hortatur nos verò Phil. Judæus (o) oremus, ut ceu columna in domo, in humano genere justus permaneat ad calamitatum remedium. Nam hoc incolumi de publica salute, desperandum non est. Hæc igitur arbor vitæ, manibus justi irradicata, alteram profert, ubi æternitas advenit, arborem vitæ: & disponit hominem in tantum, ut possit ipsum Christum, lignum super omne vitæ lignum, portare.

§. 5.

(k) *Psal. 23. 2.* (l) *Chrysol. ser. 128.* (m) *Ambr. l. de Abr. c. 6.* (n) *Philo. l. de migra. Abrah.* (o) *Phil. ibid.*

§. 5.

INtuere rei veritatem in ſene hodierno: cujus juſtitia quæ laudata eſt in Evangelio, honorata eſt Dei Incarnati ſpectaculo. Tantumnè verò? imo provecta eſt ut ipſa Arbor vitæ in manus ejus deponeretur, cujus aſpectu ille recreatus, mortem guſtare in delitiis habuit. An autem arbor humilitatis, arbor vitæ aſcendens ſurſum in ejus pectore quaſi in Dei Paradiſo inventa eſt? Planè. (*p*) Audis de eo dici, Spiritus S. erat in eo, Spiritus S. loquebatur in eo, in Spiritu venit in templum, & quid dubitas dicere humilem? Spiritus enim Sancti in homine manſio, certisſima ejus eſt humilitatis probatio. Ubi nos habemus, (*q*) *ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum Spiritu, & trementem ſermones meos.* 70 extulerunt: Ambroſius & alii, (*r*) *ſuper quem reſpiciam, niſi humilem & quietum & trementem ſermones meos.* Cum autem compertum ſit, ſuper Simeonem Domini Spiritum requieviſſe, indubitatum ſit oportet, eum Spiritu humili & quieto abundaviſſe. Hujus autem humilis juſtitiæ tulit bonus ſenex liberale & invidendum præmium, quando in ſuas ulnas accipit Domini brachium. Sint fortunati alii, ſpiritu egentes, & tumore carentes, quia ipſi velut cardines orbem ſuſtentant: (*s*) Simeon tamen inventus eſt Fortibus Domini fortior,

(*p*) Luc. 2. 25. (*q*) *Iſai. 66. 2. 70 lect.*
(*r*) *Ambroſ. orat. in funer. Theodoſ.* (*s*) *Philo, de migrat. Abrahæ.*

tior, quia ipſam vitæ arborem poterat continere. Illam, prius citatam ſententiam, fructus juſti lignum Vitæ, (t) advertit unus nobilis interpres continere operis juſti mercedem. (u) Q. d. ſapiens, juſtus humilis & quietus ac tremens ad ſermones Dei, meretur loco mercedis & fructus operum ſuorum, lignum vitæ accipere, ſoluto nimirum mortalitatis tributo. At Senex Evangelicus, quod aliis ſerò poſt fata venit, ipſe maturatò ante facta, ſingulari privilegio accepit. Implevit ille juſtitiã, & ſuſcepit quod ſcripſit Auguſtinus: (y) neceſſe eſt inquiens ut oderit omnem iniquitatẽ amor Juſtitiæ; qui tantò eſt major quantò eum inflammat amplius dulcedo ſapientiæ, quæ præbetur ei qui obtemperat Deo, & à mandatis ejus intelligit. In Sapiente legis, in Simeone intuere ſententiam: (z) *timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.* Ecce Senex timuit Deum, cui & obſequenter humiliterque ſervivit, pro hoc autem ſervitio, arborem & fontem vitæ retulit, quare & ruinam mortis, qua plurimi obteruntur, Sapientiſſimè declinavit, quin & cum fonte vitæ ſaliente in æternam patriam tranſiliit. Itaque Simeon, (aa) ut homo naſcitur, ut juſtus vivit, finit ut Angelus. Vox eſt Originis, (bb) *habet quilibet Angelorum in ſe fontem aquæ ſcaturientem in vitam æternam.* Habuit & Simeon in ſe & extra ſe ejus

(t) *Prov.* 11. 3. (u) *Salas. in c.* 11. *prov. num.* 139. (y) *Aug. in pſ.* 118. *conc.* 22.
(z) *Prov.* 14. 27. (aa) *Joan.* 4. 14.
(bb) *Orig. in c.* 4. *Joan.*

ejusmodi fontem, quo perfusus resonare cœpit, nunc dimittis Domine servum tuum in pace. O quanti alii non solum in Jerusalem, sed etiam sparsi per orbem, tunc vivebant, qui tamen non sunt meriti lignum vitæ & fontem in manibus gestare: quia scilicet, in timore Dei non se tenuerunt: Ut Spiritus Domini in se requiesceret, non se comparârunt. Dati sunt morti ut Satrapæ illi, quos cadentes in lacum discerpserẽ leones. (cc) Senex autem justus cecidit in lacum ut Daniel, & mansit illæsus ut Daniel. Nunc tu superstes mortalis, scito quod arripias. Si turbinem tumoris mundani sequaris, feres in manibus lignum mortis, mare interitus. Si humiliter consectatus fueris justitiam, arborem vitæ in mercedem referes fontem vitæ pro præmio recipies. Sic autem nec æstum urentis Judicii senties, & famem vitabis æternam, quia fonte vitæ ablutus, contra mortem cantabis.

§. 6.

QUod si in Sene pulchra & umbrosa refulsit arbor humilis Justitiæ, quantò pulchrior, & fronde fructuque ditior in Matre Vitæ sese explicuit? Impletis purgationis suæ diebus, fert JESUM in Jerusalem: ecce arbos immortalitatis & gloriosæ æternitatis in maribus MARIÆ: Delatum, (a) redimit avibus, hostiâ volucrum se repurgat. Lex à puerpera par alitum requi-

 rebat:

(cc) *Dan. 6. 14.* (a) *Aug. in quæst. Levit. qu. 40. Chris. h. de bipop. Lec. ser. 2. de nat.*

rebat: Unam in sacrificium, quo supremus Dei dominatus in omnem animam hominis nati recognoscebatur: alteram pro hostia expiationis. Porrò virgo humilis, legique favens impense, utramque avem cum JESU sistit Domino. Et quidem avem holocausti præsentari Domino à Matre Virgine non miror, cui enim ipsa columba erat subjecta, eidem & ipsius pullus. Verùm quid facit in mundis manibus hostia expiationis & peccati? Non est aliud, nisi protestatio humilitatis, Quærunt authores, hostia pro peccato in mysterio Purificationis legalis puerperæ pro quo offerebatur? Et non paucorum sententia est, (*b*) illam pro filio aut filia nata, offerri solitam. Sed verius, pro ipsa puerpera. Sic enim lex sonat: (*c*) *deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ pro peccato, & tradet Sacerdoti, & orabit pro ea, & sic mundabitur à profluvio sanguinis.* Ubi audis dici deferet mulier agnum, orabit sacerdos pro ea. Cæterùm hostia pro peccato, quod puerperæ expiabat peccatum? De hoc latè alii. verè Toletus, cum (*d*) Esychio & aliis, profluvium sanguinis dici peccatum, sive pœnam peccati. (*e*) Hoc enim profluvium, impedimentum quoddam erat legale, quod removebatur per hostiam. Hinc autem Suboritur gravissima difficultas, cum in Virgine puerpera,

(*b*) *Orig. h. 8. in Lev. & præcitati.* (*c*) *Tolet. in c. 2. Luc. annot. 37. Lev. 12.* (*d*) *Esych. in c. 12. Lev.* (*e*) *Tol. in c. 2. Luc. annot. 38.*

pera, nec peccato nec profluvio Sanguinis fuerit locus, quæ enim ſine dolore Gaudium peperit Angelorum, (*f*) eadem ſine vitiis & redundantiis naturæ Agnum mundantem peccata, edidit: Quid igitur legis Avis expiabat, quæ nihil expiatione dignum in Virgine invenit? Non eſt aliud quod reſpondeatur verius, niſi hac avicula humilitatem MARIÆ promoveri ac conſecrari. S. certè Auguſtinus, (*g*) innocuas & mundas aves quas virgo obtulit, cenſet ſimbola eſſe juſtorum, non qualiuncunque addo, ſed quibus radix & vena humilitatis altiſſima. Guerricus (*h*) Abbas purificatæ Virginis juſtitiam conſiderans exclamat. *Mater prævaricationis peccavit, & excuſavit peccatum procaciter. Mater Salvatoris non peccat, & ſatisfacit humiliter, ut filii hominum, qui de matre vetuſtatis traducunt neceſſitatem peccandi: de matre Novitatis trahant humilitatem purgandi.*. Nos verò quamnam harum matrum ſequimur, vetuſtatis an novitatis. Mater antiqua peccavit, & peccatum procaciter excuſavit: non plantavit in ſe arborem vitæ arborem humilitatis, fatendo erratum quod commiſit, ſed ad frondes & inania umbracula & perizomata confugit quæ ſibi conſuit quæ ſibi confugit, ſcilicet velamenta nequitiæ, & excuſationum odibilium patrocinia quæritans. (*i*) Ita & nos, ſcimus peccare cum

---

(*f*) *Bernard. ſerm. ſign. magn.* (*g*) *Aug. l.* 16. *c.* 14. *de civ. Dei.* (*h*) *Guer. ſer.* 4. *de purif.* (*i*) *Gloſſa. in c.* 3. *Gen.*

cum Eva, novimus umbras excusationum prætendere, cum illa. Virgo autem peccati non conscia, pœnæ non obligata, inter immundas tanquam immunda consistere non erubescit. O quantum tu hic flagellaris immunde pudor, & stulta Pœnitentiæ erubescentia? non erubescis te maculare peccato. Non peccavi, non peccavi nosti millies clamare, & tamen (*k*) *tuum non peccavi, non est folium remedii, sed est propagatio delicti.* Folium remedii, verbum ad sanitatem æternam ederes, si, coram Sacerdote, peccavi, peccavi faterêre: tunc lignum vitæ, lignum veræ humilitatis accipiens, ad salutem temet disponeres.

§. 7.

O Filii hominum exclamat prædictus Abbas, (*a*) tempus purgationis advenit, quando mater summæ puritatis, de cujus purgatione, factus est nobis dies, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis quomodo debeamus purgari. Fons purgationis fons est justitiæ, fons cujus virtute, de trunco peccati, surgit arbos vitæ & humilitatis, sursum ascendens. Proinde immundi, ad fontem, ad fontem. (*b*) Legimus in vitis Patrum, discipulum cujusdam senis pro haurienda aqua ad fontem missum, cum autem in ejus fundo vidisset aspidem, sine hausta aquæ refugisse. Senex autem ubi re intellecta venit, hæc dixit, *ubi venit Christus, ibi non habet vires Diaboli improbitas*, & mox hausta aqua se pro-

(*k*) *Aug. in Joann.* (*a*) *Guerr. ubi supra.*
(*b*) *In vitis PP. Rosl. l. 8. c. 2.*

proluit non gustato cibo. Certè multis ad fontem purgationis Christi accedere, videtur ad fontem aspidum accedere, nec cogitant tamen, quia istæ aspides ipsa virtute Salvatoris mortificatæ, non tantum non nocent, sed & contra Draconis venena prosunt. (c) *Contribulasti capita Draconum in aquis* canit psalmus. Profectò veluti in aquis baptismi, in fonte Salvatoris primo, contribulatur caput Draconis, scilicet originale peccatum: sic item in fonte humilis Pœnitentiæ, fonte Salvatoris altero, omnium draconum tolluntur venena, & hauriuntur remedia. S. Augustinus explanans illa verba, (d) *notas mihi fecisti vias vitæ*, sic explicat: *notas fecisti per me humilitatis vias, quia per superbiam ad mortem abierunt.* Quod Dominus æterno Patri, hoc ipsum dicit omni homini: notas tibi feci vias vitæ quas tu quæris nec invenis, notas feci vias vitæ per vias humilitatis, non erubui cum Purificata parente quasi purificari in oculis hominum, tu qui desideras terminum Vitæ, sequere, non præcipitia altitudinis Sathanæ peccantis & non pœnitentis, sed trade te, humilitatis Viæ. Jam verò si ad exemplum Matris respiciamus, dies certè purgationis MARIÆ, purgationis & nostræ. Utendum est balneis, cum gratis patent, & deponendæ sordes, dum licet. Nunc potest omnis purgandorum cumulus una guttâ dilui; ubi autem dies purgationis abierint, nubes

(c) *Psal.* 73. 13. *Lor. ibi.* (d) *Psal.* 15. v. 11. *Aug. ibi.*

bes & maria, ignes omnes & incendia, incoctam labem non poterunt eradere. Cur prius baculus nuceus, deinde olla succensa visa sit Jeremiæ solet quæri? & respondet optimè Ambrosius, quoniam (*f*) *qui baculo non corrigitur, in ollam mittitur, ut ardeat & tabescat.* Sic planè in hac vita quod baculo corrigi potuit, si non corrigatur olla æternum accensa, exuri non potest.

§. 8.

SAlutat Matrem vitæ Doctor Seraphicus, (*a*) *Ave virgo vitæ lignum, quæ perenni laude dignum, Salvo voto quod vovisti, mundo fructum attulisti.* Quam ipsam salutationem purificatæ accommodare possumus, & tanquam lignum vitæ Salutare, siquidem non solum JESUM, sed etiam humilis Justitiæ fructum perenni laude dignum mundo attulit. Et quemadmodum mater facta est Salvatoris, Salvo, virginitatis voto: ita ad festum purgationis suæ, Virgo venit, & post illud Virgo abiit. Nos autem peccatores cum purgantis MARIÆ exemplo insistimus, fructum perenni laude dignum tanquam arbores vitæ germinamus. Accedimus ad fontem purgationis gloriosè, & recedimus ab eo item gloriosè. Multis serpens in occulto cordis sibilat, teipsum dedecoras, cum tua pudenda revelas: at mentita est iniquitas sibi, (*b*) quoniam ad fontem purgationis accedit anima ut meretrix hu-

(*e*) *Jer.* 1. 11. 13. (*f*) *Ambr. in psal.* 38.
(*a*) *Bonav. in psal. min. B. V. quinqu.* 1. 6. 1.
(*b*) *Bern. de inter domo.*

humilis, & è fonte recedit quasi Virgo & sponsa illimis (c) *Inter medium montium pertransibunt aquæ canit.* Psaltes, *de medio petrarum dabunt voces*, (d) nempe aves cantu vernantes. S. Augustinus explicat priorem sententiam, de magnis Sanctis, quorum sanctitatis cacumina emicuere super vulgi agmina, isti inquit acerbitates sustinuêre tanquam aquas per medium currentes. Nos verò dicamus, non solum verbum sed etiam exemplum Augustini sequentes, montes Dei, grandes Sancti, ducente suum exercitum, Matre vitæ, matre dies purgationis suæ terminante, grandia purgationum flumina, humiliationum onera, pœnitentiarum torrentes subiêre: & tandem arborem & fontem vitæ consecuti, cecinere ut aves cœli cum Sene, nunc dimittis servum tuum in pace. Certè ipse Augustinus, (e) septem psalmos pœnitentiales Vicinus morti cum lachrimis scribitur legisse, & monuisse, quantumvis nihil sibi conscium, non tamen debere esse ab humili Justitia & pœnitentia solutum & liberum. Non enim rigat Deus montes de superioribus suis, hoc est non fovet cœlestibus solatiis, (f) nisi prius per medium montium currant aquæ. Pulchrè monet Origines; (g) *gaudete in Domino, ut flagelletis Sathanam.* Omninò moriens gaudium suscipit à Domino, & flagellat imò mergit Sathanam, si per medium ejus

(c) *Psal.* 103. 11. (d) *Aug. ibi.* (e) *Possid. in vitæ Aug.* (f) *Aug. in psal.* 193.
(g) *Orig. in c.* 57. *Isai.*

ejus currant aquæ. Invocanda igitur Virgo eſt iterum cum S. Bonaventura, (*h*) *Ave Virgo vitæ rectæ, fac peccata nos perfectè, confitendo decorari, da te ſemper venerari.* Volumus omnes ut de nobis cantetur, in cœlis, de manibus juſti nata eſt arbor vitæ, (*i*) nunc ergo purgemus, juſtè injuſtitias.

ARTICULUS. VI.
VITA ASSUMPTA.

§. I.

MArtham & Magdalenam duas Sorores, duas figurâſſe VITAS complurium conſenſus eſt Patrum. In has duabus mulieribus inquit Auguſtinus, (*a*) intelligitis *duas vitas eſſe figuratas, in Martha quidem præſentem, laborioſam, ærumnoſam: in Magdalena autem futuram quietam, beatam.* (*b*) Alii autem Activam nomine Marthæ, contemplativam nomine Magdalenæ vitam indicari volunt. Et hæ quidem vitæ, quaſi rotæ diviſæ (*c*) in Sororibus iſtis duabus cucurrerunt: in glorioſa autem Matræ rota in medio rotæ, unita una alteri illuxit. *Spiritus vitæ erat in rotis ſibi ſociatis* viſus Prophetæ: (*d*) MARIÆ autem, non ſola rota ſuper cœlos elevata ut eſt vita contemplativa, abundavit vitæ Spiritu, ſed & alteram cum ver-

(*h*) *Bonav. quinquag. 2. circa finem.* (*i*) *Prov. 11. 3.* (*a*) *Aug. 27. ſerm. de verb. Dom.* (*b*) *Greg. l. 5. in lib. reg. c. 4.* (*c*) *Ezech. 1. 16.* (*d*) *Ezech. 1. 20.*

versaret rotam quam Gregorius (e) vocat rotam circumeuntem rerum transeuntium, eodem Spiritu sancto replebatur. In aliis Sanctis hujusmodi vitæ distinctæ, cucurrerunt separatim, in Virgine autem quasi duo grandes fluvii alueos suos conjunxerunt. In aliis Sanctis si Magdalena cum Martha convenit, inventus est cum eis & Lazarus pœnitens: in thalamo autem MARIÆ, inquit Bernardus, (f) Maria tantum & Martha inveniuntur, nimirum vita & vita, & nihil de morte. Qualis autem Virgo inventa est inter nos vivens, talis æthereum assumpta est ad solium, talis sedet ad fontem vitæ, talis torrente irrigatur Domus Dei voluptatis: (g) proinde meritò à nobis honoranda & consalutanda, Salve vita, vita.

§. 2.

MArthæ & Magdalenæ contemplatus S. Augustinus officia pronunciavit: (h) *illam intentam fuisse quomodo Dominum pasceret: istam quomodo à Domino pasceretur.* Et quanquam posterior priori sit prælata, non tamen prior contemnenda. MARIA sibi Martha aliis attendit: Maria suam, Martha miserorum vitam sustentat: Maria impletur, Martha erogat: Maria quiescit, Marthæ autem tumultosum ut ait unus officium, ad quietem pauperes componit. (i) Dedicatum est illud in Patre gentium Abra-

(e) *Greg. in l. 1. Reg. c. 2.* (f) *Bern. ser. 2. de assumpt.* (g) *Bern. serm. de S. Victor.* (h) *Aug. ser. 27. de Ver. Dom.* (i) *Bern. ser. 3. de assumpt. B. V.*

Abraham. *Cum videret Deus*, fatur Lyra, (*k*) *affectum Abrahæ ad hospitalitatem, tres fecit apparere Angelos in specie virorum, ut eis exhiberet hospitalitatis officium.* Quare etiam, addit Ambrosius, (*l*) ubi sedens in ostio tabernaculi tres hospites venire vidit, centenarius obviam cucurrit. Cur autem festinat Senex? Causam reddit Chrysostomus, *vidit* inquit (*m*) *prædam quam venabatur, & ipsam intra retia sua conclusit.* Quis jam contemnat hospitalitatis labores, si retibus ejus licet, felicem, & hactenùs intentatam prædam omni venationis generi, nempe Angelos cœlorum, tanquam hinnulos cervorum concludere? Et non erat hoc epulum simul vitæ instruere, intelligentias cœlestes, & vitas sublimes pascere, & tractare? Donum (*n*) Dei censent venatores, cum eis opima præda obtigit: similiter & hospes cujus limen subivit, ut missum à Deo munus subivit: Pulchrè apud Homerum (*o*) Nausicae Alcinoi Phæcum regis filia Ulyssen, fæda tempestate naufragum suscipiens, hic miser errans venit ad nos, quem nunc ornare oportet

A Jove enim sunt omnes hospitesque, pauperesque,
Donum quidem parvum, sed gratum,
O famulæ date hospiti cibum & potum.

Quomodo verò hospes parvum donum & gratum? Parvum, censu insipientium, gratum, judicio

(*k*) *Genes.* 18. *Liran. ibi.* (*l*) *Ambr. lib.* 4. *de Abr. c.* 4. (*m*) *Chrysost. hom. in Genes.*
(*n*) *Genes.* 27. 20. (*o*) *Homer. odiss.* 2.

dicio Sapientum. Quidni gratum? quia non lepus, non ales, non ceruus capitur, cum hospes domo ſuſcipitur. Quid ergo ſuſcipitur? (*o*) *Abraham* inquit Ambroſius, *dum peregrinantibus defert hoſpitium, Deum atque Angelos hoſpitio ſuſcepit. Quamvis & cum hoſpitem ſuſcipis, haud dubiè ſuſcipias Deum, dicente Domino, hoſpes eram & collegiſtis me. Quod enim horum uni feciſtis, mihi feciſtis.* Sic Ambroſius. Plato (*q*) ille divinus deſcribens mores, titulosque Amoris, vocat eum VENATOREM ſagacem. Quid autem Amor ſuis retibus captat? corda. Retia enim amoris præcipua habentur munera, quibus quicquid vult expugnat. Hoſpitalis verò Amor quidnam venatur? item corda, ſed tria: cor peregrini quem hoſpitio colligit: ſuum, quod ſæpe malè diſperſum recipit, denique Chriſti, cujus in viſcera ſua cogit munera. Et verò minimè dubium, peregrinos hoſpitalitatis gratia capi ſolere: (*r*) ab altero expectes, vulgo jactatur, quod præſtiteris alteri: ſed & ſeipſum capit, ſeipſum ornat, ſeipſum reficit, qui vagum colligit & reficit: (*s*) Exceperat aliquando quosdam Græcos per aliquot dies magnificè Lucullus, illi verò mirati, quod tantum impendiorum ſui cauſa faceret? quibus Lucullus nonnihil veſtri cauſa ô hoſpites, ſed maxima pars Luculli gratia. Denique in Chriſti viſcera, tranſire hoſpitantis

(*p*) *Ambr. de Abrah.* (*q*) *Plato in ſympoſio.*
(*r*) *Adagium.* (*s*) *Plutarch. in apophteg. Roma.*

tantis dona clarum eſt, quod minimis feciſtis (t) mihi feciſtis. Ubi quaſi furtim obſerva ſecretum ſapientiæ loquentis, mihi feciſtis, quod minimis feciſtis. Addidit minimis, non expreſſit, magnis, nec univerſaliter protulit, quod meis feciſtis, ſed, quod minimis. Heu munde immunde, tu curris ad magnos, ad maximos, & trahis eos ad tuam menſam! non ſunt iſti minimi, vide in quæ viſcera mittas tua dona. *Solatium Charitatis* inquit interlinearis gloſſa, (u) *Deum capit*: luxum autem vide quis rapit. Rectè quo circa monet Eccleſiaſticus, (x) *tranſi hoſpes, orna menſam, & quæ in manu habes, ciba cæteros.* Orna menſam capio, ciba cæteros intelligo, tranſi hoſpes, non aſſequor. (y) Eſt qui dicat, & ita eſt, hæc verba eſſe duri patrisfamilias, qui in ædes ſuas invitat peregrinum, ſed ſub conditione inamabili & ſordida, ſi potes ſternere, menſam, & te, meque ac cæteros cibare Forte, & iſte ſenſus non erit abſonus, ſi, hoſpiti hoſpitanti ſive Patrifamilias dicatur, ſterne menſam, da quod habes, ciba viatorem, & tranſi: tranſi de peccato ad pœnitentiam, tranſi de pœnitentia ad felicem mortem, denique de morte ad immortalem vitam. An enim qui ſuſcipis Chriſtum, non te diſponis, ut ſuſcipiaris à Chriſto?

§. 3.

Ex hiſce patet, qui hoſpitali vitæ vacat, vitæ ſe conſecrare, & filium vitæ ſe ſcribere æternæ. At

(t) *Matth.* 25. 40 (u) *Matth.* 25. *Ibid. gloſſa.* (x) *Eccle.* 29. 33. (y) *Corn. à Lap. Tir. Men. ibi.*

At pronunciat Siracides: (a) *vita nequam hoſpitari de domo in domum, & ubi hoſpitabitur non fiducialiter aget, nec aperiet os ſuum,* (b) quare & hoſpites hujusmodi colligere, non erit omninò laudabile. Cave, verbum, NEQUAM, pro improbo accipias: (c) vita nequam hoſpitari eſt, vita miſera & laborioſa: non tamen probis indigna, utpote quam in ſuſcepto viatorum corpore, rex cœli dedicavit & nobilitavit: ſicut & exceptores hoſpitum Regina cœli, vita mundi, quæ regem cœli ſuſcepit, conſecravit: (d) Advertêre nonnulli, primum hoſpitalitatis Adminiſtrum in ſacra laudari Scriptura Abraham: qui tamen priori cedit Virgini. Ille enim Angelos, iſta Dominum Angelorum excepit: (e) ille ſub umbra arboris non in tentorio ſuæ manſionis, iſta ſua viſcera Deo obtulit tabernacula. (f) An laverit Abraham ſuorum hoſpitum pedes in certum eſt, dixit enim, *laventur pedes veſtri,* (g) & non, lavabo: Virgo autem vita noſtra præſtitit Deo infanti quod matres, & pietatis ſuæ, ejus lavacro, lacrymas miſcuit, quod non faciunt matres. Abraham hoſpites quos in fervore diei, accepit, ante noctem dimiſit: Virgo quem utero ſuſcepit, novem menſibus portavit. Appoſuit Abraham buccellam ſuis, quæ con-

---

(a) *Gloſſa, in c. 25. Matth.* (b) *Eccle. 29. 30.*
(c) *Corn. à Lap. Tir. Menoch. ibi.* (d) *Perer. tom. 3. in c. 18. Geneſ. num. 12.* (e) *Geneſ. 18. 4.* (f) *Perer. ubi ſupr. num. 10.*
(g) *Geneſ. 18 4.*

consumpta est: Virgo quam carnem Deo viatori dedit, inconsumptam videt, & lætatur. Sed, neque tu Sanctissima Domini Hospita, Soror Mariæ, Virgo integritate, plena charitatis ac viscerum Martha, æquare potes, hospitalitatis officium Marianæ. Exclamat super facto tuo Card. Toletus, (*h*) *magna virtus hospitalitas est, & Deo grata!* Christum autem excepisse valdè commendandum est, præsertim apud Judæos, qui eum summo prosequebantur odio. Commendatur ergo tua caritas fortissima quam flumina inimicorum Christi non obruerunt. Commendatur & religiosa divini verbi fames, nam tu quoque initio cum Sorore ad pedes sedens, (*i*) Capitis tui cœlestem rorem apicula sugebas. (*k*) Dicit enim de te sacra historia, quæ etiam sedens, secus pedes Domini audiebat verbum illius Maria sedebat & verba Dei audiebat, cum Maria etiam altera sedebat, & hæc non est alia, nisi tu Virgo Martha. Cnmmendatur & tua prudentia: (*l*) sciens enim Quantum excepisses, circa multa, ut Dominum omnium pasceres, satagebas: nec ille improbavit tuum aut affectum aut studium, (*m*) sed tui miseratus, se paucis contentum, te multis non debere esse distractam ac distentam ostendit. Denique cum te monuit Martha Martha sollicita es: (*n*) hæc repetitio nominis, indicium fuit dilectionis; hæc

(*h*) *Tolet. in c.* 10. *Luc. in comment.* (*i*) *Luc.* 10. 39. (*k*) *Tolet. in c.* 10. *Luc. annot.* 66. (*l*) *Glossa in c.* 10. *Luc.* (*m*) *Greg. l.* 5. *in libr. reg. c.* 4. (*n*) *Aug. ser. de verb. Domin.*

hæc geminata vox Martha, Martha, (o) familia- ritatem & dulcedinem quandam cum reprehen- sione admixtam significat.

§. 4.

POrrò hospitalitas vitæ nostræ Virginis, non solum Abrahæ & Marthæ sed & omnium San- ctorum charitatem claudebat & superabat. Tria tamen præcipuè in convivio, (a) quo Deum MARIA triginta annis tractabat, eminebant, illudque singulariter ad gustum Dei condiebant. Primum erat frugalitas, (b) quam matrem o- mnis boni nominabat Pithagoras: planè juxta Leviticum sive regestrum à Deo præscriptum: *Initium vitæ hominis* (c) inquit Ecclesiasticus, *aqua & panis, & vestimentum, & domus prote- gens turpitudinem.* (d) In græco textu legitur, *archi, sive præcipuum, summa & caput vitæ huma- næ.* In mensa Virginis hæc aderant, (sicut & domus excipiens, & vestimentum contegens Deum hospitem) aberat autem multitudo & va- rietas ferculorum, & antecedenter turbatio, & consequenter mala animi, corporisque habitu- do. Panis deliciæ erant, missus olusculum. Sal condimentum. (e) Hæc mediocritas DEO placebat, quam etiam propter, cum posset di- vitem, elegit Matrem pauperem. Alterum quod

X or-

(o) *Tolet. in c. 10. Luc. in comment.*
(a) *Hieron. in vita.* B. V. *seu Sophr.* (b) *Justin. l. 20. hist.* (c) *Eccle. 26. 27.* (d) *Græcus textus Menoch. ibi.* (e) *Bonav. de vita Chr. c. 7.*

ornabat mensam Virginis, erat, non alienus sed proprius labor. Gloriatus est olim Apostolus, (*f*) *mihi & his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ.* JESU verè vestimentum, cibum, potum ministraverunt manus Mariæ. Solemus non dona tantum mensæ, sed etiam vulnera pugnæ de manu vulnera infligentis æstimare. (*g*) Duo Reges Madian à Gedeone victi captique videntes decretam instare sibi mortem, ultimum quasi Solatii petunt ab eodem. *Tu surge, & irrue in nos.* (*h*) Alius lethale telum in moribundum librans, quasi leniens istum, Æneæ magni dextrâ cadis. Diocletianus (*i*) Eximperator tractans lactucâ manu sua consitâ, *de meo horto* inquit amice, *& brachio.* Uxor Maximi Cæsaris micas, de manu Martini Sancti cadentes collegisse: (*k*) & quasi sacras reliquias sumpsisse refertur. Non dedignata est Virgo manus suas demittere in gratiam JESU sui ad culinarios labores: cui patriæ, illi JESU fumus dulcis erat. (*l*) Sicut & tempus quod orationi ac meditationi supererat, ut affirmabat B. Bonaventura, in manuali labore collocabat, ac colo & acu quærebat sibi ac filio necessaria: suebat ergo & filabat mundi Domina, paupertatis amatrix. Sic ille. Atque hoc fortasse Spiritus Sanctus in illa forti quam descripsit, signavit muliere quando

(*f*) *Act.* 20. 34. (*g*) *Judic.* 8. 20.
(*h*) *Æneid.* 11. (*e*) *Baron. in annal. ad annum* 280. (*k*) *Sev. Siulpit. Ep. in Vita S. Mart. Ep. Turon.* (*l*) *Bonav. de Vit. Chr. c.* 12.

quando eam laudat à manibus, quibus plantavit vineam, (*m*) à brachio quod roboravit, & non dissolvit, à consilio manuum quo operata est lanam & linum, & inter alia, *de nocte* inquit surrexit, *deditque prædam domesticis suis.* Certè vita nostra virgo, (*n*) sicut David Pater in intellectibus manuum suarum pavit greges, sic ipsa consilio manuum suarum linum & lanam ut operiret Deum, Deum hospitem, vineam & vitem ut reficeret eundem operata est, diurno labore: Sed neque pepercit noctibus. Nam expedito tributo naturæ, quiete, in prædas captandas se dedit, ut domesticis suis eas divideret. (*o*) Nomine autem prædæ ut advertunt doctiores interpretes, non significantur spolia militum, sed spolia quæ colligunt feræ matres. Ut igitur amans leæna sui catuli ablactati, dum homines quiescunt, ipsa currit, quærit, portat pro catulo escam: Sic Virginum Princeps, & mater Dei peregrini laboriosas duxit noctes, nendo, texendo, acu pingendo, ut haberet quod unà cum caro Josepho in symbolam communis mensæ conferret, & Deo in terris esurire dignato, apponeret Tertium, quod Marianam condiebat mensam erat, cum cibo corporis, cibus animæ conjunctus. Describens Origenes apparatum convivii spiritualis quo DEUS gaudet: *pax* inquit (*p*) *primus cibus est, humilitas simul apponitur, ac patientia, mansuetudo quoque*

(*m*) *Prov.* 31. 17. 13. 15. (*n*) *Psal.* 77. *v. ult.*
(*o*) *Cajet. in prov.* 31. *Salas. Corn. à Lap. ibi.*
(*p*) *Orig. hom.* 2. *in Cant.*

quæ ac lenitas, & quod ſummæ ei ſuavitatis eſt, puritas cordis. Charitas autem in hoc convivio principalem obtinet locum. Porrò vitæ noſtræ Virginis pœnè tota vita hujuſmodi Deo fercula explicabat, ſed maximè Joſeph aucta & JESU. Invitat S. Bonaventura, (q) conſpice qualiter iſti tres comedunt ſimul ad unam menſam per ſingulos dies, non lautas & exquiſitas, ſed pauperes & ſobrias cœnas ſumentes: nec minus mente reficiantur quàm corpore: qualiter poſtea colloquntur, non inania & otioſa verba, ſed plena ſapientia, & Spiritu Sancto. Quod ſi pax & patientia, manſuetudo & lenitas dulcis Deo bolus, hos ſæpè virgo offerebat ſuaviſſimos & rariſſimos; jam ut ait Petrus Caniſius (r) in Ægypti peregrinatione ac manſione, jam in habitatione Nazareth plures injurias, ac ſuperborum contemptus perpeſſa, (s) & laborum ſuorum iniquam fraudem patiens. Puritatem & Charitatem in MARIA ne quæras, ſicut nec in mari aquas.

§ 5.

HÆc Chriſtiane qui attendis, & MARIAM VITAM tuam agnoſcis, nonne ad duo extimularis urgentiſſimè? alterum ut hoſpites miſericordia colligas: alterum ut tria MARIÆ condimenta, menſæ tuæ apponere labores. In hoſpites officia omnes gentes ferè receperunt, quas ego mitto, ſed Sueciam omittere nequeo.

(a) Ca-

(q) *Bonav. med. de vita JESU. c. 15.*
(r) *Canis. in Marial.* (s) *Bonav. de medit. vitæ Chriſt. c. 12.*

(a) Carolus ejus Rex legem ſanxit, ut Gothi, & Suedi jam inter ſe, jam ad advenas hoſpitalitatem obſervarent, (verba hiſtorici refero) ſummumque nefas ducerent, quicunque viatorem tecto arceret. Quod ſi quis facere tentâſſet, & idoneis teſtibus ter negaſſe hoſpitium convictus fuiſſet, ædes ejus comburerentur, ut domibus propriis juſtè privaretur, qui earum uſum inhumaniter denegâſſet. Hoc Suecum terreat, illud Chriſtianum omnem ad hoſpitalem Charitatem excitet; igne non uretur æterno, cujus domus lucet exemplo MARIÆ. Jam parſimonia, (b) quem non invitet? paucis contenta, vectigal domi auget, & nolentibus aliis aut invidentibus diu vivit. Pulchrè Plutarchus, Epheſiæ Dianæ templum tutos reddebat à creditoribus: at multò magis frugalitas & parſimonia præbet aſylum pulchra res eſt, inquit Theologus Græcorum, tenuitas victus: (c) Joannes camelo tegitur: Petrus lupinis veſcitur, Gedeon (d) cavâ bibit, & vincit addo ego. At tu profuſio & luxus triſtis, ad momentum titillas, & in longum perdis. Audi vatem Inde aſpice latè, Florentes quondam luxus, quas verterit urbes.

(e) Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.

(a) *Joan. Magnus. lib. 4. c 2.* (b) *Socrat. apud Stobæum de parſim. Plut. in moral.* (c) *Nazian. orat. 16.* (d) *Judic. 7. 6.* (e) *Silius. l. 15.*

Jam verò quam felix, ille, quem proprius labor pascit. (*f*) Aliquis testudini quæ domum secum semper portat, acutè subscripsit, sub parvo, at meo. Ille sublimiorem nactus est fortunam qui tumulo incidit tria verba suo, vixi meo & parvo. Vivunt mundi splendidè & in superbia mensarum triumphant, nunquid semper de suo? Pater Minimorum S. de Paula, volens ostendere Regi Galliæ, (*g*) qualis moneta, & unde nata regem aleret, vestiret, armaret, áureum coram eo aulaque frequenti diffregit digitis, & continuò ex eo diffracto fluxit sanguis quasi diceret, sanguis pauperum, splendor divitum & dominorum. O si Deus multorum panes vellet frangere, & fercula unde prodierint manifestare, quantæ opulentorum mensæ lachrymis pauperum, sanguine oppressorum inundarent? (*h*) Olim Christianis in primo Apostolico Concilio vetitum fuit, sanguinem, & suffocatum inferre mensis. Hodie verò Judæi abstinent à sanguine & multi, à suffocato animali, Christiani. At quanti, suffocati Fratris Christiani hodie devorant substantiam? Unus in Evangelio (*i*) scripto legitur servus nequam, conservum debitorem tenuisse, suffocando, & redde quod debes muguisse: at nunc in vivo Evangelio (sic voco Christianam Ecclesiam) (*k*) videtur unus nequam & avarus servus, de-

(*f*) *Testud. emblema.* (*g*) *Fasti Mar. 2. April. in vita S. Franc. Minimorum.* (*h*) *Act. 15. 29.* (*c*) *Matth. 18. 28.* (*k*) *Glossa in Philipp. epist.*

decem, centum, mille conſervos tenere, & ſuffocare & rugire, redde quod non debes? Natis in uſum lætitiæ ſcyphis. (*l*) Pugnare Thracum eſt, inquit ille: ſed & ſuffocare Chriſtianos natos in libertatem Evangelii ac cœli, ſit Thracum: mittite barbarum morem, gentes fide cultæ, & à ſanguine fraterno, & ſuffocato Chriſtiano abſtinete. Quod ſi ſurdi ad hæc verba ſtatis, videte, ne quod hodie viventes, cras morituri, conculcata juſtitia voratis, tota deinde æternitate non concoquatis. Tertium condimentum menſæ veſtræ adſit, ut dum ipſi vos corpora reficiſtis, Spiritus veſtri convivio Chriſtum reficiatis. *Cor non comedas*, monebat olim Pythagoras, (*m*) hoc eſt ne tè inanibus curis mordeas & conficias. Quod ſi viro virtutis omni tempore ab eſu morſuque cordis ſui abſtinendum eſt, quando amplius eum inter menſæ munera, laxanda ſunt ab inquietis cogitationibus corda? & animus reddendus paci, lenitati, (*n*) manſuetudini, quæ ſunt cibi Dei? Joſephus Prorex Ægypti, cupiens ſolemne prandium fraternæ charitati atque agnitioni dare, (*o*) ait domus ſuæ præfecto: *occide victimas, inſtrue convivium.* Quas porrò victimas ille occidit, qui aras Ægyptias Joſephi hoſtiis non ſolere coli onerarique ſcivit? Victima de victis hoſtibus olim offerebatur: quos autem hoſtes vicerat; qui de victimis concinnari convivium jubebat: (*p*)

 Re-

(*l*) *Horat. l. carm. ode.27.* (*m*) *Pythagoræ monitum.* (*n*) *Origen. hom. 2. in Cant.* (*o*) *Geneſ. 43. 16.* (*p*) *Philo. de Abrah.*

Respondent interpretes, Josephus seipsum vicerat, & malitiam fratrum beneficentia sua obruere contendebat. Vicerat ergo seipsum ut Dominum, humilitate: ut vindicem placabilitate: ut asperum lenitate, ut durum mansuetudine: ut venditum caritate: sed & fratrum nequitiam vicerat, illi enim pasti (q) impastum eum & jejunum Ismaelitis in servitutem vendiderant: iste pro jejunio convivium, pro pauco argento, opulenta dona, pro servitute libertatem & gloriam illis refundebat. Tale porrò decet convivium omnem Virginis SS. cultorem: decet enim jugulare victimas, (r) hoc est omnis hostilitatis in animo residentis feritatem. Aut enim ille vult Deum suæ interesse mensæ, aut non: si vult, Deus pacis victimas jugilari vult hostilitatis: si autem Deum à sua mensa excludit, rodet & mordebit cor suum, nec dignum se faciet, (s) ut cum aperiente Deo manum suam omne animal implebitur benedictione, ipse salutarem escam percipiat. Occide victimas, instrue convivium Christiane. Nec procul quære victimam, (t) in te illa stabulatur, in te malè mugit: macta malam voluntatem, & tractato benè Deo comede panem tuum in lætitia, S. Gregorius (u) loquens de victimis Joseph, *detersa est ira quæ apparebat, & non erat: ostensa est misericordia quæ erat, & non apparebat*: tu autem absterge iram

(q) *Corn. à Lap. in c.* 43. *Genes.* (r) *Glossa. in c.* 43. *Genes.* (s) *Psal.* 144. 15. 16.
(t) *Greg. in libr.* 1. *Reg.* (u) *Greg. in Ezech. homil.* 22.

iram quæ eſt, licet non appareat: oſtende miſericordiam quæ non erat, ut appareat.

§. 6.

HActenus in activa Marthæ, nunc in contemplativa vita Magdalenæ videamus VITAM noſtram Virginem Principem. Laudans Salvator contemplationem Magdalenæ, (a) *optimam* inquit *partem elegit*, & quidem *quæ non auferetur ab ea*, & in qua unum quod ſuper omnia neceſſarium eſt clauditur. Hoc verò ſpeciali jure competit Matri Virgini, cujus contemplatio ſicut contemplationem vincebat Magdalenæ, ſic pars partem, & unum, unum. Illud, non auferetur ab ea, explicat & verè Toletus, (b) nunquam ego illi dicam, ut deſerat, quod facit, & adjuvet te: ſed tamen contemplatio Magdalenæ non raro aliunde interruptionem paſſa eſt, MARIÆ nequaquam, ut non paucorum eſt ſententia. Salutans Seraphicus Doctor illam, (c) *ave* inquit *cœlum ſpirituale, ſummum intellectuale*. Si ſummum, ergo ſupra intellectus humanos & Angelicos (d) At Angeli Sancti nunquam à contemplatione & amore ſui creatoris ceſſaverunt, cum ad terminum vitæ æternæ perrexerunt ut vulgo docetur. Luciferum & Angelos ad alia conſideranda ſuperbus avocavit affectus: gratia autem Sanctos Spiritus, in amore & ele-

(a) *Luc.* 10. 42. (b) *Tolet. in c.* 10. *Luc. in comm. & in annot.* 73. (c) *Ambr. de Virgin. Scotus.* (d) *Bonav. in pſalt. minore* 3. *quinquag.*

vatiſſima cognitione ſummi boni tenebat. S. Auguſtinus (*e*) de Magdalena loquens, illa ait, ſedens ad pedes Domini implebatur, quia aqua defluit de tumoribus collis, & implet humilitatem vallis. Quis autem Matre Dei inter omnes choros electorum mente humilior? (*f*) Exinanivit ſeipſum formam ſervi accipiens Deus, ſed prius exinanivit Matrem ſuam, ut inde de forma perfecta ſervi, ſervi formam mutuaret. (*g*) Et certè debuit eſſe ſumma in humilitatis profunditate, quæ caput contritura erat ejus, qui nomen ſuum ſupra omne nomen, altiſſimâ ſuperbiâ elevare contendebat. Semper ergo MARIA ad pedes Dei jacebat. Promittit Moyſes: (*h*) *qui appropinquant pedibus Dei, accipient de doctrina ejus.* Humilis enim auditor ſermonum Dei inquit ſuper hæc Cornelius, (*i*) tunc fit capax ſecretorum cœleſtium, cum fit humile Dei ſcabellum. Prudenter & profundè Lyranus: (*k*) per pedes doctrina Capitis auditur. Vide hic ut ſe dividat divina ab humana Sapientia: humana audit doctrinam capitis, per aures capitis: Divina autem Sapientia non percipitur, niſi aures ad imos deſcenderint pedes, & cum toto capite, ſenſuumque arce. Humilibus enim revelat ſe ſapientia divina, ab inflatis recedit. S. Ambroſius verſans illos ſubcinericios panes, (*m*) quos

(*e*) *Aug. ſerm.* 27. *de verb. Domin.* (*f*) *Philip.* 2. 7. (*g*) *Genes.* 3. 15. (*h*) *Deut.* 33. v. 5. (*i*) *Corn. à Lap. ibi.* (*k*) *Lyran. ibid.* (*l*) *Interlin. in c.* 11. *Matth.* (*m*) *Genes.* 18. v. 6. *Ambr. l. de Abrab.*

quos Sara tribus Angelis ex imperio Abrahæ fecit: ex græco vertit abſconditos; docetque divina myſteria ſignari, & profunda ſcientiæ Dei, quibus paſcitur Deus, aliosque paſcit. Cur autem abſconditos ſcientiæ panes Deus vult eſſe ſubcineritios, hoc eſt ut exponit (n) Heſychius in cinere factos, ut Suidas, cinere tectos? innuit nimirum inquit alius, ibi inveniri panes Dei, ubi habetur humilitatis cinis. Cum ergo B. Virgo ſupra omnem creaturam cinerem dilexerit, humilitatem coluerit, oportet ut ipſa appropinquans ad pedes Dei proximus, de doctrina quoque acceperit uberius. Salutanda igitur ore & corde S. Bonaventuræ, ave cœlum ſpiritale, ſummum intellectuale.

§. 7.

S. Hieronymus, & poſt eum non pauci, (a) VITAM noſtram Virginem, Aquilam cœleſtem nuncupârunt. S. autem Gregorius, (b) ſymbolo aquilæ ſublimem Sanctorum intelligentiam adumbrari obſervat, qualiter inter Evangeliſtas B. Joannes, Aquila vocatur. Virgo verò Mater an ſcientiæ ſublimitate non ſuper ſanctas cœli aves tantum, ſed etjam ſuper ejus Aquilas non ſupervehitur? Illa inquit Lyranus (c) non ſolum conſervabat, ſed etiam in corde ſuo conferebat prophetias antiquas cum novi teſtamenti theſauris. Quærit Deus apud Job:

(n) *Heſych. in 18. Gen. Suidas. Gloſſa ibi.*
(a) *Hier. de Vita B. V.* (b) *Greg. lib. 31. mor. cap. 19.* (c) *Lyran. in c. 2. Luc. Job. 39. 27.*

nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidum sibi. Ubi Gregorius, (*d*) elevatur anima per contemplationem, & omne quod præterit, cordis volatu transcendit. Certè tamen antequam elevetur contemplatione, oportet ut anima Sancta se elevet ad Dei præceptum & consilium. (*e*) Frustra enim regis affectat convivium, qui prius non implet præceptum. Certè & aquila dicitur posterius in arduis nidificare, in petris manere, in silicibus commorari: tum denique contemplari escam, eâque, se suosque sustentare pullos: prius autem præceptum audire, & audito eo, non se motitare & cunctari, sed elevare. Virgo autem Dei genitrix, quæ nobis consilia, sibi habuit imposita tacitè præcepta. Virginitatem perpetuam voto obligare, non fuit mandatum grave? elevavit se ad hoc nostra Aquila: matrimonio sese illigare, & virginali libertate frui, non fuit arduum factu? mitto cætera. Post ejusmodi expleta præcepta, (*f*) evolavit in ardua Sanctis inaccessa: quod aliis vix datus videre, ibi datum est MARIÆ etiam nidum locare: in Deo enim Spiritu Sancto mansit, & de eo fœtum accepit. In petra mansit, quia Christo 30 annis convixit. In præruptis silicibus commorata est, quia Angelos sibi obsequentes expera est. (*g*) Inde contemplata est escam, quia Divinæ ma-

(*d*) *Greg. l.* 31. *c.* 16. (*e*) *Interl. in c.* 39. *Job. Job.* 39. *v.* 27. 28. 29. 30. (*f*) *Greg. lib.* 31. *mor, c.* 19. (*g*) *Greg. ibid.*

majeſtatis ſuavitatem, non libavit tantum, (*h*) ſed ut à multis Doctis docetur, etiam cœpit, eaque paſta & ſaginata eſt in Filii conceptione, in Nativitate, & alias. In uno tamen recedit noſtræ Aquilæ contemplatio, à contemplatione Aquilæ volucris. De iſtius oculis dicitur: (*i*) *oculi ejus de longè proſpiciunt*, cernunt terram de longè. At non ſic VITA noſtra, cœleſtis Aquila Virgo: cernit terram de prope, quamvis corpore ſejuncta ſit à terra longè: contemplatur eſcam ſibi, contemplatur & famem noſtram. Audit JESUM de noſtris miſeriis ſibi loquentem, & adeſt ut Martha de nobis ſollicita, ut nunc multis, poſtea uno nutriamur cibo.

§. 8.

VIdit ſublatis in cœlum oculis Spectaculum dulce Ambroſius, (*a*) & paucis ſignificavit: *miſericordia MARIÆ currit & diſcurrit ut Salvet.* Ritu aquilæ ſcilicet, nam ut ipſa pullis quò provideat, eſcam quam vidit, (*b*) volatu perſequitur, ſic vita noſtra virgo quorum neceſſitates in Deo videt, eisdem ſuppetias diligenter mittit miſericordia enim ejus per mundum currit, ut ſalvet. Currunt ab ortu in occaſum Soles, (*c*) ut terrarum ſpatia illuminet, currunt per noctes aſtra, ut tempora diſtinguant, (*d*) currunt in orbem maria, ut aridam humectent, cur-

(*h*) *Salaſar. de conc. c. 32. latè.* (*i*) *Job.* 39. 29. (*a*) *Ambr. lib. 2. comment. in Lucam.*
(*b*) *Maiol. colloq. de avibus.* (*c*) *Eccle.* 1. *v.* 5.
(*d*) *Geneſ.* 1. 14.

currunt nobiscum Angeli, ut in viis omnibus custodiant, (e) currunt septem Dei oculi per gentes & regna, ut rectè disponent, eisque provideant, currit item Misericordia MARIÆ ut salvet. O Vita! ô Salus mundi post Deum MARIA! quoties salutanda & resalutanda es ut VITA! Soles etenim currunt & astra, maria, & Angeli, & ipsi septem oculi Dei, nunc ut Salvent, nunc ut perdant. Quantos enim Sol serenior ussit, & percussit? quantos Sirius incendit, orion mersit? multos mare dorso tulit, multos item devoravit: sed & Angelus Domini Judam, (f) & Ezechiam defendit, 185 millia Assiriorum una nocte peremit. Vos quoque oculi divini, nunc lucem nunc ignem mittitis: aliquando cum palma, aliquando cum VIrga ferrea venitis: Misericordia autem MARIÆ tota vitalis est, nihil mortis habet, currit & Salvat, adest & liberat, illustrat & non urit, lavat & non mergit. Cum divina Misericordia, currit simul Justitia, & cum clementia vadit Severitas: Misericordia autem MARIÆ, si currit cum justitia, currit ut eam refrenet, temperet, reconciliet. Cæterùm in suo illa comitatu nullam habet apem, dulcem cum aculeo: currunt ante illam gratiæ cum choris, seqvuntur post illam, (g) aliæ gratiæ cum fontibus ac fluminibus mellis & lactis. Quid multis? Misericordia MARIÆ currit cum agmine triplicis vitæ, naturalis, gratiæ, & gloriæ, cur-

(e) *Psal.* 90. 12. *Zach.* 3. 9. (f) 4. *Reg.* 19. 35. (g) *Ambr. ubi supra.*

currit ut Salvet. Andreas Cretensis, (h) celebrans Sanctam Matrem in cœlos relatam, tu inquit Virgo es penarium vitæ, cui nihil auferri potest, addo, nec addi. Non addi: quid enim ultra Dei matrem, superest melius & dignius, quod creaturæ concedi posset? Jam quid de penario Virginis auferri potest? Promit Sol de penario lucis tanta per secula radios vitæ faventes, an aliquis eorum defecit? Tantum est reconditorium vitarum omnium in Virgine, ut de eo nihil sterilitas & fames nihil morbi & lues, nihil bella & cædes, prout apud nos, diminuerint. A mille & sexcentis amplius annnis, de horreo Virginis, de cellario MARIÆ, de Spiritu Deiparæ, vivit Sanctior, imò & totus mundus, nulli tamen penario Mariano, quicquam decessit. Dictum est Magdalenæ, (i) de parte ejus optima, non auferetur ab ea: de parte autem MARIÆ, nec illi nec servulis ejus immensa quicquam auferet æternitas. (k) *Qui me invenient, invenient vitam, & haurient salutem à Domino.* Credimus tibi Virgo Parens, vita nostra, tibi inquam credimus. Qui te inveniunt cum per postas ostii occidentalis exeunt, inveniunt penarium vitæ, (l) quod perdi non potest: hauriunt salutem quæ nec epotari nec corrumpi potest: ut tua, sic illorum pars optima auferri non potest. Utinam nunc duram vitam viventes, te utamur ut petrâ, Dei animalia. Lambunt

---

(h) *Andr. creten. orat. 2. de Assump. B. V.*
(i) *Luc.* 10. 42. (k) *Prov.* 8. 35.
(l) *Prov.* 8. 34.

bunt ſalis petram animalia inquit Gregorius, (m) & meliorantur, ſcilicet in vita. Lambamus & nos imitantibus vitæ veſtigiis te divini ſalis petram, & melioremur in moribus. (n) De te nobilis interpres tota Virginis vita, jucundiſſimum animis convivium præſtat, & cœnam veram. In te namque invenit actuoſa quomodo familiam regat benè Martha, hoſpites excipiat, Deum pane ſuo tractet. In te quoque contemplatrix Magdalena, quomodo unum in omnibus quærat, diſcit. Te ergo utraque lambet & tenebit, & Petri (o) verba verſabit: per Evam, poculum mortis porrigitur, per MARIAM VITÆ & PACIS poculum exhibetur.

CAPUT. V

DULCEDO SALVE.

Rectè poſt titulum VITÆ, ſequitur titulus DULCEDINIS. Mare etenim natura ſua ſalſum eſt, VITA autem dulcis. Canit Poëta

(a) Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non ſinit eſſe ſui.

Natale verò ſolum idcircò dulce eſt, quia ibi principium vitæ ſumptum eſt. *Dulcis eſt vita præſens* inquit Chriſoſtomus, (b) *& plena multis illecebris*. Illecebræ autem, & condimenta vitæ ſunt

(m) *Gregor. homil.* 17. *in Luc* 10. (n) *Salas. in c.* 8. *P* 06. (o) *Petr. Damian ſer.* 3. *de Nativ. B. V.* (a) *Ovid. lib.* 1. *de Pont.*
(b) *Chriſoſt. in Matth. c.* 6.

sunt, Sensuum oblectamenta, societas hominum, honos officiorum, opum affluentia, & similia. Quare meritò Domocritus (e) *vitam sine festivitatibus, dicebat longam & duram viam sine diversoriis.* Socrates melius: *vita avarorum* inquit (d) *similis est funerali convivio. Cum enim illud omnia habeat hominem* (scilicet functum) *qui iis fruatur, non habet.* Quod ipsum in omnem aliam vitam quadrat, quæ tametsi cuncta habeat, si tamen usu dulci temporis caret, convivium refert funebre. Quomodo Julius Cæsar, (c) cum didicisset, insidias vitæ suæ continuò à multis strui, ideoque cavendum esse, respondit, *satius est eas semel subire quam semper cavere & pavere*: significans, eum non vivere, qui in perpetuo mortis metu vivit. Quod ipsum Seneca Tragædus, (f) *mortis habet vices, cum, lente cum trahitur vita gementibus.* Porrò vitam Christianam vel maximè ornat dulcedo. (g) Olim receptum fuit more sancto, ut tincti Salutari aqua, post aquam gustarent mella: quo indicabatur, vitam sine macula, abundare suavitate. Cæterùm docente S. Augustino, (h) sicut homines mali, malos dies fecerunt: sic iidem improbi jucundam ex se vitam, in amaram demutarunt. Et è contra: quemadmodum homines probi, bonos dies fecere, sic iidem, acerbam vitam in jucundam mutare noverunt. Monebat aliquando

(c) *Stob. ser.* 16. (d) *Laert. in Socr.* (e) *Plut. in Julio.* (f) *Senec. in Hercul. octao. in choro, act.* 1. (g) *Tertul. l. de coron. milit.*
(h) *S. Aug. tom.* 10. *op. ser. de ver.*

do jam dictus Socrates, (*i*) *in vita tanquam in theatro permanendum est, quamdiu rerum & operum hujus vitæ jucundum fuerit spectaculum.* Vir autem probus, in res jucundas intendit, opera suavia observat & edit, & si alio grato caret spectaculo, sibi ipse theatrum, quia virtutis plenum est, amabile & delectabile est. Jam verò sicut jure Magnæ Matri Titulum VITÆ damus, sic meritò & alium, DULCEDINIS subjungimus. Ipsa enim amaram vitam nostram benè contemperare & dulcorare potest, & solet. Vox est Tullii, (*k*) *qui nihil in vita habet jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere.* At verò DULCEDO Nostra MARIA, cum puram u petimus præstæt vitam, præstat cum vita etiam solidam virtutem. Talis autem vita, dulcissima. *Tantis malis*, fatur Ambrosius, (*l*) *nostra vita repleta est, ut comparatione ejus mors remedium putetur esse.* SS. autem Virgo, mala pellit, bona poscit, denique ipsam mortem dulcem reddit. Quare, Salve DULCEDO, ei acclamemus.

ARTICULUS. I.

DULCEDO CONCEPTA.

§. 1.

QUanquam præsentium rerum amore infascinatis, uti voluptatibus, & subdi peccatis cen

(*i*) *Stob. ser.* 120. (*k*) *Cic. l.* 2. *Rhet.*
(*l*) *Ambr. ser. de SS.* 40 *martyribus.*

censeatur dulce, *Dei* tameu Spiritus qui res ut sunt censet, peccata amarissimis rebus confert, (*a*) *Favus distillans*, inquit Proverbiastes, *labia meretricis, novissima autem ipsius amara quasi absynthium.* Sed & Comicus: vos inquit, alloquens peccatrices, (*b*) *e linguis dulcia dicta datis, corde autem amaros facitis amantes, nam corda vestra in felle sunt sita, atque acerbo aceto.* Consolans Deus suum vatem, (*c*) *in medio* inquit *domus ad amaritudinem provocantis, tu habitas.* Amaritudo, quamdiu non tangitur, sibi amaritudo est; contacta autem tangentem afficit suo amarore: non aliter improbi hominum societate exclusi, sibi sunt acerbi, commixti autem cæteris, ad amaritudinem alios provocant. *Vinum eorum fel draconum*, inquit Moyses de lætis compotatoribus. Ubi vinum vocat fel, & fel non unius. Sed multi draconis: nempe, quia vino peccantibus, (*e*) potare dulce est, at eorum graves, amaros, intolerabiles in eberietate ferre mores, est felle multiplicium draconum tractari. Hæc autem peccati austeritas atque acerbitas, non homines modò sed & ipsum *Deum* afficit. Unde Hieronymus, (*f*) *tanta* inquit *est acerbitas peccatorum nostrorum, ut Deum natura dulcem, atque clementem, vitiorum nostrorum amaritudo amarum faciat atque crudelem.* Ergo vinum improborum, fel est non hominum tantum,

(*a*) *Prov.* 5. 4. (*b*) *Plaut.* (*c*) *Ezech.* 12. 2. *ex vers. hebr.* (*d*) *Deut.* 32. 32.
(*e*) *Glossa ibi. extr.* (*f*) *Hieron. in c.* 12. *Ezech.*

tum, sed etiam ipsius Dei. Tu mecum imprecationem Jobi, (*g*) super impium obstupescis: dicentis, *caput aspidum suget*; & ecce malitia peccati, Deum ipsum felle suo inficit. Advertere Medici, fel animali inditum esse à natura, ut sua mordacitate & austeritate ad sordes egerendas expultricem adjuvet potentiam: fel autem peccati sordes non egerit, sed ingerit, & siquid boni hæret in pectore, expellit. Neque verò hujusmodi mordacitas amara solis affixa est actualibus criminibus, etiam originarium, imò maximè hoc abundat vitio. Meritò M. Gregorius illud vocavit radicem amaritudinis. (*i*) *Sub divina districtione* inquit *justum est, ut propago mortalis, velut infructuosa arbor, & in ramis servat amaritudinem, quam traxit ex radice.* Corpus peccati, ut illud vocat Apostolus, mala est & amara arbor (& propter illam propago humana) frondes ejus, actuales culpæ, radix autem originalis offensa. Et alibi eam idem S. Greg. nuncupat matrem: (*k*) *Peccatum in se inhabitans* inquit ille, *Apostolus appellavit culpam. Quia ergo ex originali culpa fit peccatum actionis; matrem ejus esse primam culpam rectè nominamus.* Liberi autem hujus Matris sunt, omnes concupiscentiæ, peccata & vitia. Nunc verò attende, an more aliorum Virgo Virginum in sua origine traxit de radice & Matre peccatorum. Si traxit, amara radix eam amaram fecit: si non dulcis una, & dulcedo tota, cani laudarique debet.

§. 2. San

(*g*) *Job.* 20. 16. (*h*) *Fernel. verbo fel.* (*i*) *Greg. l.* 9. *c.* 12. *mor.* (*k*) *Greg. l.* 6. *c.* 15. *moral*

§. 2.

SAncta Dei Ecclesia quæ intemeratæ ejus Conceptioni diem festum dicat, eam amaritudine primi peccati non tingit. In quo laudatissimus Regum Judæ Josias ei non obscure præluxit: de quo sic Ecclesiasticus, (*a*) sanè nervosè & gloriosè. *Memoria* inquit *Josiæ in compositione odoris, facta opus pigmentarii: in omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini.* Ibi, ter dulcis Josias indicatur, ut thus nari, ut mel gustui, ut musica auri. Nec verò sola ejus memoria post recessum, sed etiam expectatio ante ortum, & præsentia ad omne regnum dulcis extitit, ut videbimus. Atque hoc est illud grande & inæstimabile virtutis prætium, ut præsens & absens dulcedinem post se relinquat. Rectè Sapiens: (*b*) *memoria justi cum laudibus, & nomen impiorum putrescet*, 70 extulerê, *memoria justi cum encomiis*. (*c*) Inter laudes & encomia hoc interest, quod illæ, vulgaria, istæ exquisita censeantur bonorum actuum præconia: ille populares, ista heroicas seqvuntur virtutes. Jam verò Doctor Rabanus (*d*) superiora Ecclesiastici considerans verba sic distinxit: *fama* inquit *Josiæ superabat omnem odorem: suavitas modestiæ omnem dulcedinem, studium autem restaurandi cultum Dei, omnem musicam.* Cujus partitioni nos insistentes, singula percurramus. Magna & insignis commentatio, FAMA (seu

(*a*) *Eccle.* 49. 1. (*b*) *Prov.* 10. v. 7. 70. *vers.* (*c*) *Cœlius. Rhodig. var. lect. l.* 4. *c.* 5. (*d*) *Rabanus in l.* 4. *reg. ad c.* 22.

(seu nomen bonum) JOSIÆ superabat omnem odorem. Et Rabani expositionem Arabicus textus confirmat, (e) qui citatum Ecclesiastici locum sic extulit: *nomen Josiæ velut thuribulum, in quo est de omni fumatione bona.* In hoc porrò famæ & nominis thuribulum, tria tempora sua contulére odoramenta: antecedens nimirum vitam & consequens ac concomitans Josiæ vitam. Loquendo de antecedenti: Observavit Chrysostomus, (f) tres ante conceptum suum in S. Scriptura prænunciatos descriptosque esse: Samsonem de tribu Dan. judicem, Joannem Domini præcursorem, & Josiam præsentem. (g) Et is quidem 327 annis, antequam natus, de nomine prædictus, illis verbis, Prophetæ de Juda advenientis, & contra altare Jeroboam, in ejus præsentia fulminantis: (h) *Altare, altare hæc dicit Dominus, ecce filius nascetur domui David Josias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum.* Quæ prophetia de excidio altaris & idololatriæ criminis, impleta est decimo sexto anno regni Josiæ ut vult Salianus. (i) Loquendo verò de tempore mortem secuto, nomen Josiæ semper in thuribulo laudum odorem sparsit. Ait enim S. textus, (k) *sepultus est Josias in mausoleo patrum suorum & universus Juda ac Jerusalem luxerunt eum,* Jeremias maximè: cujus omnes

(e) *Arabic. tex. Eccle.* 49. v. 1. (f) *Chrysost. in c.* 1. *Matth.* (g) *Tirinus. in* 3. *reg. c.* 13.
(h) 3 *Reg.* 13. v. 1. 2. (i) *Salian. in hist. mun. epitom.* (k) 2. *Paral.* 35. v. 14. 15.

omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem lamentationes super Josiam replicant. Denique quem odorem bonæ famæ in vita ille sparserit, fastos regum consule, & mox patebit.

§ 3.

ENimverò si petas, unde colligi possit, Dei SS Genitricem, Dulcedinem in sua origine habendam esse, respondebo, ex bono nomine. Et ipsius enim memoria in compositione odoris, sive, phrasi Rabani, fama omnem superabat odorem. Constat & divino & humano, quin & naturæ jure, odorem lætæ famæ, sive thus boni nominis omnibus, in primis habendum esse curis. Pulchrè mellifluus Doctor, (a) *habent mores nostri, suos colores & odores: colorem in conscientia, odorem in fama*: odor autem in fama, odor est bonorum morum, Sanctitatis conspicuæ, & nominis excellentis. Quod si verò odor in fama sive in nominis claritate omnibus curandus, quantò amplius iis, qui velut in prima hominum, acie versantur, & confinia intraverunt divinitatis? Idem S. Doctor, formans Eugenium suum, tunc Papam, (b) *interest* inquit *tuæ perfectioni, & malas res & malas pariter species vitare, in altero conscientiæ, in altero famæ tuæ consulis. Vestire duplicibus, non sit in conscientia tua nutans infirmitas modicæ fidei, non sit in fama nævus malæ speciei.* (c) Volentes Apostoli loco sui septem

(a) Bern. *serm.* 71. *in Cant.* (b) Bern. *de consider. ad Eugen. l.* 3. *c.* 4. (c) *Act.* 7. *v.* 3.

ſeptem Diaconos menſis præficere, primorum Chriſtianorum, *conſiderate*, monent, *fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu S. & Sapientia.* Sed & M. Leo (*d*) in electione Epiſcoporum, vota requirit civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electionem Clericorum. Hæc autem quid aliud videntur tibi eſſe, niſi odorata & plena thuribula, dulcem bonæ famæ fragrantiam de Miniſtro Eccleſiaſtico expirantia? Quod ſi homines in tantum ſolliciti fuêre de Miniſtris majoribus & minoribus Sacri Altaris, ut voluerint omnem nævum malæ ſpeciei, & graveolentiam ab eorum nomine abeſſe, an divina Providentia, quæ D. JESU ſummo Sacerdoti, primo altari, conſummatæ hoſtiæ matrem ſecrevit, quemadmodum ipſum Pontificem, ſic quoque Matrem ejus ab omnibus peccatoribus non ſegregavit? Objectârunt Principes Iſraeliticarum tribuum Moiſi & Aaron cum amara querela, (*e*) *fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone.* In quo verò iſte fœtor apparuit? in eo, quia Pharao bonam opinionem de iis amiſiſſe viſus eſt. (*f*) Circa quid verò? circa obſequentem obedientiam imperatorum laborum, quaſi Iſraelitæ pertæſi laborum ad otium aſpirarent. Nunc vide: ſi fœtor eſt mala opinio de otio, & vacuitate laborum, qualis fœtor erit de vacuitate gratiæ originariæ, & labore primi in Paradiſo peccati?

non

(*d*) *Leo M. ep. 87. c. 1.* (*e*) *Hebr. 7. 26, Exod. 5. 21.* (*f*) *Corn. à Lap. ibi.*

non ſolum res malæ ſed & ſpecies malæ arcendæ ſunt juxta Bernardum à fama Papæ, (g) quantò magis originalis Culpa, à MARIA JESU matre? quæ & rem & ſpeciem teterrimam & fætulentiſſimam habet, arcenda honori divino erat? Concilium Aquiſgranenſe, reddens cauſam, cur Diaconos Eccleſiæ viros boni teſtimonii habere conveniens erat, quia inquit (h) *ipſi in ſublimiori gradu cæteris, proximè circa aram Dei conſtituti, quaſi columnæ altaris conſiſterent.* Virgine autem SS. quis in templo Dei ſublimior? Siquidem ipſa non modò inter principes altaris columnas eminet, ſed Altare quoque ſupra omne altare vivum, Deo vero eſſe promeruit? Ubi vulgata legit, (i) *memoria Joſiæ in compoſitione odoris:* græcus extulit, *mnemnoſii non Joſiæ in compoſitione thymiamatis.* De hoc autem, ſic DEUS. (k) *Sanctum Sanctorum vobis erit thymiama, talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia Sanctum eſt Domino.* Felix Joſias qui non modò Sanctus, ſed etiam plenè & ſublimiter ſanctus inventus eſt coram Domino. Nam inquit unus, (l) *thymiamatis nomen non meretur, cujus odor non eſt ſuper odores Sanctorum.* Virginem verò Dulcedinem noſtram, thymiama ſuper omne thymiama cenſent SS. Patres. (m) At quomodo erit thymiama, ſi, non modo *ſupra* Sanctos ſe non extulit, ſed cum peccatori-

 bus

(g) *Bern. de conſid. lib. 3. c. 4.* (h) *Aquiſgr. Concil. c. 7.* (i) *Eccle. 49. 1. Græcus text.* (k) *Exod. 30. 36.* (l) *Gloſſa in Exod.* (m) *Damaſc. Epiph.*

bus commixta, fæcem & fætorem primi pecca ti tulit? Sit certum, qui thymiama sibi San ctum, (n) hoc est specialiter sacrum & selectum ab homine usurpari vetuit, idem ut Sathanæ i fumum Mater sua cederet, non permisit, & qui potuit, & quia, nomini suo & matris suæ pre spiciens non permisit. Quare eleva Dulced nostra, vocem tuam super gentes & super o mnes cœlos, & dulciter in summo altari fumar canta, balsamum non mixtum odor meus. Me moria Josiæ in compositione odoris facta opu pigmentarii: (o) sed, memoria non prima i mundo præsentia. Ille quidem compositus fuit thymiama de omni suffumigatione bona, se non optima & tota: & laboravit circa eum pi gmentarius non unus, (p) Helcias sacerdos in struendus Sophonias propheta excitando, Jer mias vates ad profectum zeli inclyti adducendo proinde balsamum ejus mixtum, (q) odor ejus non totus odor, quia in origine sua in qua pi mentarius homo laborare non potuit, horror fætor. Tu beata, tu dulcis mater, canta una unica, balsamum non mixtum odor meus: qu in te omnis compositio sancti odoris invenitu tibi pigmentarius Deus curam suam Orienti ap plicuit: tu in Adam non Adam tu in luto pecc tricis massæ, radius Dei, radius Solis. Heu! pud nos, sæpe gemimus, nec balsamum, nec odo odor nominis mei in veritate & coram Deo!

tc

(n) Corn. à Lap. in c. 30. Exod. (o) Eccle. 49. (p) 4. Reg. 22. c. 23. (q) Salian. in mun. Epitom 3395. an. n.

tota balsamum, tota odor, tota lætæ naris specialis ac fragrans gratia: balsamum non mixtum odor meus, canta beata canta, & ad tuum cantum talem, exultant cordibus, resultant canticis omnes cœli generationes. Benè de te tuus grandis servus: (r) *quicquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas: totum gratia & veritas fuit*: & ideò immaculata, quia in nullo corrupta. Sed si gratia, quomodo non gratia?

§. 4.

MEmoria Josiæ in compositione odoris, quia fama nominis ejus omnem ut vidimus ex Rabano superabat odorem. Inter modos autem alios quo fama nominis ejus odorem sparsit, erat: quia nomen ejus antequam conciperetur, 327 ante prædictum expressumque fuerat. Quid verò virgo Parens: (s) illa non tribus seculis, sed plusquam mille annis, antequam nata proclamata, de nomine expressa, & templo insigni honorata. Quod sic evenit, ut plures & graves tàm Ethnici quam Christiani authores referunt. Argonautæ, sive Græciæ Principes, postquam cum vellere aureo, Colchis sublato in patriam salvi reverterunt, in memoriam tanti beneficii templum in arce Atheniensi excitare decreverunt; (t) rogatus verò ab illis Apollo, cuinam illud sacrandum foret, relictis foliis

(r) *Sophron. homil. de Assump.* B. *V.* (s) *Tirin. in* 3. *reg.* 13. *juxta Salian. in epit. ann. mundi* 3061. *num.* 6. *annis* 380. *post.* (t) *Cant.* [illegible] 2. *marial.* c. 27.

ſuis ambagibus diſertè reſpondit, (*u*) *Sapienti Dei, Matris erit hæc ædes. MARIA autem eſt nomen ejus.* Nec aliter ut moniti erant, (*x*) Jaſon cum cæteris principibus fecerunt. Refei inter alios hanc hiſtoriam B. Procopius M. ob ſervant, autem alii hoc factum ortum Domir mille ducentis annis præceſſiſſe. Hic confei Joſias antequam natus de nomine prædictus ſimiliter & virgo. Ille verò nullo cultu ante quam natus, honoratus, nullius templi honor decoratus: Virgo autem in cultiſſima genteGræcorum, (ſic Athenæ nuncupabantur) (*y*) in arce doctorum, Philoſophorum, Muſarum templi gloria celebrata. Ex quo non levis cogitati tangit, tunditque mentem, hanc, quæ de nomine tantis ante ortum annis prædicta eſt, & æd Sacra de voluntate Dei, ſupra omnem mortalium memoriam, inſignita, oportere eſſe ſemper dulcem Deo, & ante ortum ſuum omnem non amaram. Quod ipſum ex nomine SS. quo nominavit oraculum colligi poſſe videtur, MARIA enim ut doctisſimus advertit Card. Toletus tria ſignificare poteſt: (*z*) aut ex radic Hebræa ſenſum eruendo, amaritudinem, ſe mare amaritudinis, ſic autem ſemper dulcis habebitur. MARIA enim mare amaritudinis Spiritibus nequitiæ, (*aa*) utpote nec ſua aliqu culp

(*u*) *Spinellus in throno de B. V. c. 4.* (*x*) *N. 18 Sur. 8. Julii in S. Proc. vide Cedrenum.*
(*y*) *Plutarch. in Apoph. Græcorum Juſtin. hiſtor lib. 5.* (*z*) *Tolet. in c. 1. Luc. annot. 61.*
(*aa*) *Bonav. in ſpec. B. V. c. 3.*

culpa vel minima, ut nos, grata, nec aliena sive originali Saporata, sed semper acerba illis juxta Dei ordinationem & publicationem post ipsum primum peccatum proximè commissum: (*bb*) *inimicitias ponam inter te ac mulierem, & semen tuum & semen illius*: Quæ igitur antequam nata, à principio mundi, ipsius Dei ore inimica serpentis declarata, semper illi amara, ut amara solent esse fercula hominibus, inimici. (*cc*) Maximè cum adjungat Deus, eo modo MARIAM futuram inimicam serpenti, quo Semen ejus: Semen autem ejus quod est Christus, semper amarum, semper inimicum fuit Serpenti, quia segregatum à peccatoribus, (*dd*) & Adam cœlestis. Aut, ex idiomate Syro & Hebræo junctim. MARIA sonat, Dominam maris, & sic rursus dulcis Deo, quia nunquam peccati serva. Qualis enim illa Domine? respondet M. Athanasius (*ee*) stilo, virtute, fide: quia inquit ipse est rex qui natus est ex Virgine, idemque & Dominus & Deus, ea propter & mater quæ eum genuit, & Domina & regina, & Deipara propriè ac verè censetur, nec verò DOMINAM tantum nomine in suo resonat Dulcedo nostra, sed Dominam maris, sive aquarum, quibus purificantur omnia, quas parricidis in cultum insutis tangere more Romanorum nefas, (*ff*) in quas spuere, vetat Persa. Ipsa enim quæ providè ad

 puri-

(*bb*) *Genes.* 3. 15. (*cc*) *Gen.* 3. 6. 15.
(*dd*) *Hebr.* 7. 27. 1. *Cor.* 15. 27. (*ee*) *Athan. serm. in Evangelium Deiparæ.* (*ff*) *Cic. pro Ros. Am.*

purificandas creaturas à Deo inventa est, de e-
jus gratia, nunquam non munda est. Aut de-
nique ex idiomate Hebræo, fert nomen MARIÆ
significationem LUMINARIS (*bb*) Et verò ple
rumque luminare majus, hoc est Sol, dicitu
Deus redemptor, qui præest omni diei, utpot
qui illuminat omnem hominem venientem i
hunc mundum, (*ii*) & de filiis noctis, ut a
Apostolus facit filios diei, sive dies suos, hoc e
lucidos totos. Nomine autem luminaris mino
ris, intelligitur Dulcedo nostra quæ præest no
cti, & ducit stellas. Quod si virgo præest no
cti, an supra noctes omnis peccati non præ
minet? Et si ducit ut regina stellas, hoc est San
ctos, an supra stellas non pollet ampliori & s
reniore lumine? Quare concludamus oporte
memoria & nomen. Josiæ in compositione
doris, MARIA autem tota etiam ante ortu
suum odor DEI. Jure illi acclametur: (*kk*) *od*
unguentorum tuorum super omnia aromata. N
mine unguentorum, aromatum, odorum inte
pretes intelligunt famam Sanctitatis, nomi
justitiæ, pietatis ac virtutum fragrantiam. H
bent ergo, habeantque cæteri unguenta od
rifera, aromata benè reddentia: sed tuæ sanc
tatis odor superat odores, & nomen gloriosu
tuum, nomen gloriosum Sanctorum, Olea
ergo alii in morte tantum ut latro, ante mo
te

(*bb*) *Genes.* 1. 16. (*ii*) *Tolet. ibi. Ser. d.*
Gen. 1. *Cor. à Lap.* (*kk*) *Cant.* 4. *Sanch.* T
Delrio Men. ibi.

tem quoque ut plurimi, post nativitatem ut innumeri, in utero matris, ut paucissimi tu quæ super omnes famâ redoles, nomine radias, vince gradu sanctitatis omnes, tota vitâ, tota nitida, nunquam fœtor, semper odor Quia odor & unguentorum tuorum super omnia aromata. (*ll*) Gloriatur & non insipienter Apostolus, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Parce Apostole, & te respice. Cum ut alatus Angelus discurris per orbem, (*mm*) & JESU nomen portas, cum raperis in tertium cœlum & audis arcana verba, veneror te Christi bonum odorem: cum autem omnium manibus, (*nn*) omnium custodiens vestimenta in Stephanum sævis, cum scrutaris, & vincis, & carceras, & damnas, & tollis Christi gregem, an tu bonus odor? Paulus ideò bonus odor Christi, quia triumphare illum fecit Deus per gratiam Christi. (*oo*) At benedicta Mater, in omni loco, in omni tempore, in omni passu vitæ bonus odor Christi: bonus odor in cunis, bonus in visceribus maternis, bonus in ipso Paradiso: quia carpentibus omnibus nobis pomum vetitum, ipsa, utpote cruci jam præfixa, non tetigit; ipsa victis omnibus, una Serpentem vicit & triumphavit: ipsi ante realem pugnam cum antiquo Serpente, ipse Deus cecinit triumphum cum dixit: (*pp*) *ipsa conteret caput tuum*. Memoria ergo, & præsentia, & conceptio tua

(*ll*) 2. *Cor*. 2 15. (*mm*) *Chrisost. h. de Paulo.* (*nn*) *August. tom.* 10. *serm.* 19. *de SS.* (*oo*) 2. *Cor.* 2. 14. (*pp*) *Genes* 3. 15.

Dulcedo noſtra MARIA, odor ſuper odores Sanctorum eſt, & de Chriſto ipſe Chriſti odor. Speramus autem, qui hoc de te aſſeveramus ô Virgo, quod ſcripſit Philo: (qq) *Sicut odoramenta ſuaveolentia replent proximos: Sic vicini & contermini Sapientis ex efflatu ipſius amplisſimè diffuſo, meliores evadunt.* Tu autem divinitatis & Sapientiæ Infinitæ capax, quos tuis finibus clauſos clientes coerces, eos cœleſtis Sapientiæ odoribus afflas, & meliores perficis.

§ 5.

ALterum Joſiæ encomium Rabanus (a) nuper pro fundamento poſitus protulit: *Suavitas modeſtiæ ejus omnem dulcedinem ſuperabat.* Habet hoc vera & Chriſtiana modeſtia mentis, conteſtata exterioribus ſignis, ut quemadmodum dulcia oblectant guſtum, ſic illa Suavitate perfundat jam oculos, jam animos. Unde etiam meritò favo mellis ſignatur atque adumbratur. (b) In favo duo extant ſingularia: alterum, apta roris collecti, dulcis, & viſcoſi in ſuas cellas collocatio: alterum, quia ros ille quanquam generetur in cœlo, tamen humiliatur prius, ut poſſit ad os hominis aſcendere comedentis: humiliatur autem bis, nunc de cœlo in terram cadendo, nunc in apum viſcera deſcendendo, ubi depuratur & ab acore omni ac cruditate vacuatur. *Modeſtia* verò juxta Tullium

(qq) *Philo. libro. de Somn.* (a) *Raban. in l. 4. reg. ad c. 22.* (b) *Gloſſa. in Cant. 4. v. 11.*

lium, (c) *est scientia eorum quæ aguntur, aut dicuntur, collocandorum.* Scientia verò collocandorum, reddit unicuique suum quem debet locum: superiorem enim se supra, inferiorem se infra, parem ad latus suum collocat: reddit DEO summum locum, cætera illi subjicit. Pulchrè Doctor mellitus hanc scientiam rectè collocandi expressit: *in te* inquit (d) *consisto: non infra dejicere, non supra attollere, non evade in longius, non extendere in latus. Tene medium si non vis perdere modum: locus medius tutus est: medium est sedes modi, & modus virtus.* (e) Jam Hugo non minus rectè: *hoc est*, inquit *pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui & personæ reddere: hic ordo gestorum optimus: hic ornatus ad omnem actionem commodus.* Quantam autem & unde ortam habeat moderatio dulcedinem expressit Doctor Angelicus: (f) *hoc* inquit, ille, *provenit ex quadam dulcedine affectus, qua quis horret omne, quod potest alium contristare. Nam austeritas animi è contrario videtur esse in eo, qui non veretur alios contristare.* Sic ille Jam quod attinet ad Josiæ Regis modestiam & humilitatem, tenetur aperta DEI confessio: qui per Holdam prophetissam consultus de futurorum eventu, sic respondit: (g) *quoniam audisti verba voluminis, atque emollitum, est cor tuum, & humiliatus es in conspectu Dei reveritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua*

 &c.

(c) *Cic. l.* 1 *offic.* (d) Bern. *l.* 3. *de consider.* (e) *Hugo. in proverb.* 8. (f) 22. *qu.* 157. *a.* 3. (g) 2. *Paral.* 34 *à v.* 27. *ad* 29.

& flevisti coram me, ego quoque exaudi te dicit Dominus. Hactenus Deus. Ex quibus constat, suavitatem modestiæ, & dulcedinem humilitatis Josianæ in eo reluxisse, quia verba Dei cum demissione audivit, quia audiens, cor suum emollivit, & non induravit ut alii reges: quia terrore pœnarum perculsus, se toto animo ac corpore Deo submisit, quia invisibilem quasi videns sustinuit, quia in horrorem contestandum de violata Dei gloria, vestimenta sua scidit, quia testem doloris interni fletum affudit. Unde & factum est, ut comminatam vastitatem templi, occupationem Jerusalem, (*h*) cædem gentis, eversionem regni, captivitatem populi, generis sui servitutem non viderit. Et quanquam sagitta vulneratus à Necao rege Ægypti obierit, attamen ut prædixerat Deus, (*i*) in pace ad Patres suos fuerit additus, & quasi Martyr pro populo sibi credito depugnans occubuerit. Unde & honore sepulchri amplissimo, & Mausolæo insigni, & lamentatione S. Jeremiæ, universique populi sit honoratus. Dulcis enim est favus, in principe præsertim summo, erga omnes modestia. Sapienter Cassiodorus. (*k*) *Novum est sub amore principis custodire modestiam, quæ tàm clara quàm rara est: quia gaudia semper animos inquietant, modus enim lætis rebus, raro interbenit.* Et Curtius: (*l*) *continentia & moderatio, in altissima quaque fortuna, eminentia bona*

(*h*) 4. *Reg.* 23. 2. *Par.* 35. (*i*) 2. *Par.* 35. 12 13. (*k*) *Cassiod. l.* 4. *epist.* (*l*) *Curt. lib.* 6.

bona. Unde prudenter monebat Græcus Comicus, (*m*) *minus insolesce quo magis beatus es.*

§. 6.

QUid autem suavitas Marianæ modestiæ? an & ipsa omnes suavitates, & dulcedines transcendit? non est homo, cui aliquando non infuerit aliquid amaritudinis tantum autem amaritudinis illi inest. quantum immoderationis, & superbiæ. Superbia verò amara est semper; & sicut sine sale olim nullum DEO placebat sacrificium: ita sine felle superbiæ non fit ullum peccatum, juxta illud, (*b*) *superbia initium omnis peccati.* Porrò D. noster JESUS Christus, Matrem suam elegit quæ caput omnis Superbiæ erat contritura, secundum illud, (*b*) *ipsa conteret caput tuum.* Caput, hoc est superbiam, quâ tu pollens potens, homines item infecisti. Nam ut benè observavit S. Augustinus (*c*) *primum Evæ peccatum fuit Superbia*, scilicet appetitus inordinatus similitudinis divinæ. Quod si in Virgine nulla unquam inventa est immoderatio elationis, semper ergo fuit in ipsa favus mellis, scilicet dulcedo modi moderationisque humilis. Quid ergo quæris in illa peccatum, in qua non steterit unquam radix amaritudinis & peccati Superbiæ? Ipsa non solum vivens in mundo omnia verba Dei conservabat,

(*m*) *Comicus Græcus apud Langium verbo, modestia.*
(*a*) *Job.* 4. 14. (*b*) *Gen.* 3. 16. (*c*) *Aug. lib. de genes. ad lit. l.* 11, *c.* 30.

ſed etiam in paradiſo cum in lumbis Adæ lateret. obſtructas verbo Dei aures, erga ſerpentem malè ſuadentem gerebat. Refert Xenophon apud Babylonios (d) viguiſſe morem, ut corpora functorum melle ad arcendam corruptionem imbuerent: mel enim ut teſtis eſt Plinius putreſcere non ſinit. (e) Salvator verò DEUS, non functam tantum, ſed à primo vitæ inſtanti ad ſummum, melle ſuo, quo ipſe à Spiritu S. unctus in præviſione Dei erat, tinxit caram genetricem ſuam melle inquam ſuaviſſimæ, & puriſſimæ modeſtiæ atque humilitatis. (f) Unde illud encomium, *favus diſtillans labia tua Sponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Quomodo verò? explicuit S. Agnes V. & M. clarisſima, apparens S. Birgittæ mortali dicens, (g) ſicut Sole inflammantur cœleſtia & terreſtria: ſic ex dulcedine MARIÆ, nullus eſt, qui non per eam ſi petitur, ſentiat pietatem. Sed inde licet aſcendere & arguere. Cujus lingua & deprecatio humilis, dulcedines omnium intercedentium pro nobis vincit Sanctorum, ipſa non ſolum in lingua & ſub lingua ſed & in capite corde viſceribus, & verbo, tota, nihil eſt aliud niſi favus & favus dulciſſimi mellis. (h) Clamabat ſuo Eugenio S. Bernardus, *tene medium: ſi non vis perdere modum.* Virgo autem in ſumma fortunæ ſublimitate mediocritatem retinens, quando à modo & modeſtia humili-

(d) *Xenoph. lib. 5. rerum græcan.* (e) *Plin. l. 11. c. 14.* (f) *Cant. 4. 11.* (g) *S. Birg. revel. l. 4. c. 11.* (h) *Bern. de consid. lib. 2.*

militatis recessit? In ipsa fracta est illa catena, quæ passim in orbe cernitur, relata à Valerio Maximo, (i) fælicitatis & moderationis dividuum contubernium est. Quod ergo individuum? felicitatis & superbiæ. Ipsa dicere potest illud Euripidis, (k) *amat me modestia, donum pulcherrimum Deorum.* Ipsa enim est ut alicubi dixit Bernardus, (l) Eva transfusa: quæ verò in Eva prima fæx peccati? superbia: MARIA ergo sine Superbia, dulce, elatum, defecatum Vinum: pura, humillima, modestissima. Cum esset parvula, placuit altissimo: sed & placens altissimo, remansit parvula. A seculo in seculum Virgo sine macula: à seculo ad seculum item humilis sine aliqua superbia. Benè unus: Eva Aquila, MARIA columba. Cur verò? Eva volavit in altum, & fecit cadaver: MARIA domi apud DEUM latuit, & serpentem vicit. Vicit? *Serpentis prudentia* inquit S. Irenæus, *devicta est in columbæ simplicitate.* Loquitur autem hic Sanctus de Virgine SS. Quæ est autem prudentia serpentis? caput à morte servare: Sed columba simplex & humilis invenit contortum caput, super quod & victrix stetit, cum originale dedecus obtrivit: & humilem Deum paritura, nec una superbiæ guttula aspersa in ortu suo primævo reluxit. Dedecebat enim nimium, humilem Deum, de superba & immodesta vel modicum, nasci.

§ 7. Ter-

(i) *Valer. l. 9. c. 5.* (k) *Eurip. in Mede.*
(l) *Bern. ser. sign. Magnum.* (m) *Anonim. in Ps. 36.* (n) *Iren. l. 5. c. 19.*

§. 7.

TErtium à Rabano Josiæ encomium datum est, (a) *studium restaurandi cultus divini omnem musicam superabat.* Ad mentem Ecclesiastici: (b) qui tamen plus addidit, memoriam Josiæ esse ut musicam in convivio vini. Non ergo nudæ musicæ aut intempestivæ, aut rudi contulit, sed musicæ, in convivio, non in luctu, in convivio vini, non aquæ. Zelus enim ejus erat regius, altus, eminens, quo in reducendo populo ad veri Dei partes urebatur. Ipse namque templum refecit, librum legis ut vult (c) S. Hieronymus invenit, eumque sibi privatim, deinde populo publicè prælegi fecit: excelsa in montibus abstulit, lucos infames excidit, currus Solis cremavit, eorumque cinerem in Cedron torrentem demersit, aram Jeroboam contra aram veri Dei erectam destruxit, magos & pythones è terra sua ejecit, fœdus cum Deo novum icit. Quare de eo Ecclesiasticus. (f) *Josias directus est divinitus in pœnitentiam gentis, & gubernavit ad Dominum cor ipsius.* Directus autem dicitur, quomodo Sagittarius peritus dirigit jaculum suum in scopum præfixum: Deus autem Josiam ut Sagittarius Sagittam in providentiæ suæ arcu tenebat: quam & ad metam suæ gloriæ propulit ac direxit: & post eum aliorum mentes, ut novas sagittas movit. Porrò iden

(a) *Rab. in 4. Reg.* (b) *Eccle. 49. 1.*
(c) *Hier. in libr.* (d) 4. *Reg. c. 22. c. 23.*
(e) 2. *Paral. c. 34. & 35.* (f) *Eccle. 49. 3. 4*
(g) *Glossa ibid.*

idem Josias qui comparatè ad Deum ut Sagitta ad Sagittantem, se habuit: relatè ad populum ut gubernator navem respexit & movit, eamque ex scopulis & vadis infidelitatis expeditam, in rectum religionis cursum, & in Salutis æternæ portum gubernavit & circumegit. Planè respondit nomini suo, quod resonat *ignem DEI.* Factus enim est ignis Dei, sibi, populo, DEO: sibi ut arderet, populo ut præluceret, Deo ut aram ejus impleret & ornaret. Quare Zelo & virtuti ejus testimonium perhibens scriptura: (*k*) *similis ei non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi.* Nec mireris: nam ipse, ait S. codex, (*l*) *octo annorum erat cum regnare cœpisset: fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David Patris sui, non declinavit ad dexteram sive ad sinistram:* hoc est medium virtutis in omnibus tenens, & sequens Moysis directionem. Unde merito (*m*) S. Ambrosius de eo, Josias zelo suo omnes superiores reges vicit. At hoc quantum? hoc est musicam secundum omnia organa aurium instruxisse. Tullius quidem ab unoquoque reposcit (& meritò) ut sic vivat, ne forte quid discrepet ut in fidibus ac tibiis: & multò magis etiam, quo major & melior actionum

(*h*) *Glossa ibid.* (*i*) *Hier. in nomin. Hebr.*
(*k*) 4. *Reg.* 23. 25. (*l*) 4. *Reg.* 22. 1. 2. 3.
(*m*) *Ambr. l.* 2. *c.* 30. *off.* (*n*) *Cic. l.* 1. *offic.*

numquam sonorum concentus est. Verumtamen cum homines à concentu rectarum discrepant & recedunt actionum, insigne profectò & cœlorum musica præstantius opus exegit, qui alios ad consonantiam cum neruis virtutum ac illibatæ religionis reduxit. Iste & convivio Deum excepit: ut enim nos cibo & potu vivimus oblectamurque; ita inquit Ambrosius, *Zelus, Dei vita est: & quo ipse oblectatur, & quo nos vegetamur.* Iste in cellaria vinaria divinitatis transiit: Spiritus inquit (*p*) S. Bernardus, repletus vehementi zelo, non planè aliunde, quam à cella Christi vinaria reportantur.

§. 8.

IAm verò Virginis SS. Dulcedinis nostræ zelo, quis cœlorum terrarumque angulus non resonat? Ubi ejus musica & symphonia æmulantis pro Deo, Deique rebus & cultu, non auditur? non movet? (*a*) Josias à puero incipiens Deum Patrum suorum SS. colere, factus est vas & organum quod errantes ad viam religionis & veritatis revocaret: Virgo verò, non solum directa est in pœnitentiam unius, sed omnium gentium: nec unius populi cor gubernavit ad Dominum sed omnium populorum & post se sequentium seculorum. Quapropter in Litaniis Latinis meritò dicitur, (*b*) REFUGIUM PECCATORUM, & in hymno Græcorum directrix

(*o*) *Ambr. in ps.* 118. (*p*) *Bern. in Cant. ser.* 49. (*a*) 4. *Reg.* 22. *Eccle.* 49. 3.
(*b*) *Hymn. Græcor.*

rectrix Pœnitentium: & à Patribus Gubernatrix ac Mediatrix Christiani mundi. Et verò directus est zelus Josiæ ad pænitentiam suæ gentis, sed & ipse prius à pœnitentia cœpit & cor suum ad Deum direxit: nam dicitur, (c) *non fuit antè eum rex qui reverteretur ad D. in toto corde suo.* Reverteretur, dicitur: quia præcedentium regum exempla, ut Amon Patris, (d) & avi Manasse, fortasse nonnihil pueriles ejus annos à cultu veri Dei retardabant. Virgo autem Pœnitentia non eguit, & ad pœnitendi constantiam nunc etiam movet gentes & regna. S. Bernardus quærit, cur in Evangelio Assumptæ Virginis, cum mentio fiat exerta Sororum, non fiat earum fratris Lazari? & respondet: (e) *arbitror, nec id quidem à proposita similitudine discedere. Virginalem enim domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongruè pœnitentiam quæ malum utique comitatur. Absit enim ut proprii quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur.* Sic ille. Ubi vides, pœnitentiam Scopam Lazari dici, & nomine Lazari intelligi peccatum. Virgo ergo carens peccato omni, & non habens in se ullum Lazarum, scopa Lazari, scopa pœnitendi non egebat. Et tamen ut sic dicam, facta est Scopa omnis Lazari, & totius mundi. Audi, Joan Damascenum, qui sic affatur virginem: (f) *tua puritas Virgo & morum*

(c) 4. *Reg.* 23. 25. (d) 4. *Reg.* 21.
(e) *Bern. ser.* 2. *de assum. B. V.* (f) *Damasc. in Canon. ode.* 9.

rum integritas, ſordes & maculas univerſi orbis expurgavit: te armaturam infractam hoſtibus obtendimus, tu ſola mortalibus ſupernaturalium bonorum procuratrix. Neque verò hic titulus dehoneſtat Virginem, cum non dedeceat DEUM Scopatorem agere, *Perdam*, inquit Deus apud Iſaiam, (*g*) *Babylonis nomen, & ſcopabo eam in ſcopa terens*, vatablus extulit, *ſcopa vaſtatrice eam verram.* (*h*) Ubi ſcopam vaſtatricem vocat ſuam vindictam, ſive Regem Perfidis, per quem vaſtatio & verſio Babilonis facta eſt. Virgo autem non eſt ſcopa vaſtatrix, ſed Mundatrix, ita, ut uno eodemque miniſterio, & ſordes de animis everrat, & gemmas in animis ac ornamenta divina relinquat: quod eſt diviniſſimum, & ipſius increatæ Sapientiæ, deinde Incarnatæ officium, quæ ſe ſub mulieris drachmam quærentis, (*i*) & domum everrentis ſymbolo expreſſit SUBLIMEM SCOPARIAM. In tali ergo ſcopa Dei quid quæris Lazarum, aut ſordem? (*k*) Quare non levis eſt conjectura, nec futile omninò argumentum ſi Virgo à Deo facta eſt univerſalis, quod omnia loca & tempora poſt Chriſtum euntia, SCOPA PÆNITENTIS MUNDI, eam omni macula, etiam originali liberam fuiſſe. Si enim Baptiſta & Jeremias, qui ſolius Iſraelis Scopæ erant Emundantes in manu ſummi Scoparii Dei, caruêre peccato originali

(*g*) *Iſai.* 14. 23. (*h*) *Vatab. ibi. Hier. in c.* 14. *Iſai.* (*i*) *Luc.* 15. 8. (*k*) *Greg.* 31. *homil in Evang.*

ginali antequam Solem aſpicere poſſent, quomodo Virgo Dulcedo noſtra, non juſtè creditur omni tempore ab omni macula & amaritudine peccati vacua extitiſſe? In Muſica ſive zelo Joſiæ præcipuum eſt quod eminet, (*l*) *quia ipſe fecit Phaſe tale, quale non eſt factum à diebus Judicum qui judicaverunt Iſrael, & omnium dierum Regum Iſrael & regum Juda.* Tuum autem Phaſe, ô Dulcedo noſtra Virgo, ipſum Phaſe Joſiæ ſuperavit. Ipſe enim in regno Judæ uno (nam Iſraelis 10 tribus abactæ erant in ſervitutem) tu in omnibus facis regnis: ipſius Phaſe ſive tranſitus tranſiit, jam non eſt, operatur nunc nihil: tuum phaſe non tranſit, ſed durat, & omni die in omni fit gente. In cœlo quidem regnas & ſedes Virgo: ſed per terras curris & clamas: (*m*) *tranſite ad me, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.* Tranſitus vobis & paſchata facitis de terra in mare, de privata in publicam vitam, de portu in portum migrando, & non poteſtis impleri: ad me, ad me tranſite: dabo opes, conferam honores, adjiciam, commoda, requiem præſtabo, fructus expandam, & omnem intellectus ac cordis capacitatem implebo. Quid nos ad hæc? trahe nos poſt te, (*n*) in odorem modeſtiæ & famæ tuæ curremus: dulcedine ſuaviſſimæ tuæ modeſtiæ & humillimæ humanitatis ineſcati, à te non recedemus: denique tui zeli renovandi & Salvandi omnia muſica

(*l*) 4. *Reg.* 23. 23. (*m*) *Eccle.* 24. 26.
(*n*) *Cant.* 1. 3.

musica moti impulsique de terris in cœlum ad te saliemus, clamantes cum tuo Amatore: (o) *Ave Virgo finis iræ, purga culpas & largire, nos peracto cursum mundi, pro peccatis non confundi.* Denique Josias Pater tuus, icit fœdus cum Domino nomine populi, quod tamen dissolutum est: tu Fœderis nostri cum Deo ARCA, claude nos in te fœdus rumpemus nunquam.

ARTICULUS II.

DULCEDO NATA.

§. 1.

NAtæ Virgini Matri ut DULCEDINI nostræ pulchrè præluxit in figura filius Josiæ, rex Judæ, advena Babyloniæ Jechonias. Et ille enim ex dulci Patre, scilicet S. Josia natus: deinde verò Babylone de fortuna sua depressa renatus, regio throno & splendori refulsit. Nec minus S. Dei genitrix, de dulcibus Deo parentibus nata, dulcis & non amara tum cœlo tum nostro mundo illuxit. Unde S. (a) Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, *exultemus* inquit *omnes, hodie commune totius mundi gaudium ex justis hominibus Joachim & Anna nobis exortum est, laudatissima nimirum Virgo.* Quis & qualis fuerit Jechonias, in symbolo ficuum Deus demonstravit Hieremiæ. (b) Vidit ille ante limen templi gemi-num

(o) *Bonav. in psalt. min. quinq.* I. (a) *Germ. homil. de nat. B. V.* (b) *Jerem.* 24. I.

num calathum ficuum, & quæſitus quid videret, reſpondit ficus bonas, bonas valdè: & malas, malas valdè quæ comedi non poſſunt, eò quod ſint malæ. Primo calatho bonorum ficorum inquit S. Hieronymus, (c) & cum eo paſſim interpretes, rex Jechonias ſignatur cum ſua plebe, qui ſe ex Hieremiæ conſilio: & imperio Dei. Regi Babylonio tradiderat: Secundo verò calatho exprimitur Sedecias obſtinatus, qui Dei contradicens ſententiæ, captus, exoculatus & ſervitute oneratus, & regio honore uſque ad ſepulchrum caruit. Pulchrè autem reges Judæ caniſtris ficuum diverſarum notantur, nam & tota eorum origo & proſapia ut ficulnea à Deo plantata eſt. Loquitur Deus apud Oſeam (referente, ſuo textu Doctore ſcripturali,) (d) *Sicut uvam in deſerto inveni Iſrael & ſicut ficus in ficulnea inveni Patres eorum.* Ficus, aut naſcuntur, ſi bonæ ſint, excipi ore, claudi ſtomacho, viſceribus humanis includi: aut ſi malæ ſint, de manu excuti, ab oculis projici, beſtiis calcandæ dari merentur: ita Abrahamiticum genus, & Davidicam progeniem, ſanctam dilexit Deus & ornavit ac defendit ſpecialiùs: improbam autem præ cæteris exagitavit, & ſuppliciis ac infamia oneravit. Et verò, (e) Jechonias videtur ut calathus bonarum nimis, hoc eſt optimarum ficuum, non ante limen palatii, ſed ante oſtium domus Domini, ut indicetur

(c) *Hieron. l. 5. in c. 24. Jerem.* (d) *Oſeæ* 9. 10. *Hier. ubi ſupr.* (e) *Jer.* 24. 2.

tur non fuisse ille dulcis ad speciem & ostentationem quandam extimam, ut ferè aulica se fingit simulatio, (f) sed in rei veritate & ab intrinseco ut dicitur. Ita Virgo B. nascitur Joachim, prodit mundo oritur cœlo, non simulatæ plena, sed solidæ fæta suavitates, cui meritò nostra expectatio & veneratio acclamare debeat, Salve feliciter nata DULCEDO.

§. 2.

EST sana & perquam Sancta M. Basilii doctrina: (a) *si videris ethnicum vitæ temperatæ, & reliquæ morum honestatis studiosum supra te, tuum etiam studium intende, ut fias similis fructuosæ ficui, quæ per caprifici viciniam vires suas colligit, ac diffusionem cohibens, melius suos fructus alit, & producit.* Eam doctrinam videtur imbibisse Pater, Matris Virginis Jechonias. Is enim translatus in terram alienam, atque à patria avulsus, cœpit pietate magis efflorescere ac fructificare, & vires ad unum colendum Deum recolligere: non quod barbaros illos Babilonios videret exempla virtutum sibi præferre ac ministrare: sed quod videns caprificum: scilicet Sedeciam ita malè de voluntate justi judicis tractatum alieno malo sapuit, & se à diffusione in vitam solutiorem, cohibuit ac repressit. Quid est, (b) quod canistrum bonarum ficuum, non videtur alibi, sed ad ostium templi s jam Babiloner Jo

---

(f) *Glossa. ibi.* (a) *Basil. apud Anton. ser. c zelo.* (b) *Jerem 24.*

Joachim incolebat, & tamen non ante aulam, (c) aut carcerem regis Babilonis in suo symbolo videtur, sed ad portam templi? Ego nescio, quomodo ante transmigrationem se gesserit in aula vel in templo Domini Jechonias, illud affirmo: Babyloniam illi fuisse Jerusalem, Chaldæam Judæam, carcerem templum. Caprificus divinæ ultionis eum novis viribus virtutum, novoque ac dulci sapore imbuit. Comminans Deus supplicia per prophetam, promittit se sibilaturum muscæ Ægypti, & api Assyriæ. (d) Et evenit ita. Venit enim rex Ægypti, rex musca Necao, & Josias rex Judæ ab eo vulneratus in prælio occubuit. Sibilavit secundo Assyriis, & Israelem vastavit Apis Assyria: sibilavit tertio Babylonis sive Chaldæis, & venit item Apis Chaldæa: (e) Chaldæos enim scriptura vocat amaram gentem. Quid autem fecit ista apis? quod caprificus ficui: apis de flore sugit dulcem rorem: è contra Chaldæus novi generis, diversa apis, quod mali erat in Jechonia exuxit, & Jechonias dulcedo Deo, & dulcedo optima apparuit. Quiddam consimile isti mutationi, nata Virgo offert. (f) Aspice, sive recole memoria fortunam S. Joachim Patris Virginis, qui diu sine prole quanquam orata & non exorata, mansit. Sterilitas autem longa & desperantis naturæ ætas, quid illi nisi caprificus erat? nam ipsa

(c) *Hieron. l. 5. in c. 24. Hier.* (d) *Isai 7. 14.* (e) *Habac. 1. v. 6.* (f) *Epiphan. de laud. B. V.*

ipsa vires in illo pietatis intendit, studium orandi collegit. Unde & factum est: ut dum senex repulsam ab altari divina tanquam arbos infructuosa passus, in montes, & ovile suum abit, ibique abditus vota, desideria, precesque multiplicat, ficum bonam, nimis bonam, tot mundo sufficientem & Deo semper gratam susceperit. Ecce & isti, non templum templum, sed campus templum fuit. Inter oves flectebat, & Deus illi ante limen templi calathum ficus bona & optimæ parabat. Sume exemplum utrinque & scito, cum non speraveris, te dulcedine repletum iri, modò tibi templum feceris, ubi templum non videt sensus.

§. 5.

PErgit Deus apud Jeremiam de Jechonia, (a) *ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationem Judæ, quam emisi de loco illo in terram Chaldæorum in bonum.* Et ponam oculos meos ad placandum, & ædificabo eos, & non destruam. Ad quæ verba, doctus interpres: hæc omnia ostendunt, peregrinantem cum suo comitatu sic placuisse Deo Jechoniam, (b) sicut qui stomacho esuriente bonas ficus videt, & valdè bonas. Unde etiam dicitur Deus, oculos posuisse in bonum, manum apposuisse ád ædificandum, artem exercuisse ad plantandum. Quod quidem ex parte in Jechonia est perfectum, in posteris autem & consanguineis abundanter: siquidem u fatu

(a) *Jerem.* 24. 5. (b) *Sanchez, in c.* 24 *Jerem.*

fatur S. Joan. Damascenus, (*g*) *genus Jechoniæ ad Christum usque in honore haberi voluit DEUS.* Quid autem cum surculo Jechoniæ, ut fuit DULCEDO nostra, egit cura divina? Posuit super eam natam oculos in bonum, nata est, ut ficus optima. In ficubus inquit S. Cyrillus, invenitur dulcissimus fructus; (*d*) quæ autem præ aliis maturescit, vocatur ficus præcoqua, præcoquas autem ficus omnis desiderat anima. Porrò SS. Virginem Principem præcocium ficuum habendam esse docet Ecclesia, cujus diem natalem concelebrat: nos tardius maturescimus *Deo*, & nonnisi aqua baptismali aspersi. ipsa in utero, & in ortu suo primo Sanctificata, ficus ante omnes, & primi temporis inventa est. Optimo Sanctitatis sapore, & condimento gratiæ imbuta. Nulla ex toto humano genere dulcior & præcocior ipsâ ficus reperta est. Felix Nathanael, cui dictum, (*e*) *cùm esses sub ficu, vidi te:* Quomodo Christus Nathanaelem sub ficu vidit? interpretatur Chrysostomus, *vidi te desuper cognoscens ut Deus*, vidit addo ut rex Israel: nam Nathanael auditis illis verbis Domini, continuò exclamavit, *Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Qua exclamatione ut rectè Glossa advertit, (*f*) Nathanael divinitatem Christi, ut Petrus Apostolus confitetur. Matrem verò suam antequam nasceretur, cum esset sub ficu hoc est in utero B. Annæ viditne DEUS? Semper illa in oculis,

 nun-

(*c*) *Damasc. orat. 2. de nat. V.* (*d*) *Cyrill. l. 3. cont. Julian.* (*e*) *Joan. 1. 48. Chrysost. ibi.* (*f*) *Glossa ibi.*

nunquam extra oculos Dei ſtetit; ipſa enim un & unica inter omnes cantat, *congratulamini mibi quia cum eſſem parvula placui altisſimo*: non ſolum cum eſſem parvula ſex menſium, placui altisſimo ut Joannes, nec ſolum unius diei parvula, viſa ſum ei ficus optima, ſed etiam cum primùm parvula ficus: apparui ei primi temporis, ut Adam & Eva, ante lapſum. Vidit Deus Jechoniam cum ſua plebe ſcientia approbationis, inquit S. Thomas: (*g*) nec MARIAM aliis reſpexit oculis natam, niſi APPROBATIONIS: vidit enim illam ut rex Iſrael reginam Iſrael, ut filius Dei Matrem ſuam, vidit non de infra ſed deſuper agnoſcendo, vidit, guſtavit, approbavit. Jechonias dulcis viſus eſt non ſolum Deo ſed etiam genti ſuæ Babylone degenti, namque ejus filium Salathiel, & nepotem Zorobabel, tanquam verum & carum ſibi principem ea coluit. MARIA autem quàm dulcis Nat audi Sergium Hierapolitam: (*b*) *Quæ*, inquit *præſenti die feſto, ex Davidico ſemine naſcitur vitæ mater eſt, Adæ reparatrix, Evæ revocatrix immortalitatis fons, interitus corruptionis*. Dicite quæ & quomodo alia dulcior ficus naſci potuit

§. 4.

TOrquent ſe ingenia expoſitorum quærentium cauſam, cur Jechonias nomine & ſigno optimarum ficuum calatho denotetur? Aliqui ut Joſephus, (*a*) referunt hoc in mitem eju natu

(*g*) S. *Th. in c.* 24. *Jerem.* (*b*) *Serg. Hieropol. orat. de nat.* B. *V.* (*a*) *Joſeph. l.* 10. *c.* 6. *antiq*

naturam ; nam cum esset natura benignus & justus, noluit civitatem propter se pericula & mala sustinere : Alii referunt hoc in constantiam fidei quam datam Nabuchodonosori Servare voluit, fide autem quid dulcius? *Fides* enim ut ait Tullius, (*b*) *Sanctissimum est humani pectoris bonum.* Et Cato, *maximum nostris majoribus telum fides fuit, ex quo plures pace susceptæ, quàm bello gentes fuerint devictæ.* Dulcia sensum, fides animos expugnat. Torrens autem Doctorum, S. Hieronimi omninò veram (*d*) secutus sententiam causam in Jechoniæ rejicit obedientiam. Audiens enim ille Jeremiam nomine Dei sibi dicentem, ut se regi Babilonio permitteret, permisit, ut captivi Sortem subiret, subivit, ut culpas pœnitentia emendaret, emendavit. Ubi exclamat Sanchez: (*e*) hæc mihi maxima visa est obedientiæ commendatio, quæ ita cœpit animum divinũ, ut de illorum Salute, atq; honore cogitet, quos paulò ante magno suo meritò abjiciendos putârat, & ex ficubus malis valdè, ficus faceret bonas valdè. E contra verò Sedecias dum Deo obedientem aurem negat, collum in jugum inservit, in caveam ut fera clausus est, oculis velut Sole indignus, privatus est, vivens honore regis, caruit & nonnisi mortuus, decore visitati dominibus potitus sepulchri. Sic justo Dei judicio,

(*b*) *Tull. l. 2. Rhet.* (*c*) *Cato. apud* Lang. *Verb. fides.* (*d*) *S. Hieron. l. 5. in c. 24. Jerem. Isid. Raban. Hugo. Tirin. Menoch. ibi.*
(*e*) *Sanch. Gaspar. in 24. Jere. c. num. 13.*

cio, ut qui monentis Dei frenum accipere detrectavit ſicut infrenis beſtia arctaretur cavea: (*f*) & qui videntem cum ſuo oraculo deſpexerat, ipſe potentiam videndi amitteret: denique qui noluit vivere ut homo, inveniret Vitam ut ſepulturam, & pro benedictione maledictionem & ſibilum & mundi fabulam, quando de eo fortè, ſicut & de altero dici cœptum eſt: (*g*) *ponat te Dominus ſicut Sedeciam & ſicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne.* Unus interpretum conſiderans quomodo Jechonias Babylone exiſtens, & Dei voluntati obediens, (*h*) attamen videatur in emblemate ſuo, ad fores templi Jeroſolymitani, conſolationem inquit hinc referunt ex obedientia Deo parentes, & qui ſeſe patientes in afflictionibus exhibent: quantumvis enim illi longè ſe putent poſitos à Deo conſolatore, nihilominus in limine Dei ſe eſſe ſciant, ante templum, imò ante oculos *Dei*, ſi quidem providentia divina eos ſuper vigila[t]. Diſcat hic omnis anima ſub potenti manu De[i] humiliari, & jugum pœnitendi quod Deus vin[dex] ſcelerum imponit ferre: (*i*) ſcit & ſubj[a]ceat omne regnum ſub graviore regno ſi vu[lt] durare, aut inclinatum erigi rurſus. Sancti[ſ]ſimè Bernardus alloquens *DEUM*: *propter te metipſum* fatur, (*k*) *feciſti omnia Deus, ut q[ui] vult eſſe ſibi, & non tibi, nihil eſſe incipiat inter [o]mni[a].*

(*f*) *Serar. in* 4. *reg. c.* 25. (*g*) *Jerem.* 29. 2[2].
(*h*) *Chriſtoph. à Caſtro in c.* 24. *Jer. n.* 4.
(*i*) *Senec. in Thyeſt. act.* 3. (*k*) *Bern. in ſer[m.]*

mnia: *& qui tibi non sapit, desipit*, alia phrasi, qui tibi non sapit, quanquam sibi videatur præcox ficus & dulcissima, attamen in sinceritate incorrupti judicii, invenitur ficus fatua, & insipida & mala valdè ficus. de calatho non Jechoniæ, sed Sedeciæ.

§. 5.

ENimverò *DULCEDO* nostra Virgo, non solum ut Jechonias optimarum ficuum calathus semel aut uno loco, sed semper & ubique Ficulnea bonas & valdè producens ficus extitit. Jechonias enim videtur canistrum suave ante templum, (*a*) sed non in aula, aut in castri: item Babylone existens, factus est ficus præcoqua & saporatissima: in Jerusalem verò manens ad caprificum vergebat SS. autem *Dei* Mater in templo & in domo: in cunis, & in mensis, in patria & in Ægypto dulcis semper permansit, ut jure de ipsa dixerit unus, *quando MARIA non MARIA?* (*b*) Quæris in illa naturam dulcem ut in Jechonia, fidem constantiam, obedientiam expeditam? omnia & summa invenies in illa. *De* mititate ejus quem sensum habeat Ecclesia, audi ejus hymnum. (*c*) *Virgo singularis inter omnes mitis nos culpis solutos, mites fac, & castos.* Rogo te, cur iste hymnus Virginitatis decus cum mititate conjunxit? existimo, quemadmodum Virgo, in nitore puritatis non habet parem, ita in lenitate mititatis non habet sibi consimilem.

(*a*) *Jerem.* 24. 3. (*b*) *Chrysolog. serm. de pasch.* (*c*) *Hym. Eccle.*

Unde etiam, hæc FICUS Sacra, recedit à nativa: ista enim si comedatur, durum & amarum ingenio, non facit dulcem & lenem, imò auget bilem amaram: illa autem cui se invocata communicat, dulcis operatur dulcem. Jam verò Fides seu fidelitas quanta in Virgine? Cantatur in Litaniis (d) VIRGO FIDELIS, quis autem illam in suis necessitatibus piè imploratam, expertus est non fidelem? Mentitur sæpe nubes promittens pluviam, mentitur & terra messes, mentitur amicitia succursum fidelem, MARIA quem in fidem suam suscepit, illum fallit nunquam. In hymno Græcorum prædicatur illa, (e) Fides eorum, quibus opus est silentio. Quis nunc enumeret eos: qui peccata sua in conscientiis suis & corporibus fœdùm clamantia, ope tamen Virginis muta apud Patres, Matres maritos reddidere? Nos addamus Virgini, fides eorum quibus opus est clamore. Multi pro suis peccatis clamare, ad Deum nescivêre, & Patrona eorum Virgo supplevit vocem. Ita fidelis virgo, silentio, fidelis & clamore; & omninò de FIDELI filio suo, (f) FIDELIS. Videt B. Joannes Doctorem Exercitus de cœlo descendere, cui nomen erat FIDELIS & verax. Iste porrò Dei simul & Virginis Filius. Fidelis in verbo, fidelis in opere, utrobique dulcis: Sed tamen non parum habens de acido justitiæ; Virgo autem non mixti & compositi Saporis pomum, sed pomum præcoquæ ficulneæ, tota dulcis misericordiæ

(d) *Litan. Lo. cit.* (e) *Hymn. Græcorum apud Buteon.* (f) *Apoc.* 19.

ordiæ copia, nihil participans de acore vin-
ictæ. Refert Plinius, (*g*) saprificum sive sil-
estrem ficum proferre de se vermes, qui vici-
am mitem ficum perforant, evocantque lacte-
m quendam redundantem humorem, qui
ffluens infantiam pomis absumit. Soli enim
atens illa, excoquitur melius, & per vulnera,
iavitatem & maturitatem fructibus impertit.
Quiddam verò persimile accidit nobis. Sæpe
nim aut injuriis hominum, aut Dei perforamur
ppliciis, unde fit ut una cum lacte fortunæ in-
ntiam mentis deponamus, & simul, Dulcedi-
i nostræ JESUM benedictum nobis ostende
lamemus. Nec moratur Virgo, (*h*) & supe-
ans vota ante consumptum exilium vitæ, osten-
it nostræ Filium suum nostrum Solem consci-
ntiæ. Ergo hisce suis vulneratis luctu, appli-
at benedictum JESUM: aliis ut timeant judi-
em, aliis ut complectantur spe lacera Redem-
torem: istis ut ostendit ut agant quomodo
ESUS, illis ut fortiter patiantur sicut JESUS.
ic autem vulneratos sanat, infantes in viros
ormat, Silvestres reddit dulces, & immaturos
naturos ori divino, & mensæ. Quod si dul-
cedo obedientiæ quæritur in Matre Virgine, hæc
n ipsa habet primum post JESUM locum, à Pa-
radiso ad summum lectulum. Ista est una quæ
in lumbis Adæ latens vetitum pomum non teti-
git, ut nos omnes, sed facta obediens à prima
vita, incorruptam obsequendi gloriam servavit

 tota

(*g*) *Plin. l.* 15. c. 19. *natur. rer.* (*h*) *Salve reg.* *Hymn.*

tota vita. Unde & accepit vires, ut contumaces Deo, ad obediendi lenitatem reducat. Olim Sapientes volentes exprimere inobſequentem ad manſuetudinem obſequendi redactum, (*i*) taurum pingebant, qui collo coronam de foliis caprifici plexam ferret. Dicitur enim ea vis ineſſe iſtis foliis, ut taurum immitem & jugi impatientem, ad manſuetudinem & facilitatem parendi rectè componat. Monet Sapiens: (*k*) *non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua.* Hujuſmodi verò tauros virgo patrocinio ſuo ſuſcepit, & ad obedientiæ manſuetudinem cogit. (*l*) Quo potiſſimum? foliis caprifici, imitatione Dominicæ crucis. Tuus inquiens Dominus, obediens factus eſt uſque ad mortem crucis, & tu non? Sed & eundem obedientiam nata de S. Joachimo, commendat in eo. Is ut diximus rejectus à Pontifice, ad mapalia narratur paſtorum ſeceſſiſſe, in prece dies noctesque fixus tranſigens, non maturius aris & Sacerdoti ſe reddidiſſe, quàm dulci prole augeretur. Non ſicut alii non pauci qui contra Sacerdotis imperium, vetitum ſubeunt templum. (*m*) Jam verò locus naſcendi, ovium receptaculum. Ita mater Dei Agni. naſcitur in regno Agni, quæſitura oves, & receptura oves, ipſa ovium Maxima futura. Quare meritò S. Epiphanio (*n*) *ovis immacu*

(*i*) *Pier. hierogl. lib.* 13, & 52. (*k*) *Eccle.* 6. 2. (*l*) *Vener. Beda. lib.* 5. *c.* 77. *in c.* 19. *Luc.* (*m*) *Damaſ. l.* 1. *orth. fid. c.* 15. (*n*) *Epiph. de lau. Deip.*

maculata dicta est, quæ peperit agnum Christum. Joanni verò Damasceno (o) *AGNA, ex qua pastor ovem induit, veteris mortalitatis tunicis laceratis.* Ovis autem symbolum, obsequii, ovile domus obedientiæ. Audi psaltem, (p) *qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph,* hoc est qui tribus Israeliticas, velut ovem tibi obsequentem habes. (q) Ut ovis enim nec pascua quibus nutriatur, nec fontes quibus reficiatur, nec noctis diversoria, in quibus respiret & moretur sibi eligit, sed oblatis à pastore hisce acquiescit: ita verus obediens præsertim Principum pastori Deo, in ejus voluntate sua desideria terminat. Inter matres suas ascendentes Virgo numerat prius Uriæ? (r) deinde Davidi nuptam Bethsaben, hæc autem quali sub emblemate, describitur? Ovis parvulæ. *Pauper,* (s) inquit Propheta Nathan, *habebat unam ovem parvulam, quam emerat & nutriverat, de pane illius comedens, & de calice bibens, & in sinu illius dormiens.* (t) Ovis hæc Bethsabe, pauper homo Urias Hethæus, (u) qui emerat illam sine dote, nutriverat cibo mensæ, calice potaverat eodem, sinu providentiæ fovebat, & quia obsequentem sibi, ac reverentem nactus eam fuerat, tanquam filiam habebat, & tanquam parvulam gratia obediendi experiebatur. Hujus progenitricis Virgo filia, Ovis Ovem exprimit, parvula in cunis,

 par-

(o) *Damas. orat.* 1. *de nat. B. V.* (p) *Psal.* 79. 1. (q) *Lorin. ibi.* (r) *Matth.* 1 6. (s) 2. *Reg.* 12. 4. (t) *Chrisost. in psal.* 50. (u) *Liran. in Reg. c.* 12.

parvula & extra cunas, quia semper obsequens Deo futura: sed simul grata, quia adhuc in utero, imò in primo vitæ exordio, non imbuta calice veneni primogeniti, sed redempta & præpotata ac præservata calice Salvatoris Dei, ac proinde semper illi dulcis, & nunquam non in sinu pacis ejus quiescens. Nos verò an cum Virgine dulci, dulces Deo ac parentes oves? Conveniat unusquisque conscientiam suam, & audiat quid ibi balet, aut blateret. Rogatus S. (x) Abbas Apollonius ut dæmonium obsesso de corpore exigeret, vix tandem consensit. Tum accedens in nomine Dei fugere illud jubet: respondit verò Sathanas, parebo monenti, modò mihi solvas griphum proponenti, & fatur. Qui sunt oves qui hædi? respondit Eremita: Oves sunt justi, hædi peccatores quorum ego primus sum. Et mox soluta quæstione, discessit improbus Spiritus. Quod iste humiliter, nos cogimur fateri fortasse veraciter. Oves hominibus, Deo videmur hædi & sumus.

§. 6.

DEscribens Propheta statum Jechoniæ, *Vidi* inquit (a) *calathum qui ficus habebat bonas nimis, ut solent esse ficus primi temporis.* Quæ sunt autem istæ ficus nimis bonæ quæ in grandi calatho cum Jechonia translatæ sunt in captivitatem? (b) Res mira? quod felicitas celat, hoc adversitas revelat. Si quando etenim, certè translatæ

(x) *Rosweid. in Vitis PP. l. 3. n. 25.* (a) *Jerem.* 24. 2. (b) *Hyeron. l. 5. com. in Jerem.*

translato Jechonia in exilium, (c) magni Sancti ac Sanctæ velut ficus primæ & optimæ apparuerunt. Tunc Daniel, (d) somniorum interpres, Magister Satraparum, judex judicum, trium Regum Consiliarus emicuit. Tunc Misaël, Ananias, Asarias, victores ignis & idolatriæ resplenduerunt. Tunc Mardochæus Aman, (e) Hester vasthi locum occuparunt: tunc Ezechiel videt visiones Dei: tunc Zorababel, & Nehemias ac Esdras magna lumina, dulces Deo boli maturuêre, (f) tunc Susanna quæ nesciebatur in patria, prædicari cœpit in universo mundo. Quare illa verba Jeremiæ, ut ficus temporis primi, explicant interpretes, ut Patres antiqui pleni fide, charitate & reverentia erga Deum, juxta illud Oseæ, (g) *quasi prima poma ficulneæ in cacumine* vidi Patres eorum. Hoc est, Moisen & Aaron, Josue & Caleb quasi primas ficus gustus optimi habui in deserto, quibus respondebunt ii quos captivitas Babilonica exercebit. Cur autem ficus nimis bonæ in terra nimis mala, ut est Babilonica? (h) Quia divinæ parentes voluntati, patientia excocti inquiunt authores, maturescent. Rectè S. Nazianzenus, (i) *patientia est decoctio molestiarum*: ut autem decoctis acerbis cibis virtute mellis inquit Hipocrates, (k) sanitas in ani-

(c) *Dan.* 2. *Dan.* 5. *Dan.* 6. (d) *Daniel* 3.
(e) *Hest.* 2. 11. *Hest.* 10. (f) *Ezech.* 1. *Esdr.* 3. 4. *nehem.* 1. 2. *A castr. in* 24 *Jerem.*
(g) *Oseæ.* 9. 10. (h) *Hyeron. in c.* 24. *Jer.*
(i) *Nazian. poem. in definit.* (k) *Hipocr. l.* 2. *de dieta.*

mali augetur: ita quantum patientia molestiarum digerit, tantum animus Sanctitatis ac Sanctæ dulcedinis acquirit. Jam, quis tibi ô Dulcedo Virgo, primos adamatæ à Deo ficulneæ fructus non assignet? Si quæruntur fructus puritatis, nascuntur mortales immundi, tu omnium purissima, primi proinde & purissimi fructus tui. Nam licet Hieremias & Baptista, quando nati inventi sunt mundati, non tamen sicut tu: Nam in Jeremia remansit fomes etiam ad mortale, (*l*) in Baptista item relictus fomes saltem ad veniale, in te autem gratiæ specialis extinxit fomitem culpæ omnis. Si quæruntur fructus agnitionis & pulchræ dilectionis, tu in agnitione tui creatoris, tu in amore omnipotentis primas & præcoquas ficus attulisti. Expectant alii & longo quidem tempore, donec ratio in usum fidei maturescat, (*m*) tu ubi nata jam maturitate donata. Debuisti enim primiceria Virginitatis, (*n*) & regina Maternitatis omnis, donari privilegiis, cumulari prærogativis, quomodo nemo.

§. 7.

POst triginta septem annos in captivitatis onere evolutos, juxta Chronologos doctiores, (*a*) Jechonias sublevatus est de carcere, & in terra aliena recepit regiam majestatem. Nam inquit

(*l*) Bonav. *in spec.* B. *V. c.* 11. (*m*) *Salas. de Conc.* B. *V. c.* 32. *à num.* 42. (*n*) *Bern. ser.* 3. *sup missus.* (*a*) 4. *Reg.* 25. 28. *Joachim, idem qui Jechonias. Tirin. Menoch. ibi.*

inquit Scriptura Evilmerodach Rex Babilonis, *posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone, & mutavit vestes ejus, & comedebat panem semper in conspectu ejus.* Grandis & felix mutatio. Unde verò traxit impetum atque Originem? (*b*) Aliqui referunt hoc ad Nabuchodonosor, qui redux in humanam formam, humaniorem induerat animam, & generis communis recordatus (Abraham enim Chaldæus erat) (*c*) fieri gratiam moriturus præcepit, ut se de vivis soluto, Joachin sive Jechonias absolveretur de carcere. Alii, Evilmerodach, (*d*) sive Balthassarem Nabuchodonosoris filium & regni Successorem, propriæ voluntatis motu, eum favorem exhibuisse captivo referunt, eò quod cum Jechonia in carcere simul sedens (in quem Pater eum conjecerat) contraxisset familiaritatem, cujus memor, eum à vinculis & carcere, factus Rex Babilonis, (*e*) absolvit. Solent enim amicitiæ inter ærumnas coalitæ, arctius sibi agglutinatæ hærere. Tertii & optimè, (*f*) in Dei SS. providentiam hanc mutationem derivant, quæ sicut vitæ, sic calamitatis humanæ periodum definit: qua elapsa, post quam satisfactum est justitiæ, colligit hominem misericordia & recreat, & novæ sortis instituit Dominum. Et certè à Domino factum est tàm luculenta & admirabilis fortunæ conver-

---

(*b*) *Liran. in 4. Reg.* (*c*) *Judith. 5. 6.*
(*d*) *Tirin. in 4. Reg. 25. 26. 27.* (*e*) *Stob. de amicit.* (*f*) *Serar. in 4. Reg.*

versio, utpote de carcere ad solium regale ascensio: deinde supra thronos cæterorum Regum (quos subjugatos armis, (g) captivos habuit Pater ejus,) elevatio: denique quod mireris maximè, quando Evilmerodach vix ortus sceptro, occidit toti Chaldæorum regno, (h) Jechonias erexit caput, & Davidicum splendorem. Omninò verum est Proverbiastis, (i) *cum placuerint Domino viæ hominis inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Cæterùm si sedente Jechonia seu Joachin in carcere & squallente, sedebat item & squallebat David, certè magis idem David carcere arctabatur, tenebris premebatur, cum suo Joachimo senectutis & sterilitatis vitium insultabat: Ubi autem Domino dante benedictionem nata est Virgo Davidici sanguinis, sublevavit Deus caput Davidis & Joachin de carcere, eduxit de caligine, donavit libertate, & solium ejus super solium, non aliquorum tantum sed omnium terræ Regum posuit atque erexit: (k) Siquidem nasci fecit Reginam totius Castitatis juxta Chrisologum: reginam omnis naturæ secundum Andream Cretensem: (l) reginam Summam cœli, ad mentem Gregorii: reginam supernorum civium & Dominam Angelorum teste Ephrem: reginam & matrem Dei, ad sensum omnium. An autem Reginam dulcem? Fecit

(g) *Menoch. in* 4. *Reg.* 25. *c.* (h) *Daniel.* 5. 30. (i) *Prov.* 16. 7. (k) *Chrisol. ser.* 143. (l) *Andr. Cret. orat.* 2. *de assump. B. V. Greg. septimus l.* 8. *epist.* 22. *Ephrem de laud. Deip.*

Fecit Rex Aſſuerus Reginam Reginarum Vaſthi, non tamen dulcem, ſed ſuperbia amaram, contumacia acerbam (m) At regina quæ naſcitur orbi, quia nunquam tincta eſt, nec tingetur amaritudine peccati, ſemper & Deo & mundo ſe dulcem futuram promittit. Meritò orandum cum Seraphico: (n) *miſerere noſtri fulgentisſima Regina cæli, & de pinguedine gratiæ tuæ, dulcora animam meam.*

§. 8.

JEchoniæ nomen S Hieronimus (a) ſic componit, ut ſit, ex nomine Dei Jah, & , chonias conflatum. JAH autem ut obſervarunt docti Hebræi idiomatis, eſt contractum illud nomen venerandum JEHOVAH, (b) quod ſolet bonæ ſpei aut lætis rebus admiſceri. Et revera reſpondit læta & Sancta fortuna nomini Venerabili Jechoniæ, ſiquidem in diebus ejus vox ſalutis & lætitiæ audita eſt in terra aliena dicentis ac pollicentis Dei, (c) *dabo eis, cor, ut ſciant me, ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde ſuo.* Sic calathus Jechoniæ nimium bonus, & ficus ejus, ut ficus primi temporis. Hoc eſt quod ultimus cecinit Prophetarum. (d) *Placebit Domino Sacrificium Juda & Jeruſalem, ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui.* Quomodo verò

(m) *Heſter.* 1. 12. (n) *Bon. in pſal. magn. B. V. ad.* ℣. 104. & ℣. 115. (a) *Hieron. in c.* 22. *Jerem. l.* 4. (b) *Lor. in Pſal.* 67. *Idem in pſal.* 129. ℣*er.* 3. (c) *Jerem.* 24. 7.
(d) *Malach.* 3. 4.

verò ad hujusmodi dulcedines perventum? (e) Quia Jechonias juxta alterum nomen suum operatus est ipse, cooperatus populo. Joachin enim resonat, Domini præparatio. Etenim ipse compunctus ad compunctionem, & Deo serviens, ad eidem serviendum populum exulem adduxit. Regum enim exempla immutant populum. Virgo autem nobis nata, MARIA appellata, quid nomine suo promittit? Damascenus (f) Ven. nomen MARIA, Dominam significare docet: verè enim addit idem, *rerum omnium conditarum Domina facta est, cum Creatoris Mater extitit.* Speramus igitur & expectatamus ejus cooperante gratia, dandum nobis ut temporibus Jechoniæ cor, ut sciamus & colamus Servi Dominum, & aversi, ad illum in toto corde revertamur. Speramus item & expectamus Domini nostri naturalis illam audire vocem, ego ero vobis in DEUM. Ipsa enim melius præparabit corda nostra, quàm disposuit Jechonias cor Israëlis, quatenus dulces & jucundi, & velut primi fructus evadamus Domino. Finxit Homerus, non sine magna veri particula, (g) duo dolia in cœlis ante Jovem stare in quorum uno dira, in altero secunda latent fata, quæ Jupiter juxta cujusque merita miscet & temperat. Jam verò Vates veridicus, non dolia unde temperantur aut educuntur fortunæ mixturæ, sed fortes in

(e) *Hier. lib.* 4. *in Jerem.* (f) *Damasc. l.* 4. *orth. fid. c.* 15. (g) *Plato l.* 2. *de republ. Plutar. Hom.*

in manibus Domini contineri noſtras docet. (*h*) *In manibus* inquit *tuis ſortes meæ*, quibus formandis præeſſe, & temperandis præſidere voluit Deus dulcem ſuam matrem. Audi Seraphicum: (*i*) *diſpoſitione tua perſeverat mundus, quem tu cum Deo fundaſti ab initio.* Et ſicut addo fundaſti, ſic ſortes ejus diſpoſuiſti: ita ut qui te Domina ſua gloriantur, pertineant ad calathum, ad caniſtrum bonarum, & nimis bonarum ficuum. Felices qui ſuas animas & curas, laureas & pennas, coronas & infulas in tua poſuêre manu, (*k*) tu enim eos formas, ut ficus & ficus nimis bonas. Ambroſius conſiderans (*l*) Zachæum in ſicomoro, *profertur* inquit *vobis novum, novi temporis pomum, ut in hoc quoque compleretur illud, arbor fici produxit groſſos ſuos.* Et verò produxit geminos groſſos ficulnea Zachæi: cum dixit, (*m*) ſi quem defraudavi reddo quadruplum: dimidium autem bonorum meorum do pauperibus, Dulces groſſi, illi juſtitiæ, iſti miſericordiæ! O quantas ſicomoros, hoc eſt ſilveſtres, & fatuas ad ſe currentes, recipit virgo ficus, & vertit ac format in ficus primi temporis, in nova juſtitiæ poma, in exquiſitos miſericordiæ fructus? Enitamur ritè vitam noſtram ad voluntatem hujus Dominæ conformare, & poterimus confidenter, æternam nativitatem in termino mortalitatis

(*h*) *Pſal.* 30. 16. (*i*) *Bonav. in mag. pſalt. B. V.* 6. 123. (*k*) *Luc.* 19. 4.
(*l*) *Ambr. l* 8. *in Luc. coment.*
(*m*) *Luc.* 19. 8.

talitatis expectantes dicere, (n) tuus totus sum Domina, Salvum me fac.

ARTICULUS III.
DULCEDO ANNUNCIATA.

§. I.

NArrant Regum fasti, (a) Jonatham regiam juvenem, Saltum quendam ingressum vidisse de frondibus arborum - quentia pendere mella. In quibus cum summitatem Virgæ tinxisset, eamque melle saporatam ori admovisset, repente illuminatos oculos sensisse. Quod non fuit aliud, nisi quia exhaustis viribus & Spiritibus, prius functioni videndi lumina non sufficerent, deinde iis confirmatis, (b) officio cernendi rectè fungerentur. Enimverò qui in Sacram Annunciatæ Virginis historiam animum intenderit, advertet ibi quasi silvam ingentem sed mitium & felicium arborum, item mellis ac dulcedinis plenam. Et missis nunc aliis, prima tria verba historiæ Virginalis, nonne tibi tria videbuntur pulcherrima & dulcedine manantia ligna? Audis dici missus est Angelus Gabriel ad Virginem: (c) ecce lignum Puritatis, melle manans Charitatis. Audis addi, missus est ad Virginem viro desponsatam, ecce altera arbos, fides conjugalis. Audis tertio,

(n) Bonav. *in psalt. B. V. magno. vers.* 123.
(a) 1. *Reg.* 14. (b) *Abulen. in* 1. *Reg. c.* 14. *Liran. ibid.* (c) *Luc.* 1. 27.

tertiò, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, (*d*) ecce tertium Paradisi lignum, votum perpetuæ continentiæ. Quid horum trium non dulce? suavitas Virginitatis oblectat Angelos: bonum fidei conjugalis, acerba vitæ conjugibus temperat: denique voto ligata castitas, Israëli ignorata, inaudita, ingustata, Christianæ dulcedinis initium & primus Sapor. Quod si ista est, quis suspendere possit, & non resonare Virgini debeat, Salve dulcedo? Ordiamur à primo.

§. 2.

VIrtus intentatæ Virginitatis solet flori conferri. Pulchrè Catullus.

(*a*) *Ut flos in septis secretus nascitur hortis*
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavêre puellæ:
Sic Virgo dum intacta manet, tum cara suis: sed
Cum castum amisit polluto corpore florem
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.

Cæterùm tametsi apes de floribus legant præstantia mella, & de Tarentinis præstantissima, non tamen quivis flos Virginitatis arridet oculis, nec omne ejus mel, visceribus sapit divinis. Multæ etenim Virgines, quasi amara spretæ sunt absinthia. Quinque illæ Virgines Evangelicæ, (*b*) quæ ad nuptias, iverunt nec tamen ad

(*d*) Luc. 1. 34 (*a*) *Catul. in carmine nuptiali.*
(*b*) *Matth.* 15. 13

ad eas pervenerunt, cur, nescio vos, à sponso Sapientissimo audierunt? Quia nimirum lampas ornata illis aderat, sed in lampade, ignis non videbat: nempe mundum corpus, (c) sed corruptus laudibus humanis animus: (d) *Non habet Dei Sapientia in more* inquit Augustinus, (d) *Ut intrent in gaudium ejus, qui non coram Deo, sed ut placerent hominibus conati sunt aliquid secundum præcepta ejus operari.* Pulchrè & interlinearis, (e) *ideò vos nescio, ideò desero, quia per vitæ meritum non recognosco.* Da igitur Virginem, da castam, cui involatæ carnis honor floreat, sed meritis bonorum operum vita non respondeat, an iste flos sapere poterit illi, cujus nuptiæ ut inquit Hilarius, (f) immortalitatis assumptio est? Multi meminêre olim non sponsas solum, sed sponsos etiam in die nuptiarum candentia capitibus gestavisse serta: (g) causam assignat Chrisostomus, idcircò coronæ imponuntur capiti ut victoriæ signa sint, quod scilicet libidini antea impenetrabiles, item demum cubiculum ingrediantur. Verùmtamen, si caput coronetur liliis, & animus silvescat viticis nunquid ad nuptias, hujusmodi victor, perveniet agni? Opus est, utrumque hominem flos Dei impleat, ut veniens Deus apis mel inveniat & secum illud auferat, & non aculeum figat

(h) fixo

(c) *Greg. h. 13. in Evang.* (d) *Aug de Verb Domin. serm.* (e) *Interlin. in c. 25. Matth.* (f) *Hilar. ibid.* (g) *Alex. ab Alex. l. 2. c. 5. genial. Chrisost. h. 9. in 1. Timoth. c. 3.*

(*h*) fixoque & infixo implacabilis avolet. Gloriatur Sponſas Deus, *comedi favum meum cum melle meo.* Quid hic magni mel comediſſe cum favo? favus ceratus conſtat cellis, etiamne ceram cum melle Deus in ſuo convivio adhibet? Sic eſt: mel eſt dulcedo internæ puritatis, (*i*) favus autem ſive exceptorium mellis, & puritas corporis. Non eſt grande, non ſaporatum Deo convivium, ſi melle tantum tractes, cum poſſis aut debeas etiam favo: nec exples eſuriem guſtumque Dei, ſi corpus mundum illi ſerves, & de animi ſinceritate, ſuavitate, puritate labores parum. Junge utrumque, favum cum melle, (*k*) & Deus poſtquam meſſuerit mirrham, hoc eſt, ubi tuam collegerit falce mortis mortalitatem, veſcetur cum gaudio utroquè. Nec hoc tibi ſit grave ô Sponſa Salvatoris, quoniam ipſe te quoque conſimili ratione tractat. Philo Carpathius (*l*) hortum convivii divini, quo ad mella & favum vocat Deus ſuos, interpretatur Euchariſtiam, ubi tantum inquit ille dulcedinis cœleſtis alimoniæ adfert, ut rectè cum Davide dicere queat, (*m*) *guſtate & videte quàm ſuavis eſt Dominus.* Ubi autem ut ſuos convivas tractat Dominus? Utique dat corpus Sanctisſimum, ſed & corpori addit ſuum Spiritum, ut ſcilicet duplicis ſubſtantiæ creaturam, (*n*) du-

---

(*h*) *Bern. ſuper miſſ. hom. habet apis noſtra aculeum. cant. 5. 1.* (*i*) *Menoch. ibi. ad verſ. 1.* (*k*) *Greg. niſſen. in c. 5. Cant.* (*l*) *Philo Carpath. Epiſcop. c. 5. cant.* (*m*) *Pſalm. 33. 9.*

(n) duplici sua item substantia plenè exsatiet, Aquila illa Evangelica, quæ cæteros supervolavit: vidit unam de cœlo cadentem & ruentem stellam, (o) quæ nominata est absinthium, (p) fortasse autem ista stella cum fixa adhæreret & staret in cœlo, vocabatur dulcedo. Nomine hujus stellæ ii signantur Hieronymo, (q) qui voluptatibus se tradunt malè dulcibus, & postea tribulationibus traduntur à DEO amarissimis, quorum ille gemitus & lamentatio, (r) *replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* Q. d. ego illicitis voluptatibus dedidi cor meum & replevi mala dulcedine: Deus autem justus vindex, voluptates mihi convertit in amarissimas, amaritudines, & oblectationes ac gaudia in tormenta atque absinthium mihi verò hæc stella aptè videtur referre symbolum ac imaginem emblematicam eorum, qui castitatis gloria lucere, sed non in cœlo, videntur atque apparent. (s) Casta enim contenti carne, de sordibus aliorum vitiorum quæ pollunt animum, nullam suscipiunt curam: Vagantur enim & errant ut volunt oculis, captant quæ volunt auribus, gustui nihil denegant, linguam in alienam famam, ferrum in hostium ultionem, superbiam in cæterorum contemptum, sine metu & reverentia Dei judicis solvunt & laxant. Isti ergo viden-

(n) S. *Thom. in hymn. off. diff. Corp. Christ.*
(o) *Apoc.* 8. 11. (p) *Apoc.* 8. 11. (q) *Hieron. in Thren.* (r) *Thren.* 3. 15. (s) *Stella cadens quid significet symbolice.*

videntur ſibi aliisque qui ſuperficiem rerum contemplantur, quaſi in ſublime cœli alicujus ſublati fulgere verùm iſtorum cœlum, terra eſt: lumen tenebræ, dulcedo abſinthium. (t) Deinde juſto Dei judicio contingit interdum, ut ſtellæ iſtæ, verè coram Deo dulces ſtellæ, interim timore Dei non fortiter confixæ, ſed in leviora peccata erraticæ, atque audaces, lapſu carnis cadant de gratia Dei, excedant de ſublimi ſuo, & in carne ac ſanguine, velut in immundo pulvere volutentur, & amareſcant. Vera & prudens Virginitas, timida eſt & provida, ſtans in cœlo, timet ne cadat in terra; (u) ne autem cadat, providet ſibi de oleo æterno, de melle perpetuo. Unde Apoſtolus, Virginem caſtam & Chriſto deſponſam, vocat *ſanctam corpore, & Spiritu*. Corpore quidem, nam ſedes & nidus Caſtimoniæ eſt caro: Spiritu autem, ut abſit ab illo omnis gravior & fœdior culpa. Da igitur ſanctam Spiritu, corpore autem non integram, iſta homini nupſit: da ſanctam corpore, ſed non Spiritu, iſtam Chriſtus neſcit, Diabolus cognovit: da tertiam carne & Spiritu Sanctam, iſta Chriſto uxor in cœlo ſidus, lucet de oleo æterno, condita eſt melle perpetuo.

§. 3. Porrò

(t) *Anguſt. l. de ſ. Virg.* (u) *Aug. ſer. 23. 1. Cor. 7. 34.*

§. 3.

PORrò Virgo Virginum, in utroque homine flos erat, sydus erat, fixa in cœlo erat, mel & dulcedo erat. *Virgo*, (*a*) testatur de ipsa Ambrosius, *erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum.* Et ratione corporeæ Virginitatis vocatur, semper virgo, ter Virgo, æterna Virgo, æternitas Virginitatis. In spiritu autem, quia non concepit unquam dolum, dicitur sincerum non adulterasse affectum, proinde & Spiritu semper Virgo, Virginitas æternitatis. Beatum & felicem describens Psalmographus, ait illum esse virum, (*b*) *cui Dominus non imputabit peccatum, nec est in Spiritu ejus dolus.* Cur ita? mæchus Virginem, dolus Spiritum deflorat. Hæc porrò verba Psalmi expendens doctissimus Cardinalis Bellarminus, (*c*) *transit* inquit Psaltes *ab indulgentia quæ est multorum, ad innocentiam quæ est paucissimorum.* O verè beatus ac felix, quicunque ille est, qui nihil fecerit quod in peccatum reputari potuerit, rectissimo Dei judicio. Nec solum facto non peccavit, sed nec dolus inventus est in Spiritu ejus, id est neque verbo, neque cogitatione peccavit. Sic Cardinalis. Absolvit itaque Ambrosius MARIAM ab omni peccato, (*d*) cum nullo doli ambitu asserit sincerum ejus adulteratum affectum. Hoc verò quam arduum consecutione quàm

(*a*) *Amb. l. 2. de Virginib.* (*b*) *Psal. 31. 2.* (*c*) *Bellar. ibi.* (*d*) *Ambr. l. 2. de Virginib.*

quàm rarum obtentu? Nunquid enim uno ſemine & modo dolus poteſt violare mentem? Et qui ſpirat amicitiam ſed in dolo: eſt qui humilitatis ſumit faciem, aut patientiæ portat ſpeciem, ſed in dolo. Eſt qui orat, & miſeretur, abſtinet & jejunio maceratur, ſed item in dolo Ecce quot viis dolus mentem corrumpere poteſt. Ephramitas deſcribens Propheta adulteros, (e) *reverſi ſunt* inquit, *ut eſſent abſque jugo, facti ſunt quaſi arcus doloſus.* Arcum doloſum, perverſæ doctrinæ ſeminatores vocat Hieronymus, (f) quia ſagittant in occulto rectos corde: Sanctus autem Gregorius, (g) arcum doloſum explicat Catholicos illos, qui rectam fidem habent, ſed intentione ſua in ſcopum vanæ laudis obliquant. Sicut enim veri Dei operarii, in ſpiritu veritatis procedunt & agunt, ſuaque opera velut Sagittas potentis acutas in metam Sanctæ defigunt æternitatis: (h) ſic quibus pietas eſt ſimulata, quæſtus aut eorum commoditas, eſt ſcopus. Excutiunt & iſti ſuas arundines & quaſi in cœlum ſagittare imprudentioribus videntur, ſed, arundines eorum configunt eos, & ſagittæ eorum intrant in cordia ipſorum, cum Spiritus de corpore exit. Quærunt enim in æternitate præmium, nec inveniunt, quia ſimulatio corrupit meritum.

§. 4.

CÆterum ſpiritu & corpore Virgo, Mater Dei, non ſumpſit in manus ſuas ſagittas errantes,

(e) *Oſeæ.* 7. 16. (f) *Hyeron. ibi.* (g) *Gregor. in moral. l.* 10. *c.* 16. (h) *Gloſſa extraor. in c.* 7. *Oſee.*

rantes, arundines vanitatis, nec curuata est i
arcum dolosum. In veritate enim creata, i
veritate stetit immobilis. Non sicut ille Ang
licorum agminum Ductor, qui in Veritate co
ditus: & in veritate Deum amans, & doli toti
expers initio, (a) deinde in veritate non st
tit, & in dolosum conversus Arcum, se priu
deinde sui cordis vani sectatores mendacio pr
stituit, & corrupit. Debuit Regina Angeloru
nihil habere minus ad Angelos lucis & Veritati
ergo ut illi omnes suas operationes, cum adh
tenderent arcus, & mitterent in scopum Sag
tas, in sinceram laudis metam direxêre, qua
& contigêre: sic & Virgo. At carens in spiri
dolo, quanto in Spiritu abundabat favo, a
dulcissimo grosso? (b) Cum Dominus mort
in carne, famem dignantissimè pateretur, qu
sivit in una ficulnea grossos & non invenie
quanquam nondum tempus esset ficorum,
in ficulneam vacuam fulminavit, (c) *nunqu*
ex te fructus nascatur in æternum. Et contin
ficulnea, quasi fulmine icta exaruit. Quo f
facto, unum ostendebat, (d) alterum terreb
nam ficulneam per ficulneam feriebat: Ficul
am nempe rationalem per ficulneam intelle
Vacuam, & tamen sibi obedientem quasi intel
gentem (e) Synagoga enim Judæorum percu
est anathemate Domini Verborum, quæ fructu
ve

(a) *Joan.* 8. 44. (b) *Matth.* 21.
(c) *Matth.* 21. 19. (d) *Glossa extr. ibi.*
(e) *Lyran. ibi.*

veritatis cum debuit non protulit, (*f*) & tamen de ſonitu viridantium foliorum, hoc eſt ſcriptorum *D*ei verborum, tumuit. Virgo autem dulcedo noſtra, *D*eo ſemper fructuoſa ficulnea, & cum unum fructum benedictum ventris ſui protulit, meruit audire, ſemper ex te naſcatur fructus in æternum Ergo & impletur. Succedunt enim generationes generationibus, & fructus ex ea provenit manens in æternum, ratione cujus ſalvatæ aut conſolatæ benedicunt eam omnes generationes. Sequamur nos hanc ficulneam Dei maximam, humiliores ficulneæ, & cum quæretur à nobis fructus, ſatiabitur eo Deus. Finxit Homerus ad Jovis in cœlo pedes duo ſtare dolia, (*g*) alterum mellis, fellis alterum, de quibus Jupiter hominibus diverſa pro merito temperat pocula. Fabella innuit, hominum bona & mala opera, velut pluviæ aut fulguris materiem trahi in cœlum, de quibus aut dulcia aut amara naſcuntur, & refunduntur præmia. Qui religioni vacat, juſtitiam colit, ſibi attendit, illi mellito, mella DEUS fundit: (*h*) at qui impius Deo, proximo injurius, ſibi incurius vivit, & iſte recipit partem ſuam, nempe amari fellis poculum Si audiat Deus cantari, ficus protulit groſſos ſuos, (*i*) juſtus ſcilicet operatus eſt juſtitiam, addit *D*eus benedictionem benedictioni, & comprecatur ſplendidè fructus ex te naſcatur in æternum.

Aa 2 Quod-

(*f*) *Ven. Beda, in c.* 13. *Luc.* (*g*) *Plut. ad Apollon.* (*h*) *Incognit. in pſal.* 80. (*i*) *Cant.* 2. 13, *Ambr. lib.* 8. *com. in Luc.*

Quod si alii cantent templum, forum, domus ficus excussit grossos suos, (*k*) ficus mentita est fructus suos, nolens quidem, cogitur attamen intonare Deus, Nunquam ex te nascatur fructus dulcis.

§. 5.

HActenus de Virgine S. S. egimus, ut innupta, jam videnda est ut Josepho nupta. Utrobique dulcis. Dulce est bonum fidei maritalis, hoc autem plena extitit Virgo, quia neque cogitavit ut aliquando non esset uni desponsa Josepho. Hoc autem quam arduum quam sublime? Sicut enim melli multi insidiantur fures, ut ursi in arboribus, ut fuci in terra: ita ut uni nupta, non perseveret in suo jugo, multi instant. Ecce mundus inundat his furibus. Bernardinus (*a*) contulit virginem Api, eò quod veluti apis, nesciens concubitum, mella componit: Sic B. Virgo, Virgo permansit, & Paradisi dulcedinem generavit. Addo, apis prolem suscipit sola & supra se habet regem cui paret, cui obsequitur; ita Virgo sine marito concepit, maritum tamen ut regem suum habuit, (*b*) utraque re verita est, ut regem audiit. Nam olim Sponsi dicebantur Reges, eò quod de corporis sui imperio quod castitatis lege hactenus rexisset transirent ad regimen uxoris, & futuræ prolis. Dulce est in conjugio bonum unitatis & concor-

di

(*k*) *Abac* 3. 17 18. (*a*) *Bernar. part.* 3. *serm* 4. *in prærogat.* 2*da.* (*b*) *Olim. sponsi Reg. dicebantur. Alex. ab Alex. l.* 2. *c.* 5.

diæ, quod jugum hujus vitæ ejusque onus temperat & ſolatur: (c) ideoque olim nuptæ viri tecto ſuccedentes, limen & poſtes ejus, oleo ungebant, lanâ coronabant, quaſi promittentes, marito ſe futuras ſolatio, ut oleum lenit vulnera, & familiæ præſidio ac ornamento, quomodo lana tegit & ornat corpora. Explicans Rupertus, illa verba Apoſtoli, (d) *ſecundus homo de cœlo cœleſtis*, quia inquit *Joſeph & MARIA vita ſive conjunctio tota fuit cœleſtis, & Spiritus S. amborum conjugalis Amor, quorum ubique converſatio erat in cœlis.* Unus Spiritus & una fides erat in eis. Cogita hic quali lana Virgo domum Joſephi coronavit, quali oleo poſtes & limen ejus unxit, quam Joſepho Spiritus S. tanquam conjugalis amor adſtrinxit. Impletum eſt clare quod dictum fuit obſcure. (e) *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*, alii legunt in lanam. Lana conjugalis fuit B. MARIA, ſed tam munda, tam tenera & dulcis, ut in ipſam, filius Dei inſtar tacitæ pluviæ deſcenderit. Refert Gregorius Turonenſis, (f) duos conjuges ex conſenſu mutuò caſtisſimè & ſanctisſimè vitam duxiſſe. Ex his vir defuncta uxore ſuperſtes, cum gratias ageret Deo, quod intactum ſicut acceperat, Deo reſtituiſſet: mortua ſubridens vocem extulit. *Vir Dei, ſile ſecretum.* Nos autem tui ſancti-

(c) *S. Iſidorus. l. 9. Ethim. c. 7.* (d) *1. Cor. 15. 47. Rupertus l. 1. de glor. filii hom.*
(e) *Pſ. 71. 6.* (f) *Greg. Tur. de gloria confeſſ. c. 32.*

ctitatem conjugii ô *Dulcedo* noſtra Virgo, eloqui non valentes, item cogimur ſilere ſecretum. Juvenis cum Virgine, tot annis manet, & afflatu tentationis carneæ uterque caret? ſile lingua ſecretum. Inter aſpera, & dura tot conflictantur annis, & nulla intervenit rixa? calame ſile ſecretum. Tractant externa negotia, & domus curam verſant conjuges, & in orando ac amando Deo, Seraphinis pares? ſile mens ſecretum. Sollicitì ſunt quomodo mutuo ſibi placeant, & tamen diviſi Deo non ſunt? ſile cor ſecretum. Verè, quamvis nimis profundè dicta eſt Virgo Anſelmo: (g) *Sponſa inſponſata*, & Epiphanio, Sponſa Trinitatis! Et quomodo non dulcedo?

§ 6.

EP. Hildebertus Virginis in communi proprietate exprimens, (a) *Virgo* dixit, *eſt oblivio Naturæ*. Magna Virginitatis gloria, ſed rara avis in terris, Virgo oblivio naturæ; plures reperies quibus dicas, virgo memoria Naturæ. Si virgo oculis humanis eripiatur, ſi ipſa non admittat alienos; ſi patris ut inſomnis *Draconis* ſi matris perpetua cuſtodia cingatur, poterit virgo eſſe oblivio naturæ. (b) Quod ſi ut Danae illa, turri quidem claudatur, canum vigili muniatur, admittat tamen, & permittat aurum pluviam in manus cadere, (c) efficiet imbes aureus, ut oblivio naturæ cedat, & memoria ejusdem

(g) *Anſel. de lau. B. V.* Epiph. ib. de lau. B. M.
(a) S. *Hild. in ep.* (b) *Mithiolog. natalis l.* 7 *c.* 18. (c) *Horat. l.* 3. *carm. ode.* 16.

ejusdem redeat. Jam verò Dulcedo noſtra, Dei mater Sancta, tametſi viro nupta & tradita, quanquam domicilio uſuque vivendi loco alligata, ut tamen in ſe conſecraret, oblivionem naturæ, ſic viro convixit, quaſi interfuſo longo undarum freto, ab eo divideretur. Itaque quod monebat ſuus Pater, hoc in ſe ipſa expreſſit. Canebat & monebat David, (d) *audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum.* Audivit aure ſecreta venas ſuſurri divini; (e) vidit incoinquinatorum certaminum ubi caſtitas in perpetuum coronata triumphat, Virides ſemper laureas, & inclinavit cor & aures, ut neque populum ſuum neque domum Patris in memoria portaret. (f) Populus ſuus dicebat, beata nupta, quæ novellis olivarum coronatur: domus Patris clamabat maledicta quæ non ſuſcitat ſemen Patri ſuo, (g) hæc mortalitatem ejus, partu ſuo reficit ac ſolatur. Verùm, ad hæc Virgo clauſit aures, obſtruxit oculos, & quemadmodum ait Gregorius (h) *viſibilibus ſubtracta, & repleta inviſibilibus, perfectè contempſit.* Ut cum Solis fulgor infudit ſe in locum quem tenebræ occuparant, non eſt memoria amplius noctis & tenebrarum, ſed totum lux poſſidet: ita inquit S. Macarius, (i) anima quæ plenè illuſtrata eſt, ab illa ineffabili pulchritudine gloriæ luminis vultus Chriſti, & Spiri-

(d) *Pſal.* 44. 12. (e) *Job.* 4. 12. *Sap.* 4. 2. (f) *Pſal.* 127. 3. (g) *Deut.* 25. 5. (h) *Greg. l.* 5. *c.* 2. *moral.* (i) *Macar. Ægypt. hom.* 1.

Spiritu S. repleta, & digna quæ fieret domicilium ac thronus Dei, tota oculus, tota lumen tota gloria, tota Spiritus evadit. Quæ verba etsi in aliis suum, primum tamen in Virgine Virginum locum habent: ipsa enim in domicilium Deo & thronum Christo, & thalamum Spiritui S. designata, tota oculus immersa incorruptibilibus, tota lumen, excludens opera carnis, tota gloria utpote Antesignana Virginum, (*k*) tota Spiritus, quasi de carne non constaret, evasit. S. Hieronimus (*l*) considerat quomodo primi parentes eodem nomine Adam, oraculo divino sunt appellati: quia inquit Adam sonat hominem: hominem autem esse tàm Viro quàm fœminæ convenit. Cæterum Eva suo Adæ, non diu Adam, non diu homo permansit, Spiritu enim serpentis deflorata, serpens viro extitit, quem decepit, & fidei conjugalis bonum amisit. Non sic autem Virgo nova Eva, ipsa ut Deo semper Virgo, sic Josepho suo semper homo, semper Josephus, oblivio quidem naturæ, sed memoria perpetua gratiæ conjugalis.

§. 7.

ADventus Mesiæ indubitata describens signa Regius Vates, (*a*) *leo* inquit *& ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Quod vaticinium judaizantes ad tempora Christi, in fine mundi venturi detorquent, quasi tunc omnes bestiæ redigendæ sint in mansuetudinem.

(*b*) Hoc

(*k*) *Gen.* 5. 2. *S. Hier. in c.* 5. *Genes.*
(*a*) *Isa.* 11. *v.* 6.

(*b*) Hoc verò parum facit ad novitatem miraculi, ſiquidem in arca Noë (*c*) feræ depoſita adverſum ſe rabie, ſiluerunt. Sed neque explicari poteſt, de aurei temporis claritate, cum temporibus Saturni fortunata ex auro ſecula fluxiſſe jactatur. Ad majeſtatem ergo Chriſti facit, hoc quod ait Hieronimus, (*d*) quia lupus rapax Paulus habitavit cum Agno, hoc eſt Anania à quo baptiſatus eſt: (*e*) & quotidie cernimus in Eccleſia, divites & pauperes, potentes & humiles, reges & privatos pariter commorari, & pueris, hoc eſt Apoſtolis ſubeſſe. Porrò initio ſurgentis & herbeſcentis Eccleſiæ hoc in S. Joſeph ejusque conjuge eſt impletum: qui ſumma animorum conſenſione utentes, (*f*) tamen ita ſe quoad corpora neſcierunt, quaſi ſi leo duceret ovem. Et hoc maximè facit ad majeſtatem Chriſti, qui parvulus rexit & minavit par conjugum per viam altisſimæ puritatis, non ſolum intentatam vitæ veſtigiis, ſed neque cogitatione delibatam. In ipſis impletum eſt ante omnes. (*g*) *adducentur regi Virgines poſt eam*, quæ ſcilicet à dextris adſtat: revera enim poſt matrem Domini, in conjugio Joſephi, Virginem, & Virginum ſic copulatarum Reginam, procedunt paria liliorum, ſuccedunt juga immaculatorum: poſt eam Vadit Martianus cum Pulcheria, Henricus cum Cunegunde, Eduardus

 cum

(*b*) *Hieron. l. 4 in Iſai.* (*c*) *In Genes. c. 7. Rupert.* (*d*) *Hier. ibidem ubi ſupr.* (*e*) *Act. 9. 18 19.* (*f*) *Gloſſa extraor. in c. 11. Iſai.* (*g*) *Pſal. 44. 16.*

cum sua Regina, Emericus cum sua Principe, & cæteri. (h) *O quantis*, fatur Ambrosius, *illa virginibus occurrit, quantas complexa ad Dominum trahit*, ipsa in Fornacem inducit Matrimonii, (i) (quia illud conciliat) sed & ipsa flammam de lecto conjugali procul excutit, & ventum roris flantem, scilicet gratiam refrigeratæ carnis impartit. Optimè Augustinus, (k) *omne bonum nuptiarum impletum est in parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum*: prolem cognoscimus ipsum Dominum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium. Felices, qui sic potuere ut Joseph & MARIA permanere: quod si non, saltem, qui omne bonum nuptiarum assecuti sunt. Jam si, nec hoc concessum est desuper, (Deus enim fructum uteri assignat:) saltem qui fidem & Sacramentum ducentes simul, matrimonii jugum non corruperunt: fidem, quia adulterio carnem non diviserunt: Sacramentum autem, quia nullum divortium fecerunt. His accinendum.

(l) *Felices ter & amplius*
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divisus querimoniis
Suprema citius Solvet amor die.

Quid istis favis potest esse dulcius? Sicut contra, ubi vinculum quod Deus nexuit, vaga venus dissolvit, (m) quid potest esse hoc felle amarius, hoc absinthio acerbius? Non sine causa

(h) *Ambr. l. 2. de virg.* (i) *Dan. 3. 49.*
(k) *Aug. l. 1. de nuptiis, c. 11.* (l) *Horat. l. 1. car. ode, 13.* (m) *Numer. 5. 27.*

causa, suspecta adulterii jubetur aquas amarissimas bibere. Quibus haustis, si rea est thori, inflatur ventre, computrescit femore, & fit maledictio in populo. Ita malum & amarum est, Sacramentum fœderatæ, juratæque amicitiæ violare.

§. 8.

JAm verò si consideres Virginis gloriosissimæ, voto dedicatam munitamquè Virginitatem, dices, (a) hæc est terra lacte & melle manans. Terra, quia in proposito suo defixa immobiliter, & cujus cardines nemo emovit, neque ipse de cœlo lapsus Angelus, nec ejus Dominus incarnatus. Dulciter illi vetus & Christianus cecinit Poëta.

(b) *Salve Sancta parens, enixa puerpera regem.*
Qui cœlum, terramque tenet per secula. Cujus
Numen, & æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet: quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum Virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequentē.
Sola sine exemplo placuisti fæmina Christo.

Ultimus Sedulii versiculus, nonnihil difficultatatis excitat. Quomodo scilicet, MARIA Virginitate Deo placuit, (c) cujus exemplum non præcessit? Nam Ambrosio Elias nullius fæminei coitus permixtus cupiditatibus, invenitur: sed & Elisæus pressit Eliæ continentiam: & Hiere-

(a) Bonav. in psal. majori. (b) Sedul. qui circa 430. annum D. floruit lib. 2. carmin.
(c) Ambr. l. 1. de Virg.

mias Hieronimo (d) æternus Virgo. Quod si ad sexum restringas: filia Jephte, fit Deo hostia, fuso sanguine rubicunda, intaminata Virginitate candidâ. (e) Neque est credibile, tantis decurrentibus seculis, Virginem Israëlis morti non cessisse puram victimam. Quod si ista est, quomodo sola sine exemplo placuit MARIA Christo? Certè commodius quod nunc respondeatur non occurrit, nisi quia MARIAM, nulla Virgo, (f) voto innuptæ sortis impedita præcucurrit. In hoc ipsa prima est, in hoc Agni signifera; post eam, post eam currunt silvæ cum suis liliis, currit Carmelus, & saltant montes cum decore puritatis. (g) Ipsa prima mare transit rubrum tenet timpanum, canit canticum, & post eam funduntur & responsant cantibus liliatæ acies. Ipsa enim sanguini renunciavit princeps timpanum carnis subdidit mortificationi perpetuæ, & cecinit dulce verbum, voveo. (h) Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? inquit illa Angelo. Ubi Nissenus: (i) quoniam Deo dicatam & consecratam carnem, veluti Sanctum quoddam donarium, intactam cnnservari oportebat, propterea etiamsi Angelus sis, & de cœlo veneris etiamsi supra hominem sit id quod promittis, attamen ut virum cognoscam, fieri non potest. (k) Ha-

(d) Hieron. l. 1. adv. Jovinin. (e) Judic. 11. 38 39. (f) Rupert. in Cant. Ambr. de Virg. (g) Hier. ep. 22. ad Eustoch. (h) Luc. 1. 34. (i) Nissen. Greg. de Chris. nativ.

(k) Habeo virum cui ſum deſponſata, eum tamen non cognoſco. voto impedita S. Gregorius Nazianſenus ſpeciem Virginitatis conſecratæ deſcribens, ita cecinit. (l)

Invenies vitam, thalami conſorte carentem.
Dextrâ amplexantem cœlum, vitamque ſenectæ
Ignarum, lævâque manu, decus atque perennes.
Divitias.

Hæc deſcriptio, nulli illuſtrius quàm Virgini Matri convenit: ipſa enim cœlum, quod alii poſt ſera fata vix apprehendunt, votæ Caſtimoniæ virtute, cæpit, & nunc verſat, cuique indulget, illud applicat. Sed & ſenium non eſt paſſa ejus Virginitas, imò quo ſenior, Sanctior: quantum annis tantum Angelis Superior. Denique quæ Virginitate Spiritui S. nupſit, in dotem & Oeconomiam, decus & gloriam, opes & potentiam accepit.

§ 9.

VIdimus tres altas & raras Magnæ Matris arbores, cœleſti manare melle, quid noſtra Virgulta, num ſudant cœleſtia dona? (a) Oneſili Regis Ciprii caput à cervice reſectum, ſupra portam urbis Amathuſiæ fuit olim appenſum. Dum antem ea ignominiæ nota laborat illud, repentinum Apum examen ibi conſedit, & favos compoſuit. Quo viſo cives oraculum conſuluerunt, & inter heroes numerandum didicerunt,

(k) *Tol. in c.* 1. *Luc. ann.* 92. (l) *Nazian. in car. de virgin it.* (a) *Plin. rer. natural. l.* 11. *c.* 5. *Pier. l* 26. *c.* 3. *hieroglip.*

runt, moxque caput honorificæ sepulturæ tradentes, ipsum divinis honoribus coluêre. In capite ergo Onesili, apes & favi consederunt; in nostro autem cerebro, quis & quid nidificat? Si meditamur inania, muscæ: si ultionem, culices: si terrena, formicæ. Cur non & Christus, apum rex? *Apis est Dominus*, inquit Bernardus, (*b*) *quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum*; unde ad Civitatem Nazareth, quæ interpretatur flos advolavit, (*c*) & ad suaveolentem perpetuæ Virginitatis florem advenit, illi insedit, illi adhæsit. Quod si Apis ista pascitur inter lilia, moratur inter flores, nobis, an salva perstant lilia? an puritatis non emarcuere flores? Ecce Dulcedo nostra MARIA, integritatis suæ candore traxit ad se Christum, num & nostra? Illa viro de voluntate altissimi nupta, stetit tamen tota innupta; nos autem statu innupti, an desideriis errorum non nubimus? Illa votum quo se semel Deo alligavit, non religavit unquam, nos autem an possumus canere, vota mea reddo Domino de die in Diem? (*d*) Delicatè tractatur Christus à Patre: audi Richardum, (*e*) ab ipsa hora conceptionis suæ Christus D. repletus est totius dulcedinis & suavitatis plenitudine. Delicatè idem tractatur à Matre: *Mea mater*, (alloquitur Dominus S. Senensem Catha-

(*b*) *Bern. serm. 2. de advent.* (*c*) *Hieron epist. 17. ad Marcellam nazareth flos Galileæ.*
(*d*) *Psal. 115. 18.* (*e*) *Rich. Victor. l. 2. d Emmo. nu. c. 23.*

Catharinam) (f) *à me electa, posita, parata est, tanquam esca dulcissima ad capiendas animas, quibus captis, & sua charitate conditis me pascit conviviam.* Vult igitur idem Dominus à nobis delicatè tractari, in nobis suaviter epulari. Et meritò. Ad nos veniens ait Bernardus, (g) apis JESUS solum mel attulit, & non aculeum. Ut ergo Judex etiam adveniens, solum mel adferat, & non aculeum, ponat homo fel peccati, paret favos virtutum.

ARTICULUS. IV.

DULCEDO VISITANS.

§. I.

MElla de rerum natura tollit, qui divino sermoni dulcedinem negat. Unde enim apes & flores & mella, nisi de Sermonis divini operatoria efficacia, & de dulci dulcia? (a) *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*, inquit Psaltes. Et Jeremias, (b) *inventi sunt Sermones tui & comedi eos: & factum est mihi verbum tuum in gaudium & in lætitiam cordis.* Vide hinc quomodo Dei verbum utriusque hominis est cibus dulcis. Davidis faucibus, eloquia dulcia: Jeremiæ visceribus, suavia & mellita, quoniam lætitia cordis, non provenit nisi ex dulcedine cordis. Unde Hieronymus explicat, (c) conversi sunt mihi Sermones

---

(f) *S. Cath. Senen. in dialog.* (g) *Bern. ser. 2. de advent.* (a) *Psal. 118. 103.* (b) *Jerem. 15.* (c) *Hieron. l. 3. in Hierem.*

mones tui in cibum, quia gavisus sum me tuis paruisse mandatis. Clarius Augustinus discurrens de verbi divini Sapientia, (*d*) *mel* inquit *Sapientia est, primatum dulcedinis tenens in escis cordis.* Q. d. verba Sapientum profanorum, æstima ut mel Silvestre, vel mel fucorum, quia palatum aurium liniunt, & cordi pastum, & rationabili appetitui non præbent satietatem. Divini autem sermones cor pascunt & satiant, nec extra eos, nllus cordis cocus, invenit pleniorem quo pectus expleat, suavitatem. Quid quod sapientum verba, vocentur favi & mella? Favus mellis inquit Sapiens, (*e*) *composita verba, dulcedo animæ, sanitas ossium.* Severus autem loquens de opusculis Augustini, *favi* inquit (*f*) *sunt sermones Augustini, nectaris pleni, deliciæ animarum*, ex quibus eæ quicquid ex se minus inveniunt, aut imbecillum sentiunt, resarciunt atque suffulciunt. Quod si etiam servorum Dei verba, cordis habenda sunt mella; quantò amplius Matris divinæ, quæ diuturno sacrum Silentio os, in salutationem Elisabeth, & in carmen suum Eucharisticum, imperio Spiritus S. laxavit? Quare vox nostra humilis jure ei assonat, Salve Elisabeth Salutans, Salve DEUM magnificans dulcedo.

§. 2.

TRia operari potest vox dulcis, amicos multiplicare, Deum magnificare, & Spiritum ad saltum

(*d*) *August. in psalm.* 80. (*e*) *Prov.* 16. 24.
(*f*) *Severus ep.* 37. *inter epist. Aug.*

ſaltum gaudii excire. Sententia eſt Eccleſiaſtici (*a*) *verbum dulce multiplicat amicos, & lingua eucharis in bono homine abundat.* Magna vis verbi dulcis, quod non ſolum facere, ſed etiam multiplicare poteſt amicos. Sublato è vivis Salomone, petit populus onerum mitigationem: Roboam autem, qui petebatur, refert rem ad concilium Seniorum, deinde ad Juniorum. Ex quibus illi ſic concludunt, (*b*) *ſi locutus fueris populo huic verba lenia, erit tibi ſervus cunctis diebus.* Iſti autem, urgent Regem ut dura & amara reſpondeat populo. Ita factum eſt, ut populi cor à corde regis ſcinderetur, tantumque conſecutum ſit odium, ut deinceps nulla arte reſcindi potuerit. Ita verbum dulce multiplicâſſet amicos: Sed amarum, diviſit ac diſtraxit. feſtinat arreptis armis in excidium duri Nabalis David, (*c*) occurrit illi tempeſtiva Abigail, & cum armis non poſſet, verbis dulcibus pugnat, & expugnat virum, ſic autem potenter, ut non modo injuriam verborum remitteret, ſed etiam ipſam, ad conſortium thalami admitteret. Ita verbum dulce ædificat amicos. (*d*) Vaſthi Regina eò fortunæ jam provecta erat, ut amplius creſcere non poſſet: Sed cum à Rege ad convivium invitata, ſuperbia inflante, dura & acerba regi reſpondet, ejicitur de palatio, præſcinditur à thoro. Ita oppoſitum dulci verbo amarum, quos longa dies convinxit, diſſuit uno momento.

(*a*) *Eccle.* 6. v. 9. (*b*) 3. *Reg.* 12. (*c*) 1. *Reg.* 25. (*d*) *Heſter.* 1. 12.

momento. Quod si verba, vulgarium aut profanorum hominum extruunt amicos, multò amplius certe Sanctorum ? Cum enim illi potuerint dulcia loquentes, divinam sibi conciliare, & retinere amicitiam, quantò facilius humana scient rapere & possidere corda, suavium artificio verborum ? (e) *Lingua eucharis in bono homine abundat* inquit Ecclesiasticus: Græcus vertit *lingua gratiosa*, Menochius *lingua pretiosa*, alii, *lingua gratiis dives, in bono homine abundat.* Hoc est, bonus & probæ vitæ homo, non qualemcunque facit sed liberalem atque abundantem fructum, linguâ gratiâ, eruditâ, disertâ utens. Nunc, verte obtutum, ad divinæ Matris alloquium. Ingressa domum Zachariæ, gratiosa sua lingua Salutationem cognatæ sustulit, (f) & Joannem, amicitiâ Dei vacuum, gratiâ implevit. Verè dictum verba hominem ostendunt, ex oratione vir cognoscitur. Ecce enim Virgo salutatione sua intonuit, & peccatum de Joanne fugit: lingua Eucharis suavi sono exiliit, & ex inimico amicum Deo refecit. Si tantum edidit miraculum Virginis humana Salutatio, quantum poterit ejusdem supplex pro peccatoribus intercessio: Vim & suavitatem bonorum volens exprimere Proverbiastes, (g) *mala aurea in lectis argenteis, verbum dictum in tempore suo.* (h) Nempe quemadmodum gratiam lectis argen-

(e) *Eccle. 6. 5. Græca versio. Menoch. ibi.*
(f) *Chrisost. in Jul. apud Metaphr. Laërt. in Socr. Jul. Cæsar apud Sallustium.* (g) *Prov. 25. v. 11.* (h) *Janson. in c. 25. prov.*

rgenteis conciliant mala aurea iis interſperſa, quando candor argenti cum rubore certat auri ita verba tempori accomodata, ei qui dicit authoritatem conciliant, & auditorem mirificè afficiunt. Verba autem Matris divinæ, Joanni qui pace carebat, ubi cum pace Salutatoria inſonuerunt, pacem attulerunt, atque eum de lectulo duro ſpinarum: in lectum puritatis ac tranquillitatis transtulerunt. Qui enim tenebatur Spina peccati originalis affixus, is in mollem & pretioſum Gratiæ Sanctificantis lectulum tranſiit. *Sacra eloquia* inquit Ven. Beda (*i*) *rectisſimè lectis comparantur argenteis, quorum lectorum ornatui mala aurea ſuperaddit, quisquis ſpiritualibus ſenſibus ea plena demonſtrat.* Qui nimirum ſenſus aptè mala aurea dicuntur, quia de arbore vitæ, id eſt Dei Sapientia ſunt orti. porrò Virginis Matris verba, à Joanne audita, non ſolum ſenſum & Spiritum Joanni de Sapientia in ſe clauſa atque carne velata attulêre, ſed & ejusdem amicitiæ gratiam, & vitæ ſublimioris donum. Meritò dicenda, *verba vitæ*, quia mortem animæ, qualis erat primum peccatum expulêre. Et ſi verba Sapientum dicta opportunè jam auri, jam argenti pretium valent, Matris Dei Sermo, theſaurum æternæ Sapientiæ Joanni attulit, (*k*) utpote cujus inſtrumento ille particeps factus eſt divinæ amicitiæ. Hæc autem infinitus eſt theſaurus hominibus. Meritò ergo cum

(*i*) *Beda. in c. 25. prov. v. 11.*
(*k*) *Sap. 7. 14.*

cum S. Raimundo Jordano nobis illa consalutanda venit: (*l*) *ave Thesauraria gratiarum Dei.*

§. 3.

AMicitiæ bonum manifestans Seneca, *Societatem* esse dicit, *quæ homines hominibus miscet.* Melius & plenius Augustinus, (*b*) officium amicitiæ definit esse, *ut Spiritus Spiritui conjugatur, & ita misceatur, ut unum velit fieri ex duobus.* Hoc verò Joanni perfectissimè præstiti vox Salutantis Virginis, ad cujus energiam, omne obstaculum quod inter Spiritum Joannis, & Dei intercedebat, cessit, & fugit. Quo factum est, ut ejus Spiritus cum Spiritu misceretur Increato; ejusque commixtionis & unionis factæ, testis esset locuples, saltus infantis. (*c*) Semper enim honestam amicitiam gaudium sequitur Digna res notatu, interrogatum Joannem quis esset, respondisse, ego vox clamantis in deserto. Eundem autem non interrogatum sed spontanea mente motum de se dixisse ac Christo Domino: (*d*) *amicus sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Et verò convenit inter omnes, (*e*) nomine Sponsi qui habet sponsam Salvatorem designari: cujus sponsa Ecclesia, aut anima inquit Theophilactus: (*f*) paranimphi doctores, arrha peccatorum remissio: thalamus uterus Virginalis inqui Beda

(*a*) *Senec. epist.* 48. (*b*) *Aug. de amicit. c.* 11
(*c*) *Joan.* 1. 23. *Joan.* 3. 29 (*d*) *Joan.* 3. 29
(*e*) *Chrisost. ibi. Aug. tract. in Joan.* (*f*) *Theophil. in c.* 3. *Joan.*

Beda, (g) dos ſanguis, conſummatio Matrimonii in cœlo, addit Emmanuel Saa. Quid autem Joannes? amicos ſponſi, ſtans, audiens, gaudens. Quando autem amicus, & cujus opera factus? utique quando mater Sponſi, voce ſua excitavit, ejusque Spiritum cum Spiritu filii conjunxit. Tunc qui jacebat, erexit ſe, & quaſi ſtetit ſurſum ſublevatus de regione diſſimilitudinis, ad gratiam ſimilitudinis. Tunc, ſurdus habens obſeratas primo pomo aures, factus eſt auditor ſermonum Dei. (h) Tunc Spiritu principali confirmatus, ſenſit ſibi datam lætitiam Salutaris ſui. In hoc ergo titulo ab infantia ſibi per Virginem dato complacens, pièque exultans, ſeipſum deſcripſit dicens, amicus Sponſi. Et verò ſicut id decus parvulus accepit, ſic in eodem deinde fixus & immobilis permanſit, amicus ſponſi, ſtans, audiens, gaudens perſiſtendo. Quid eſt ſtare quærit Auguſtinus? (i) & reſpondet, *eſt permanere in gratia ejus quam accepit.* Quid eſt audire addamus? *eſt obedire voci Sponſi* inquit idem. Quid denique eſt gaudere ad vocem Sponſi? inducit Auguſtinus (k) ſic ipſum Joannem ſua verba explanantem. *Non gaudeo propter vocem meam, ſed propter vocem ſponſi: gaudeo ego in audiendo, ille in dicendo: ego auris, ille verbum.* Porrò Virgo Virginum quæ cooperata eſt Joanni ad obtinendum titulum, amici ſponſi, eadem nobis adeſſe, & opitulari

parat

(g) *Beda. ibid. Sa. ibid.* (h) *Numeror. 24. 4.* *Pſal. 50. 14.* (i) *Aug. tract. 14. in Joan.* (k) *Aug. tract. in Joan. 14.*

parata eſt. *Sicut vitta coccinea labia tua, & elo-quium dulce.* 70 extulerunt, (*l*) ſicut funiculu coccineus: hoc eſt, ô Sponſa habes labia qui bus formas ſancta & dulcia verba, ſic rubenti ut coccinea vitta, ut funiculus purpureus Labi ergo Matris Virginis, & inter omnes Sponſa Spiritus Sancti, ſupereminentis, duo habent, li gant vinculo, delectant guſtum; ligant vinculo quia vitta coccinea: delectant guſtum, qui dulce fundunt verbum. Intercedens enim Virg apud filium pro populo, eum alligat amicitia Sanctæ vinculo: ut qui ante Vagus & diſſolutu faſcis erat, Deo deinceps cohæreat. Ita auten intercedendo, mulcet aures, & recreat ſuo mel le palatum filii, quia eloquium ejus dulce. Alii ut inſinuavi legunt, funiculus purpureus. (*m*) Quia nimirum Virginis orantis & labiis ſuis pro nobis laborantis Charitas, non qualemcunque ſed ſublimem & regiam & divinæ majeſtatis ple nam in nobis amicitiam operatur. Purpura enim aut regem, aut regis amicum declarat Unde tres principes regii cubiculi certantes ſe cum, (*n*) Sapientia acumine, inter alia Victor præmia recenſent: cujus ſermo apparuerit, Sa-pientior, dabit illi Rex Darius dona magna, & purpura cooperiri. (*o*) S. Ambroſius vittam iſtam coccineam diſcutiens, *labia* inquit *Sponſa dicuntur coccinea, id eſt rubore quodam ſanguinei cum dignitate ſuffuſa, quia hæc tincta ſunt Chriſt ſangui-*

(*l*) *Cant.* 4. 3. 70 *verſio. Menoch. ibi.* (*m*) *Cant.* 4. 3. *alia verſio.* (*n*) 3. *Eſdr.* 3. 6. 5. 6.
(*o*) *S. Ambr. in pſ.* 118. *octogen.* 18.

sanguine. Omnes quidem Sancti, tincti sunt Christi sanguine, & sicut stolas suas sic & linguas laverunt in sanguine Agni: nemo tamen Sanctorum, tantum de sanguine Redemptoris ut Virgo recepit, quia ipsa primo mersa; ipsa profundissimè tincta: quare cum labia ejus nostrum cum Deo reconciliationem tractant, ita rubent, & tanta dignitate suffusa, ut in eis nihil aliud purpurascere nisi sanguis Christi, nihil aliud bullire & resonare, nisi cruor Agni videatur. (*p*) S. autem Gregorius, symbolo labiorum rubentium & ardentium, Charitatem orantis sponsæ intelligit. MARIA autem quo veriori nomine ornari potest, nisi Charitas pro hominibus nunquam tacens, Charitas operiens peccata, Charitas colligans corda? Vis nosse, quid etiam nunc operetur nos visitans Charitas sonora MARIÆ? alligat nos (*q*) Deo ut vitta, exornat ut purpura, vincit justitiam ut Rahab coccinum. Dicit bonum verbum pro malis, & incipiunt illi redire, ad vincula præceptorum ferenda, ad consilia quæ arripuerunt retinenda, reinduunt vota, quæ labia eorum distinxerunt. Denique qui vagi in viam cordis abierant, currunt ad fasciculum viventium, illiquè se includunt, & abdunt. (*r*) M. Theologus Græciæ legens verba Basilii de ratione benè vivendi conscripta, fatetur sic: *animo & corpore purgor, templumque Dei capax efficior, hoc reconcinnor & componor, atque in alium*

(*p*) *Greg. in c. 4. Cant.* (*q*) *Josue, 2. 21.*
(*r*) *Nazian. orat. de laud. Basil.*

alium virum migro, devinitusque immutor. Si tantum verba Basilii, quid poterunt in animis operari, sermones Reginæ Basilii, Magistræ Basilii?

§. 4.

Vidimus quomodo dulce Verbum MARIA facit & multiplicat amicos, videndum restat qualiter magnificet Dominum. Videns immensam Dei potentiam in filii Dei incarnatione esse exercitam, & infinitam bonitatem, in se diffusam, calentissimo corde ait Virgo, *magnificat anima mea Dominum.* Res mira? tres pueri miraculum ingens experti, ut magnificarent Dominum, omnia opera Domini ad benedicendum invitârunt, Virgo autem solam unam suam ad laudes Dei grandes animam applicat. (*a*) Non mireris: quia una anima, plus valet omni mundo. *Pretium animæ non est*, inquit Chrisostomus, *ne universus mundus.* Porrò rex Psaltes item magnificaturus Deum, creaturas quidem irrationales reliquit, omnes autem gentes excivit. (*b*) *Laudate* inquit *omnes gentes Dominum, & magnificate eum populi* (secundum lectionem S. Pauli, & 70) Virgo autem nec creaturas nec gentes, (*c*) sed animam suam ad insigniter laudandum DEUM evocavit. Quid ita? quia anima MARIÆ, æquivalet & prævalet ad omnes gentes. Audi Bonaventuram (*d*) *Verè opus mirablile MARIA, quia nusquam inveni*

(*a*) *Chrisost. de pret. anim.* (*b*) *Psal.* 115. 1. 70. *versio.* (*c*) *Rom.* 15. 11. (*d*) *Bonav. in specul. virg. c.* 7.

inbenitur ſimile in univerſis regnis. Nam præter aſſumptam à verbo naturam, nullum eſt opus, nulla creatura, in qua tanta divinæ gloriæ materia reluceat, ſicut in MARIA. Et adducit Anſelmum, (e) ſic Virginem alloquentem, *beneficiis tuis plenus eſt mundus, Charitas tua inferna penetrabit, cœlos ſuperabit.* Quæreret aliquis & non immeritò, cum virgo præſente cognata ſua magnificare Dominum cœperit, cur non ita ſuum carmen ſit exorta: magnificat anima noſtra Dominum, maximè cum beneficium in Virginem collatum, non illam tantum ſed & Eliſabeth, & omne genus noſtrum reſpiciat? (f) Verùm hic ſciendum eſt, neminem poſt Salvatorem dicere de plenitudine conſcientiæ veracis potuiſſe, anima mea niſi Solam Virginem. Cur ita? neſcio quomodo paſſiones noſtræ intemperatæ, affectusque exorbitantes, animam non ſinunt eſſe ſuam, ſed iis rebus affigunt ſervam, quas amat inordinatè. Dicebat bonus David, (g) *anima mea in manibus meis ſemper.* Quomodo autem? reſpondent alii, quia in periculo verſabatur vitæ: alii quia quod juſta mens volebat, hoc David faciebat. Hoc verò ſenſu poſteriori, an anima David in manibus ejus ſemper? nunquid de manibus ſuis in formam non aberravit Barſabe? nunquid de manibus ſuis non avolavit ad ſanguinem Uriæ? An avarus poſſidet animam, qui auro vendidit

 animam?

(e) *Anſel. apud Bonav. ubi ſuper.* (f) *Tolet. in c. 1. Luc. notat.* 124. (g) *Pſal.* 113. 109. *Lor. ibi, Men. ibi. Annon. ibi.*

animam? An ambitione ardens sui est possessor quem popularis auræ tumor in bullam conclu sit honoris? (*b*) B. autem Virgo inquit Toletu quæ ab omni peccato libera erat, & inordina to affectu carebat, nullique rei creatæ ullo mo do serviebat, ipsa potuit dicere perfecte, ani ma mea S. Thomas animam à Spiritu sic di stinxit: ut spiritus sit & dicatur id, per quo communicamus cum substantiis spiritualibus Anima (*c*) verò illud, per quod communica mus cum brutis. Cum ergo Virgo magnifica Dominum, qui se ad formam servi in ejus ute ro contraxit, sensus erit. O substantia me quæ communicas cum brutis, non brutesce sensus mei, cautores Domini mei persona ei gloriam: oculus & auris mea, esto illius tu ba, tactus & gustus meus, resona illi buccina ossa mea convertimini in organa: artus mei m grate in ejus linguas. Magnus in medio mi est, fæmina Virum circumdo.

§. 5.

SIc Virginis anima, quid nostra? Magnific vit illam Dominus super omnes animantes creaturas, proinde justum, ut illa non parui cet sed magnificet Dominum. Nondum il nostri gratia cor suum humanitati nostræ a glutinârat, & Jobus (*a*) tamen clamaba *quid est homo quia magnificas eum, aut quid app nis erga eum cor tuum?* (*b*) Contra Platonem multo

(*b*) *Tolet. in c. 1. Luc. c. 124.* (*c*) *S. Thom in c. 4. epist. ad Hebr.* (*a*) *Job. 7. v. 17.* (*b*) *Nazian. orat. 38.*

multosque alios S. Theologus Gregorius hominem magnum mundum vocavit, quem inquit Deus in parvo collocavit: collocavit pergit idem in terra Angelum alium, mistum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intelligibilis mysten: eorum quidem quæ in terris sunt regem, superis autem subditum: medium inter magnitudinem & humilitatem, idemque per animi ad Deum propensionem deificatum. Hæc & similia qui considerat, quomodo gratitudinis spiculo ictus, non Deo laudes refundit? Sed nos plerumque imitamur malos debitores, qui & tardè debita prosolvunt, & minus quandoque, & interdum monetâ adulterinâ. In nostras laudes effundimur, à divinis silemus: vix aliquid Deo, nobis toto gutture canimus. Idem Gregorius Naziansenus ab officio amici boni requirit, (c) ut in omnibus temporibus ac rebus nusquam adulterinum, aut subæratum quiddam tinniat. Te verò Christiane, quomodo non amicum suum facere intendit, cui tantam rerum magnitudinem & multitudinem commisit? an verò tu sincera ei laudatione respondes? (d) quid si ore sanctificetur nomen tuum depromas, & opere, ac adultera voluntate profanes? quid si totus per eum aureus effectus, æreis, hoc est pollutis labiis eum magnifices? (e) Ille tibi sonat & resonat grandibus talentis, tu vix nummulo eoque improbo illi tinnis. Et

(c) *Nazian. de absoluto prælato.* (d) *Matth.* 6. 9. (e) *Jerem.* 6. 28. *æs & ferrum universi corrupti.*

tu grandem conaris efficere Deum? qui sic mi nutum vilemque eum tibi pingis? MARIA sona dulci verbo, magnificat anima mea Dominum tua autem anima an tua? Quid si alieni come dunt robur, & possident animam tuam, & t ignoras? Illa sensus cogit in honorem Dei, t ad honores sensuum, omnem tuam curam fortunam impellis. Cum te sic magnificas, a Deum magnificas? (*f*) Audi Annam Samuel matrem, *exaltatum est cornu meum in Deo me os meum dilatatum est.* Ubi nobiliter Rupertus *rectè os suum dilatat, qui non se, sed Domin prædicat. Benè cornu suum exaltat, qui non sua sed Dei justitiam commendat.* Quod ut cons quamur feliciter oranda est nobis cum Serapl co Virgo mater: (*g*) *Ave Virgo cujus sensus nu quam fuit deprehensus arroganter elevari, a injuste gloriari.*

§. 6.

DUlce verbum Virginis, (*a*) facit exulta & exilire Spiritum in Deo Salutari. Sic i canens, *exultavit*, inquit *Spiritus meus in D Salutari suo.* Grande opus fecit, qui Spirit humanum exultare fecit. Quærit Philo (cur Sara negârit se risisse, & respondet: (*Verita est, ne forte gaudium, quod nulli creatu convenit, solius Dei rem usurpasse videretur.* N ter autem Sanctissima quæ Deum utero cœp

r

(*f*) 1. *Reg.* 2. 1. (*g*) *Bonav. in psalt. min.* B. *quinquag. tertia.* (*a*) *Luc.* 1. 47. (*b*) Phi *l. de leg. non script.* (*c*) *Genes.* 18. 12.

rat, & gaudium rem Dei, nulli creaturæ convenientem cœpit. Quare etiam non dixit, aut caro, aut anima exulta in Deo, sed Spiritus. Quoniam rem Dei propriam condignè nemo tractare potest nisi Spiritus. Diximus paulò ante juxta S. Thomæ (*d*) distinctionem, animam pertinere ad id in quo communicamus cum brutis: Spiritum verò concernere id, per quod communicamus cum substantiis spiritualibus. Spiritus ergo qui exultat in Deo, ad Angelorum pertinet sublimitatem: illi enim existentes puri Spiritus, in Deo puro item Spiritu exultare sunt plenè capaces. (*e*) Vidit olim vates par Seraphinorum Sanctitatis divinæ laudes concinentium, Ecclesia explicat, socia exultatione concelebrantium. Quis verò effectus canentium & exultantium horum SS. Spirituum? (*f*) *commota* inquit Isaias, *sunt superliminaria cardinum, & domus repleta est fumo.* Illustrat Hieronymus, (*g*) commotum est, sive sublatum liminare templi, & omnes illius cardines conciderunt. Portæ ergo procubuerunt omnes, & invitantibus, ac apertis ostiis, nulli non ad templum patuit locus. Quando autem Matris divinæ vox Angelica imò superangelica cantat, & Spiritus ejus exultat, quid rerum igitur? quis surgit effectus? obstructæ cœli portæ discedunt, Angelicæ potestates Sanctuarii stellati cardines emovent. Quin & cantus

 suos,

(*d*) *S. Th. in epist. ad hebr. c. 4.* (*e*) *Isai. 6 3.*
(*f*) *Isai. 6. 4.* (*g*) *Hier. l. 3. in Isai.*

ſuos, & carmina ſua quibus altiſſimam concelebrant Trinitatem quaſi interfuſo fumo non vident, audiunt novum in terris canticum, cui impar legionum ſupernarum canticum, & deſcendunt in terras, & diſcunt novum carmen Deo modulari. (*h*) Cum Titus Flaminius laboranti bellis & ſervitute ſuccurriſſet Græciæ, tanta applaudentium & exultantium Græcorum concrepuere tonitrua, ut vehementia vocum aves tunc prætervolantes de cœlo decuteret, & eia Tite Soter, ſive Salvator conclamantium Vis, aërem moveret. Cum autem concentu ſuo vernat virgo, & in Sotere, five Salvatore ſuo exultat, non ſolum ut dixi, Aves cœli beati Angeli devolant, ſed & humanæ, prius depreſſæ, (*i*) ſe erigunt mentes, & ſerò intelligunt, non eſſe gaudium de creaturis, ſed de Solo Creatore. S. Auguſtinus, examinans illud Pſaimi, *cor meum, de caro mea exultaverunt in Deum Vivum*, quærit cur additum eſt VIVUM? & cauſam adfert, ut oſtenderet, quia totum quod non pertinet ad Dei cultum gaudium deberemus habere quaſi mortuum. Quid autem res mortuæ conferunt ad hilaritatem? (*k*) Sapientisſimè Bernardus: *illud verum & ſolum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur: cui comparata omnis aliunde iucunditas mæror eſt; omnis ſuavitas dolor eſt, omne dulce amarum.*

§. 7. Jan

(*h*) Plut. *in paral. in Tito.* (*i*) *S. Auguſtinus tom. 10. lib. hom. 50. homilia 33.* (*k*) *Bern. epiſt. 115.*

§. 7.

JAm verò mater Spiritus, ſequiturne MARIAM, an averſus graditur? in quo exultat, quomodo tripudiat? Credo ego non unum, ſequi Ambroſii monitum: (a) eſt dicentis honeſta ſaltatio qua tripudiat animus, & bonis operibus corpus elevatur. Saltus impiorum. Sic hominem diſponit. Ut ſenſus deprimat animam laſciviens; juxta illud, (b) *lætitia impiorum ruina*. E contra verò cum animus elevat ſe ad Deum, & extra ſe exiliens, in eo tripudiat, rapit ſecum gravem & depravantem corporis ſenſum. Illa Iſaiæ verba expendens Caſpar Sanchez: (c) gaudebit ſponſus ſuper ſponſa, & gaudebit ſuper te Deus tuus, ſic conformat dulcem ſenſum. O Sion! ô Eccleſia erunt & audientur in te nuptiales atque triumphales voces & chori, quia Dominus ſuper te gaudebit, id eſt complacebit ſibi in te. Unde autem iſtæ voces nuptiales? quia tu ſponſa, & Deus ſponſus: ille ſuper te, tu item ſuper illo gaudebis. (d) Et ſicut ſponſus in die nuptiarum ducit manu apprehenſam ſponſam in giros chorearum lætas. ita te gaudentem deducet te Deus tuus, & de orbe in orbem; ac de giro in girum circumaget; ita videbis giros miſericordiæ quibus præuenta es in benedictionihus dulcedinis:

(a) *Ambroſ. l. 6. in comment. Luc.* (b) *Job. 20. 5. juxta verſion 70.* (c) *Iſai. 62. 5. Sanchez. in c. Iſ. 62. num. 24.* (d) *Gloſſa. in c. 62. Iſai. extraor.*

giros justitiæ, quibus erronea revocata es in viam pacis: giros veritatis, quia fidelis est qui promisit, & nobis facientibus quod imperatum est, ille reddit, quod justum est. Interim credo quoque majorem eorum numerum reperiri, qui non de creatore, sed de creaturis tripudiant; qui non nuptiales, sed insolentes voces concrepant, nec triumphos victores celebrant, sed intemperie mentis vitulantur. Istosné tu dulces lætitia, an tarantula ad morsos, & risu mortifero saucios judicabis? Non semel ego mecum commentatus sum, cum regnum cœlorum fermento & non azimo comparetur? Forsan autem & id eo, quia plurimi gaudere volunt de fermento, non de azimo. Ubi vulgata habet, *stultus labiis cæditur.* (*f*) Theodotion vertit, *fermentabitur*, nempe quando ut vult, insolentem secutus lætitiam effutit. Rursus, ubi communis litera stat, *inflammatum est cor meum*, Hebræa origo legit, (*g*) *fermentatum est cor meum*: quando scilicet in male parta dulcedine temporali, initium delectat, finis acerbat & mordet. Justi verò luctantur contra, & delectantur ac exultant in azimis sinceritatis & veritatis. Est quidem verum quod dixit B. Nilus, (*h*) difficile est apud se manere demissum & azimum, proinde dulcem sed tamen contra vulgum conantur, & elevant voce

(*e*) *Matth.* 13. v. 33. (*f*) Prov. 10. v. 8. *Theodotion. ibi.* (*g*) Psal. 73 21. *Hebr. vers.*
(*h*) *Nilus in biblioth. PP.*

voces mentesque suas ad Dulcedinem suam cum Bonaventura: (l) *ave Virgo flos æstatis, tu divinæ suavitatis, mel & manna suscepisti, & hæc nobis porrexisti.*

ARTICULUS. V.

DULCEDO PURIFICATA.

§. I.

QUod Samsoni, hoc Magnæ matri purificationis legalis iter decurrenti evenit. (a) Illi, apparuit catulus leonis Sævus & rugiens, & occurrit ei, *Irruit autem Spiritus Domini in Samson*, (b) hoc est audacem & fortem eum fecit, & dilaceravit leonem quasi hædum in frustra discerpens. In cujus deinde ore examen apum, & favum mellis invenit. Virgini autem Beatissimæ, quanquam divinum partum, enixæ, non una tamen à lege præscripta, difficultas quasi leæna erat superanda. (c) *Mater* illa erat ut loquitur Seraphicus Bonaventura *novi moris*, tamen antiquæ legis dura onera inviolabili sustinuit patientia. Et cum intraret templum Domini, non unum sed tres dulces Patri æterno intulit, obtulitque favos: primum illi dedit & concinnavit quadragesima purgationis: Secundum, devota in Jerusalem profectio stipavit: tertium JESUS oblatus ac Patri præ-

(l) Bonav. in psalt. min. B. V. quin. 2. (a) Job. 14. 5. 6. 7. (b) Sa in notis. Judic. 24. Lir. ibid. (c) Bonav. in psalt. B. V. min. quinq.

præſentatus elaboravit. Dixi autem tres favos, quoniam ſicuti omne vitium initio delectat, in fine acerbat: ita virtus principio nondum exercitatis ſenſibus, videtur quaſi inſipida, ſive in radice ſua amara: at fructus eius, fructus dulcis. Ergo acclamandum eſt hiſce tribus favis Instructæ, & dicendum, Salve DULCEDO. Ut porrò noſtra item dulcedo, ad Virginis contemperetur dulcedinem, tria nobis curanda: primum quidem, ut quadrageſimam purgationis ritè impleamus; alterum ut æmuli Virginis cum alitibus in ſupra Jeruſalem ſiſtamur: denique, ut manus noſtræ, non favos fucorum, Sed favum Sanctorum ſcilicet JESUM benedictum continere poſt Quadrageſimam vitæ inveniantur. Antiquis Philoſophis; mel dictum eſt (d) *cœli Sudor*: & nobis ergo pro melle divini ordinis Sudare non ſit grave.

§. 2.

ENimverò differt noſtra Quadrageſima à Quadrageſima Virginis: hæc enim quadraginta dierum ſpatio, noſtra autem totius orbe ac ſphæra vitæ definitur. Et ſicut Virginis quadrageſimam excepit læta JESU oblatio quaſi quinquageſima gaudii; ita circulum vitæ noſtræ conſequitur, quinquageſima quietis & lætitiæ in Jeruſalem illa ſublimi. Senſu hæc dixi Bernardi. (b) *Duo tempora celebramus fratres*, ait ille, *quadrageſimæ unum: alterum quinquageſimæ*

(d) *Alex. ab Alex. l. 5. c. 21.* (a) *Bern. ſer. 1. de pent. circa finem.*

næ. *Illud ante passionem, istud post resurrectionem, illud in compunctione cordis, & lamentis pœnitentiæ, istud in devotione Spiritus, & alleluja solemni. Prius quidem tempus est vita præsens: posterius verò quietem Sanctorum significat, quæ fit post mortem.* Sic Bernardus. Contraxisti te fortasse, cum audis præsentem vitam, duram vocari quadragesimam, & gemituum ac pœnitentiæ matrem? iste est sensus, hæc veritas de tertio cœlo allata. Accommoda aurem: (b) *qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, ut absorbeatur quod mortale est à vita.* Quanta autem portione temporis gemituum oneri vocandum est? donec mortale non sit mortale, sed à vita illa absorbeatur sempiternâ. (c) Hæc explicatio Ambrosii est: ideò inquientis *ingemiscimus & laboramus, donec mortale hoc veteris hominis indumentum, & errori effectum obnoxium, novitas vitæ Spiritualis absorbeat. Ideò laboriosa pœnitentia, suavis gratia.* Sic Ambrosius. Cum igitur tota vita nostrâ mortale vigeat, & nobis velut vestimentum adiaceat, tota vita nostra oportet sit Quadragesima purgationis, & laboriosa pœnitentia. (d) Quod S. Petrus Simoni mago, hoc omni veritas dicit peccatori, *in felle amaritudinis video te esse.* Justus est Deus! peccator, ad amaritudinem provocat illum: (e) Deus item in felle amaritudinis locat illum, ut talionem ejus recipiat, quod impiè Deo inferre

(b) 2. *Cor.* 5. *v.* 4. (c) *Ambros. in psal.* 38.
(d) *Act.* 8, 23. (e) *Osea.* 14. 1.

tentavit. *Deus naturaliter dulcis est* inquit Rupertus, (f) *nec parua potest esse causa per quam ad amaritudinem concitatus esse videatur.* Cor impœnitens hoc effecit. Ex quo, nova ratio Quadragesimæ purgantis à nobis amandæ oritur. Nam, homo, & peccando, & in peccato persistendo, nec agendo pœnitentiam, Deum exacerbat. Malum est peccando ad amaritudinem eum provocare, sed peius est provocatum in amaritudine detinere, & in se armare. Donec ergo mortale absorbeatur à vita, ingemiscendum est in diebus purgationis. At enim multi Bacchanalia vivunt (g) tota vitæ die? Sic est. Sed eorum Bacchanalia, comitatur & excipit longa amaritudo & miseria. Refert scriptura, Judæos (h) cum amara necessitate ductos esse ad Bacchi sacrificia: nostri autem bacchantes quasi dulci cum voluntate trahuntur ad hederas & convivia Liberi: ubi autem mortale arreptum est ab immortalitate, quæ absorbet peccatores, tunc amaram necessitatem, dulcem quondam vitam sentiunt. Nunc illi faciunt ubi possunt Pascha, & cantant, sed non sancto cum Spiritu alleluja post alleluja mendax, sed ubi vita finitur, damnantur ad Quadragesimam non salutaris, (i) sed inutilis pœnitentiæ. Christianus, ut Christus apis: apis finit opus in melle, incipit à lachrymis: (k) Nar-

(f) *Rupert. in c. 14. Osee.* (g) *Juvenal. in satyr. 3.* (h) *2. Mach. 6.* (i) *Bern. ser. de adv. Dom. 2.*

(*k*) Narcisſi lachrymam, & lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina.

Sic inquit Bernardus, (*l*) tempus hujus *vitæ miſeratio divina indulſit, quo flere commiſſam debeamus iniquitatem.*

§. 3.

VIrgo Mater citò Quadrageſimam Moiſis, ſed tardè ſui luctus finivit. Poſtquam enim omnia ſecundum legem perfecit, tunc aſtris mundior audit, *tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit.* (*a*) An autem hic doloris gladius cum venit in paſſione filii, & animam pertranſiit, & receſſit? an rurſus poſt aſcenſum in cœlos filii, cum paſſionis ejus memoria publicis coli cœpta eſt officiis non rediit? (*b*) an cum loca ſanguine reſperſa, doloribus conſecrata, morte, reſurrectione aliisque filii miſteriis nobilitata & non ſemel adiit (*c*) (ut certi referunt authores) non toties animam ejus luctus ingens vulneravit? Et hoc tibi turtur hodiernus innuit, cujus vita gemitus perpetuus, ſed tamen dulcis. Nam ſicut flere eſt quædam voluptas, ita & gemere habet ſuum ſaporatum condimentum (*d*) Jam verò, nos dulcis Matris ſæpe amari filii tenemur deſiderio Sanctam & altiorem cum ea purificata purificati ingredi Jeruſalem: ardemus calentisſimis votis, ſiſti Do-

(*k*) *Virg. Georg.* 4. (*l*) *Bern. ſerm. ad Scholares.*
(*a*) *Luc.* 2. 15. (*b*) *Rupert. in Cant.* (*c*) *Hier. de vita virg.* (*d*) *Ovid. triſt. l.* 4. *eleg.* 3.

Domino, & per manus ejus in altari illo summæ reponi gloriæ: sed oportet prius dum Quadragesimam mortalis vitæ trahimus cum Matre nostra sub onere purificationis nostræ gemamus. Illa intravit in templum Domini cum turturibus, an nos cum philomelis? Refertur de Henrico III. Rege Galliarum, cum videret ille filium suum vehementiori studio Musicæ teneri, & sæpe sæpius cantillare, monuisse: *canta fili canta cum alaudis, non cum philomelis.* Innuens fortasse eam animi morumque temperiem ei quærendam esse, quæ illi cantus perpetui sit causa: quomodo alauda ferè toto anni spatio perstrepit sua vocula, versus cœlum tendens, elevansque sese: & non sicut philomela quæ exigua anni particula auditur in viridi fronde concinens, sedendo, non volando in cœlum. At nos, cum philomelis non cum alaudis Quadragesimam vitæ præsentis ducimus, imò multi, nati ut alaudæ cœlo, vivunt ut philomelæ mundo. Soror Prognes Philomela, (e) ut est in historiis veris & deinde in fictis fabulis, vitium passa à Tereo, aliquantulum luctibus vacavisse narratur, eò quod virgo regia, injuriam tantam subjisset: commiseratione autem Deorum in lusciniam versa est, quæ deinde dulci cantu omnes oblectavit. Unde Epigrammaticus,

(f) *Flet philomela nefas incesti Tereos, & quæ*
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Huic

(e) *Ovid. in Metam Natalis in mith. l. 7. c. 10.*
(f) *Mart. l. 14. Epigr.*

Huic porrò Philomelæ consimiles reperiuntur multi: Etenim deperdita Dei gratia, & vitiis contaminati aliquantulum luctibus & gemitibus laborant, deinde verò obliti quid fuerint olim, & quid sint hodie, insolenti lætitiæ sese permittunt: cantant in terris, nihil cogitantes de cœlis. Istis, si modò sub tutela DULCEDINIS nostræ vivunt, insonat Virgo Mater: canta fili canta sed cum turturibus in gemitu, sed cum alaudis in virtutum profectu atque ascensu. Non enim in supernam Jerusalem cum lusciniis, (g) sed cum turturibus intratur, juxta illud, (h) *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. In vitis PP. legimus de S. Eremicola Dositheo, eum in juventute cum malis mundi philomelis cecinisse, attamen Matrem Virginem studiosè coluisse. Ecce autem die quadam incidit, in tabulam quandam quæ philomelas mundi, in turtures Orci conversas repræsentabat. Istæ aves silebant sensibus, sed in animo horrendum & tristè personabant. Ergo concuti timore totus, deinde & in nubem magni luctus cogi, denique pluere lacrymis. Hic V. Mater purpureo peplo fulgens, & dulci vultu renitens Dosithee, inquit; ignes aspicis, & fletu liquescis? fili in sylvam abi, & age gementem turturem. Disparuit Virgo, & Dositheo vanitas mundi, gaudium solitudinis & Paradisi illuxit. Ergo ordinatis ritè rebus avolavit in Silvas. Sic ergo & tu quicunque de Spiritu Vir-

(g) *Matth*, 5, *v.* 5. *Rosueid. in Vitis, PP.*

Virgineo censeri vis hæres, canta fili canta, non cum philomelis, sed cum Marianis turturibus.

§. 4.

NOn unum, sed par turturum Virgo attulit ad templum Domini: nec nobis unus, ut admittamur in sublime Gloriæ templum, sufficit. Laudans cœlestis sponsus sponsam, *pulchra sunt*, inquit, (a) *genæ tuæ sicut turturis*: alii verò legunt, (b) *pulchræ sunt genæ tuæ sicut turtures*. Quid facit ad pulchritudinem turtur? genæ enim rubent & albent pulchræ, turtur autem læti coloris non est. Sed adverte ex Doctoribus, olim filiabus Jerusalem in more fuisse, (c) ut ab utraque genarum parte portarent ex aliqua pretiosa materie turtures formatos, ut sic naturalis formæ vel augeretur vel suppleretur gratia: & monerentur servandæ pudicitiæ, cujus turtur symbolum & Magistra est. Christianus autem, si dulcis Deo suo cupit inveniri, oportet ut duplici ornetur & resonet gemitu, turturis vicem referens gemini: altero, ut ploret peccata, altero ut suspiret ad cœlestis patriæ gaudia: quorum si alterum absit, nec pulchra aspectu, nec suavis cantu Deo habebitur sponsa. Junxerat in se duos istos turtures qui dicebat, (d) *hei mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar*. Ubi benè advertit Genebrardus, (e) hanc vocem gementis

(a) *Cant.* 1. 10. (b) *Hieron. lect.* (c) *R. Abrah. in* 1. *Cant.* v. 10. (d) *Psal.* 119. v. 5 (e) *Genebr. ibi.*

mentis esse: & peregrinationem suam deplorantis, & ad patriam suspirantis: item miseriam peccati plorantis, quia apud Cedaritas, infideles & peccatores, nonnihil de eorum vitiis contraxerat. Cedar sonat nigredinem; obscuritatem, tenebras. (*f*) David autem inter nigros istos manens & tenebrosos, & obscuros, nigredinem in moribus tenebras in mente, obscuritatem in virtutibus patiebatur. Nec alibi versatur, dum in mundo conversatur omnis. Mater illi Hierusalem sursum est, mundus Cedar mundani Cedaritæ: inter quos vivendo, & non possidetur patria quæ sursum est, & possidetur non una culpa quæ obscurat & denigrat. Hoc igitur, dum vivitur, gemitur: hoc à Sanctis ploratur, & ploratus eorum desinit in dulces fructus. (*g*) Excitans idem Sponsus cœlestis suam, veni, propera, duo motiva admovet, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos. Q. d. dignam te judico quæ mihi jam nubas & copuleris, quia video & audio te scire gemere & mala quæ olim commisisti, & bona patriæ, quæ spe & desiderio inflammato suspirare didicisti: dulcia te expectant post amara, post acerba suavia, post Quadragesimam Pascha, post Babilonem flebilem ridens Jerusalem. Neque à Dei more recedit Mater Dei: quos amat suos, eos tenet in mundo ut turtures, non lætis cantibus vernantes, sed gemitu præteritorum & futurorum personantes. Cum

(*f*) *Hier. in nomin. Hebraic.* (*g*) *Cant.* 2. 11.

Cum audet clientes ſuos in choro gementium & flebiliter ac ſine ſolatiis inanibus viventium ſonantes, (*h*) vox turturis, exclamat, audita eſt in terra noſtra, ficus proferat groſſos, nutriat, maturet. Narrat Cæſarius (*i*) matronam quandam colonienſem, quoties penſum ſacrati roſarii Virgini Matri legebat, toties dulcedinem quandam in lingua ſenſiſſe. Cujus exemplo permotus, cum quidam Marſilius eandem roſarii devotionem orſus eſſet, initio quidem non, deinde autem poſt ſex hebdomadarum decurſum, Saccharatam expertus eſt Salivam. His te, qui legis hæc, adjunge. At inquis, pridem id pietatis & orationis genus ego uſurpo, nec tamen dulcedinem experior. Benè eſt ſed vide, an iſta duo in te conjunxeris, vocem turturis, cum groſſo ficus. Tu ficus vis ſentire, & de gemitu non guſtare prius, hoc verò, inverſus ordo rerum eſt. Diſce inprimis gemere tua & aliena peccata: incipe recordari Sion, ſuſpendere Babiloniæ lætitiæ organa in amaris ſalicibus, & ficus de corde in linguam aſcendent. Sicut & Marſilius non ſubitò ut cœpit roſarium legere Parthenium, libavit ſaccara: ſed poſtquam luctu beato, expiavit & præparavit animam. Referunt authores de Hierone rege Siciliæ: (*k*) is de patre rege matre antem ſerva natus, avibus ac feris expoſitus fuit à Patre. Quem tamen videns crudelis Pater, à feris non tangi,

(*h*) *Cant.* 2. 11. (*i*) *Cæſar. l.* 7. *c.* 50.
(*k*) *Plin. l.* 11. *c.* 5. *Juſt. l.* 23. *Pier. l.* 26. *c.* 3.

angi, ab apibus non morderi ſed paſci, recepit eum ad ſe, atque ut hæredem regni educavit. Tu verò Chriſtiane mecum exiſtima, te hunc temporum mutationibus Subiacente? Hieronis fortunam ferre. Traditus es, mille caſibus & periculis, plusquam feris & avibus lacerandus, & verò ſi non dilaceraris, laceraris tamen & pungeris & vulneraris Sed perſta, & ſi in fidem & tutelam Virginis te dedidiſti, perfer & obdura: conceditur tibi ſine patientiæ dedecore, ut moderatè incolatum tuum cum Cedarenis lugeas, & promittit virgo, ubi liquida vox turturis in terra tua audietur, ficus præcoquas erupturas. Neque verò hujuſcemodi viæ ac vitæ labor te gravet: hac ivit & ipſa, tua & noſtra DULCEDO. Heſychius (*l*) qui circa annum D. 601. floruit, nuncupavit *Virginem turturem mundam, & impollutam columbam*, præclarum naturæ noſtræ ornamentum, gloriam luti noſtro. Hæc tamen hodie Virgo efferens, filium quid audit? (*m*) tuam ipſius animam pertranſibit gladius doloris ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Sed quales? Chriſto ſuo filio, conſiliis, vocibus, factis & turbis, clavis & cruce contradicentes. Ecce quomodo â gemitu non eſt data quies Virgini, gemit ſuper parvulum: gemit ſuper Virum, gemit ſuper miraculis coruſcantem, gemit in opprobriis & doloribus ſuper occumbentem, & tandem ad dulcia pertingit. Tunc igitur in gemitu

(*l*) *Heſich. orat. 2. de S. Mar.* (*m*) *Luc. 2. 35.*

gemitu laborare grave duces, qui gladium æterni meruisti doloris, & non turturis, sed immundi corui diu gessisti figuram? Fodit gladius cor Virginis, & apparuerunt peccata Judæorum, materies gemitum. Tu fode cordis tui parietem, & videbis abominationes, ac desolationes, (n) mille falsis nubibus diluendam? Vox est Hieronymi: *omnia genera bestiarum adorat stulta religio*: Utinam non etiam corrupta: & modica lugendi gemendique pro peccatis necessitas?

§. 5.

NEque verò solum videns suum JESUM inter voces, manusque contradictorum gemuit Virgo, sed etiam se videns & JESUM post ascensionem non videns, ideoque post eum ire ardens, gemuit ut turtur Virgo. Nobis scilicet in exemplum: ut, licet nihil nobis conscii simus, gemitum tamen, cupientes dissolvi & esse cum Christo, non interrumpamus. De turture Maro, (a)

Nec gemere aërea cessabit turtur ab ulmo.

Origines verò & Eucherius referunt, (b) nomine turturis solitarii & sublimis olim intellectum æthereum, secretiori & divinæ Sapientiæ significatum esse. Quis verò minus de bruta terra, & plus de æthere divino habet intellectus, quàm qui fastidiens caducas oras, desideriis altioribus infert se in partes immortales?

(c) Fortu-

(n) *Hier. l. 3. in Ezech.* 8. (a) *Virg. ecl.* 1.
(b) *Orig. h. 2. in Cant. Euch. de Spir. S.*

(c) Fortunati, quos omnis dies interrogat, & omnis nox excitat quærens, ubi eſt Deus tuus? (d) quo abiit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? Hortatur Os aureum, quæcunque figuram turturis in mente veſtra portatis, hujus ſobriæ imitemini caſtitatem. (e) Sicut ergo fidelis nupta, nec dividit ſuos amores in abſentia mariti, nec ſe inebriari ſinit aliis, niſi lacrymarum ſolatiis: ita anima ſuam Quadrageſimam purgantem nunc portans & ſimul abſentiam Sponſi, ſolis gemitibus ſe ſolatur, & deſideriis olim videndi paſcitur ac vegetatur. Benè unus: (f) *Verè ſapiens, dum tempori ſervit, æterna ſuſpirat.* Rectè Bernardus: *Vox turturis gementi quàm canenti ſimilior peregrinationis noſtræ nos admonet.* Pergit (g) *Cernere eſt turturem tempore ſuæ viduitatis ubique ſingularem, ubique gementem*, ut tu ab eo diſcas voluptatum virentia velut virulenta vitare, & terrena deſpicere, ac amare cœleſtia. Res obſervatione digna, cur Abraham juſſu Dei non duos turtures aut duos columbos, (h) ſed unum turturem, & unum columbum? Communior & verior reſponſio, utraque hac volucri unam gentem Abramiticam, ſed diverſo ſub ſtatu, figurari. Cum illa per deſertum 40 annis peregrinata eſt, turturis formam habebat: cum autem in terra lactis & mellis conſedit Domina, columbæ ſpeciem domeſti-

(c) *Pſal.* 41 15. (d) *Cant.* 5. 17. (e) *Chriſoſtom. in Genes.* (f) *Gloſſa. in pſal.* 41.
(g) *Bern. ſerm.* 59. *in Cant.* (h) *Genes.* 15. *Abul. Lir. Tirin. ibi.*

domeſticæ retulit. Nec tu Chriſtiane, ut columbus terram viventium poſſidebis, niſi prius in terra morientium gemere ut turtur, didiceris. Alloquens DEUS S. Philippum Nereum, (i) & docens rectum iter in cœlum; *oportet* inquit, *ut Romæ, quaſi in deſerto vivas.*

§. 6.

NArrat S. textus cum Holofernes tenderet in Jeruſalem, cum cantu eum perrexiſſe: *univerſarum* inquit Sacer textus (k) *Urbium habitatores, & principes, & honorati ſimul cum populis exibant obviam venienti, excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes choros in tibys & tympanis.* Quæ omnia apud veteres ut advertit Serarius noſter ſummæ lætitiæ (l) & reverentiæ argumenta erant. Quod ipſum Alexandro M. Rogiſtanes Babiloniæ Præfectus fecit, (m) qui totum iter quod tranſiturus erat Alexander floribus conſtravit, coronis adornavit, altaribus argenteis hinc inde diſpoſitis, (quæ non thure ſolo ſed omnium odoramentorum genere halabant,) complevit. Sed & novo Anno appetente, non paucæ gentes Fortunæ menſam ſplendidam dapibus erigebant, (n) lucernis ignem, foribus ſerta apponentes, & carmina læta concinentes. Nunquid autem ut revertamur ad Holofernem, ſicut lætus & ovans ibat, ſic intravit

(i) *In vita S. Philip. Nery,* (k) *Judith.* 3. v. 9. 10. (l) *Serar. in c.* 3. *Judith.* (m) *Curt. l.* 5. *de geſtis Alex. M.* (n) *Tirin. in c.* 65. *Iſai. ad v.* 11.

travit Jerusalem? nunquid chori philomelarum, qui ipsum circumvolabant & strepebant circum, induxêre lætum Victorem in urbem captam? Intravit ille fortassis in Jerusalem, (o) sed capite tantum, non totus: Visus est ludibrium fortunæ, & non fecit sibi sicut cogitavit spectaculum læti triumphi. Hæc est eorum figura, qui in Jerusalem Spiritu tendunt, sed per gaudia dulcia, & festiva Paschata, nec meminerunt, immutabilis dicti, (p) *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Verè Charidemus Dario, (q) *homines cum se permisêre fortunæ, etiam naturam dediscunt,* & in nimia prosperitate, fragilitatis humanæ obliviscuntur. Sobna Præfectus templi, (r) dulci ebrius fortuna, putabat se de Hierusalem neque post mortem motum iri: cui DEUS: *ecce asportari te faciet Dominus, sicut asportatur gallus-gallinaceus.* Quare vivus patriâ exuitur mortuus in sterquilinium Babilonis quasi gallus reconditur. Vixit ut gallus superbus, sepelitur ut gallus putridus. Refert noster Salianus, (s) eum coronam & auream laminam, quod summi insigne erat Sacerdotii assumpsisse, & superbè Sacerdotibus & Levitis, cristas erigentem tumidus imperitâsse: ecce autem vindicta coronam decussit, cristas evulsit, & Sobna ille de Deo templi animali, inplume, bipes. Ita qui in Hierusalem, vivebat, quasi non in Jerusalem, moritur in Babilonio

(o) *Judith.* 14. 16. (p) *Matth.* 5. 6. 5.
(q) *Curt. lib.* 3. (r) *Isai.* 22. 17. (s) *Salian. anno mundi* 3322. *num.* 25. *Epitom.*

lonio carcere, & conditur asini sepultura. Timete galli, superbè cristati, & lætum canentes? (*t*) & cujus facta imitamini, ejus exitum perhorrescite. En qui Hierosolimis insolenti diffluebat lætitia, mortuus caret lacrimis & honore sepulchri. In patria gallus cantans, turtur gemens in Babilonia. Gallus in templi pinnaculo, asinus in miserrimo sepulchro.

§. 7.

ET adverte, Sobnæ oppositum Apostolum Unus de Jerusalem in Babilonem descendit neque inde rediit: Paulus autem per Babilonem & quidem multiplicem, in Jerusalem penetravit. Dicebat ille lætus, non faciens animam suam pretiosiorem quam se: (*a*) *ecce eg alligatus Spiritu vado in Jerusalem.* Quo vad Paule? vado in Jerusalem. Quomodo? alligatus. A quo? à Spiritu. Num alacer & fortis (*b*) *vincula & tribulationes me manent in Hieri salem ego horum nihil vereor.* Ad vincula fer tanquam ad torques auri festino: tribulation margaritas reputo, quibus cum oneror, à Chr sto honoror. Alligatus vado Spiritu in Jerusalem, (*c*) velut animal Loro vinctum, quo suus Dominus ducit agitque ad victimam. Nih vereor quæ alii trepidant: nec fuga me subduc tametsi possem, (*d*) siquidem & in hoc præluc mi

(*t*) *Cic.* 2. *Philip.* (*a*) *Act.* 20. 22. (*b*) *A* 20. 23. (*c*) *Lor. in. c.* 20. *Act.* (*d*) *Athanas. in c.* 10. *Matth. Vatablus in Act.* 20. *c.*

mihi Dominus & verbo & exemplo. Habeat qui voluerit, animam suam, hoc est vitam præsentem charam, & pretiosam: ego crucem Domini quam ore prædico, toto peregrinationis meæ tempore porto & sustineo. (e) Ubi Ecclesiam persecutus sum, ibi pro parte Ecclesiæ decertare paratus sum, expeditus sum, alacer sum. Ubi corrupi malo; ibi reædificare volo bono patiendi exemplo. (f) Pars enim quædam satisfactionis est, ibi pœnam luere, ubi placuit peccare. Nihil ergo vereor, qui Deum in corpore meo habitantem revereor: nec vita mihi est mortalis cara, aut pretiosa, cui mori lucrum est, & cadere pro Deo votum & pretium. Vado in Hierusalem quæ occidit prophetas, & per eam pergo in alteram Jerusalem, quæ occisos recipit, vivificat, coronat. Jam verò, quomodo Paulus vadebat in Jerusalem sic læti & alacres pergunt in Hierusalem MARIÆ Spiritu alligati. Quis est autem MARIÆ purificatæ Spiritus, nisi divinis monitis ac aspirationibus parere? (g) Sicut & ipsa quasi non esset ipsa, omnibus legum oneribus submisit se ceream imò et adamantinam, ut gauderet super se Deus suus. Non sicut Sobna, qui habens animam non benè sibi caram & pretiosam, (h) Hierosolimis quasi in Babilonis palude vixit nec reveritus est officium suum quod tractavit, & legem quam portare debuit. Iste ergo nec Hierosolimam retinuit,

(e) *Beda. Act. 20.* (f) *Lor. in c. 20. sect. Ver. 24.* (g) *Glossa in c. 1. Luc.* (h) *Isai. 22. 17.*

nuit, nec honoratam cadaveri suo terram, Babilone invenit. Alligata Spiritu alligata lege perrexit MARIA in Jerusalem, & nihil reverita est. Sic vadunt post eam filii, vadunt inquam; non dissoluti vitulante lætitia, sed alligati obedientia & Spiritus ductu, tanquam Sacratæ hostiæ ad Hierusalem, ad Dei aram (i) properant, atque adducuntur. Elevanda est nobis cum Sanctis supplicatio: *ave Virgo, veta mentem, te laudando diligentem, deputari inter eos, ubi mors depascet eos.*

§. 8.

CÆterum Dulcedo nostra MARIA, perrexi in Jerusalem, non vacuis cum manibus, sec don m donorum JESUM deferens Neque verc cœlestis Jerusalem pro cive eum recipit qui va cuis manibus sine dono vultui divinæ apparet Securus ille & dives venit, qui JESUM in ulni ferendo venit Verum si hodie dum spiro dur vivo JESUM non porto, quomodo vita de functus eum tenere inveniar? Vivis ergo ir clamatur, (a) *portate Deum in corpore vestr* vel ut Tertullianus legit, tollite Grandis r tio: tollite Deum, gestate, portate, in corpo vestro explicat Chrysostomus, *fornicatione fugiendo*; in piritu autem, nihil mali cogita do. Cur autem quia empti estis, proinde v stri juris non estis: grandi autem pretio emp

esti

(i) *Bonav. in psal. min. quinq.* 1. (a) 1. C 6. 10 *Tertul. adv. Judaeos. Chrisost. in* 1. *co* 6. 6.

ſtis, grandi igitur quoque obligatione conſtri-
ti. Non poteſtis Chriſtum Seſſorem & onus
eſtrum excutere, ne infra jumenta Vosmet
bjiciatis. Jumentum enim emptum, portat
uum emptorem. S. Gregorius (*b*) conſide-
ans quomodo *B. Paulus alligatus Spiritu* vade-
at in Jeruſalem, *cum Paulus* inquit *tenderet in*
'eruſalem, ſub ejus tentorio ibat Deus. Quod eſt
utem Pauli tentorium ſub quo ibat, in quo por-
abatur Deus? tabernaculum mentis & corpo-
is: ita nimirum decet nos quoque tentorio no-
ro claudere, & dulciter ſtringere Deum: &
uidem ut Paulus perpetuò, nam & qui porta-
ur à nobis, ſemper vult portari à nobis, ſicut
: ipſe unus & idem in bona verſus nos volun-
ate permanens, nos portat verbo virtutis ſuæ,
: noſtri cauſa omnem mundum. (*c*) Exhor-
ans Septimius Chriſtianos ad conſtantiam &
niformitatem ferendi Deum, nusquam inquit
hriſtianus aliud eſt, Evangelium, & idem JE-
US. Tu pater in me es, ait JESUS, & ego in
:, rogo ut omnes unum ſunt. Sicut ergo fi-
us ſempiterna voluntate portat patrem, ita im
utabili ſtudio neceſſe eſt, ut nos portemus
lium: cæteroquin Chriſtianus aliud erit & a-
ud, ſed & JESUM faciet ſibi alterum atque al-
:ratum, imò evincet ut aliud, non pacis ſed
elli ſe contra ſcribatur Evangelium. Urget eo
iper argumento Ambroſius, (*d*) *Et tu ad ſi-*
 mili-

b) Greg. in moral. (*c*) Tertul. l. de cor. milit. c. 11. Joan. 17. 21. (*d*) Ambr. epiſ. 1. ad Juſtum.

militudinem Domini unus esto. Non hodie Sobrius, cras ebriosus hodie pacificus, crastina die litigiosus; hodie frugi, cras incontinens: mutatur enim unusquisque morum varietate, & fit alter: in quo non agnoscitur, quod fuit, & incipit esse quod non fuit. Sic igitur oportet. Deum perseveranter portemus: nam alias ut recte Augustinus, (*e*) *ad Deum sine Deo venire nemo potest.* Supplicamus Virgini hodie ut JESUM benedictum fructum ventris suæ nobis post hoc exilium ostendat, sed instantius longe comprecandum, ut JESUM, in exilio, in manus nostras deponat: ad JESUM enim sine JESU venire non possumus, (*f*) Filii Jacob jussi ad Josephum proficisci, & memores, quomodo moniti essent acriter ut sine Beniamin non comparerent, orant Patrem, si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul alioquin illo absente non audemus facien videre viri. Si isti sine Benjamin ad Josephum ire non potuerunt, quia in Benjamin latebat Rachel & Josephus, quomodo nos ad JESUM sine JESU & MARIA pertingemus? *Quis mihi det*, suspirat sponsa, (*g*) *te fratrem meum sugentem ubera matris meæ ut inveniam te foris, & deosculem te, & jam me nemo despiciat?* Sponsæ votum, nostrum desiderium: scimus nobis d cendum, fores, fores, de mundo Misericordi ad mundum justitiæ foras, forari de substanti

pra

(*e*) *Aug. tract. 14. in Joan.* (*f*) *Genes. 4 v. 24.* (*g*) *Cant. 8. v. 1.*

præsentis seculi, ad solitudines alterius seculi, foras foras: pilum non intulisses in capite, filum non efferes in digito, foras foras. (h) *Missus est foras Rex regum, & alligatus est foris in herba & gramine*: tu verò cum foras extruderis, qui modo creato amori, quasi vili gramini alligaris, nec herbam invenies, quam carpas, nec gramen, quod jejunus tondeas. Ibis foras solus. Ibi, invenies judicem, pudenda revelantem: ultorem, insipientias plectentem, regem terribilem, regibus non parcentem: tu autem optas eum tibi reperire fratrem? Fac modò, dum integrum est, MARIAM Matrem; & porta cum illa JESUM. Instabat Abiathar Sacerdoti, (i) Salomonis gladius, quem tamen ille in vaginam remisit dicens: *equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quoniam portasti arcam D. Dei coram David Patre meo: vade in Anathoth*. (k) Anathoth autem significat cantica. Quantos similis sors excipit in DEI judicio, ut filii mortis audiant, vade in Anathot, vade in cantica. Vade ad populum qui perpetuum celebrans pascha, cantat lætum & repetit iterum, atque iterum alleluja. Sed quare? quia arcam MARIAM, (l) cum suo thesauro JESU portaverunt viventes. Occurrunt foris existentibus iræ pestes, & præteritæ culpæ, & ignorata peccatorum monstra, quæ tamen non nocent, quia judex non judex, sed blandus frater factus,

 osculum

(h) *Daniel.* 4. *vers.* 12. (i) 3. *Reg.* 2. 26.
(k) *Hieron. in nominib. Hebr.* (l) *Apoc.* 19. 1. 2. 3.

osculum porrigit, amplexum dividit, dulce verbum & quidem irrevocabile promit: Vade in Anathoth, vade in cantica, jungere millibus lætantum, auge choros psallentium, incipe nec desine festinum resonare alleluja. Vade in cantica, & lætum canta pæana: Amo multum, & expendo sæpe mecum, illud dulce & simplex Thomæ Kempensis verbum: (m) *Si quis inhæsitanter ac humiliter ad Virginem confugerit, & dulce atque gloriosum nomen ejus invocaverit, Vacua manu, ab eâ non recedet.* Quod iste promittit: Simeon sensit, qui pignus Sacrum sibi postulans tradi, accepit illud, & templum cum lumine gentium cum gloria ISRAEL cantans intravit, *nunc dimittis Domine Servum tuum in pace.* Tu quoque qui simile carmen solutus ac dimissus de carne optas concinere lætabundus & laudans, vade ad Virginem, solve precem, extende manum, & vacua cum dextera ab ea non recedes.

ARTICULUS VI.

DULCEDO ASSUMPTA

§. I.

DEo & sibi vacantium Magdalena speculum (a) an quando optimam pro se partem elegit, vitam dulcem elegit, sive dulcedinis portionem accepit? Sic omninò. Expendens Augustinus (b) verba Domini quibus sor-ten

(m) *Thomas à Kemp. 3. part. ser. 4.* (a) *Luc. 10 ult.* (b) *Aug. de verb. Dom. ser. 26. tom. 10.*

tem Mariæ ſorti prætulit Marthæ: auferetur inquit à te labor, ut requies detur: dulcedo veritatis in hæc vita augetur, in illa perficietur, nunquam auferetur, Ter igitur dulcis ſors & pars Mariæ: primo quidem quia requiem habet, requies autem à curis, mel ſine aculeo apis, Unde Tragædus: (c)

Stet quicunque volet potens Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies: Sic cum tranſierint mei,
Nullo cum ſtrepitu dies, Plebejus moriar ſenex

Quid autem Saccari inſit veritati, oſtendêre Philoſophi: qua ut veſcerentur liberi ac liberaliter: iſte aurum jecit in fretum: ille ſe totum carceravit in dolium. alius oculos ut iis orbaretur, Soli objecit: eſt qui ſervum egit ut in Philoſopho finiret Denique inamiſſibili frui veritate, quam nec oblivio, nec fraus, nec ullus hoſtis eriperet, nonne favus æterni mellis? Porrò B. mater non partem ſed totum quod erat in Dulcedine optimum accepit. Rupertus (d) inter alios illuſtres ejus titulos, vocat eum *FAVUM MELLIS CHRISTI.* Sed qualis favus? omnem rationalem creaturam Incognitus (e) appellavit FAVUM. Cur ita? ut apes ædificantes favos, lacrymas quarundam plantarum ponunt loco fundaminis: ita lapſum humanum genus, incipit à lacrymis, inſiſtit valli lacrymarum, neque harum tranſeuntium, ſed tenacium & viſcoſorum. Deinde ut apes cellas primò va-

(c) *Senec. in Thieſ. act. 2. in choro.* (d) *Rupert. l. 3. in Cant.* (e) *Incogn. in pſal.*

cuas erigunt, & distinguunt, in quarum foramina stipant sua mella, & ipsæ latent ut in aula: haud secus omnis rationalis natura condita est multiplicis gratiæ Dei ac gloriæ capax. Unde de primo Angelo, (*f*) sub specie Regis Tirii dicitur quod à nativitatis die foramina in se habuerit: quia capax erat formatus donorum divinorum & cœlestium inquit Glossa. (*g*) Cæterùm ut inter favos apum multa est differentia: inveniuntur aliqui parvi: majores alii: & isti cum cellis vacuis, illi cum plenis quibusdam, cum aliis otiosis: & rursus aliqui cum melle fucorum, alii cum melle apum: itemque hi melle puro, illi pleni impuro: Sed & genere mellis distincti. Sic inter intellectuales substantias, & maximè humanas, inæqualis latet in cordibus dulcitudo & gratia. Virgo autem Dulcedo Nostra, favus est mellis Christi: nihil habens in se de melle fuci, nihil de amaro, nihil de veneno: totus plenus, capacitatis tantæ ut Favum favorum, hoc est omnis dulcedinis possessorem authoremque Deum cæperit & continuerit jam corporis jam animi cella. (*h*) Partem bonam mellis Christi accepit Martha hodierna hospita: partem item licet meliorem Soror ejus MARIA sumpsit sibi. Nam sive ministrare mensis in gratiam Christi, sive contemplationi vacare, & gustare quàm suavis sit Dominus, succi sunt nectaris Christi inquit Anonymus: qui tamen guttatim dantur, & in

(*f*) *Ezech.* 28. (*g*) *Glossa ibi.* (*h*) *Luc.* 10. *Tolet. ibi annotat.* 72.

in anguſtas cordium cellas plerumque ſuſcipiuntur. *De fructu autem & favo MARIÆ ſatiatur terra* ait Bonaventura : (*i*) & exclamat Casſiodorus, *o fructus mirabilis, qui humanum genus dulcisſima credulitate ſatiavit.* Certè ſi dulcis credulitas, hoc eſt pia cogitatio ſatiat genus humanum, quid faciet, ejus fructus viſio, fruitio, poſſeſſio? Et ſi favus ac fructus Virgineæ collæ tantus, certè & ipſa Apis quæ credulitate favum iſtum concepit, & ipſa in immenſum charitatis favum profecit, omnes creaturarum ordines ſua dulcedine vincet. Quia illi, non pars bona ut Marthæ, non pars melior ut MARIÆ, ſed TOTUM ET OPTIMUM de melle divino datum eſt.

§. 2.

B. Auguſtinus (*a*) vitam noſtram mortalem appellavit favum. Cur ita? quia de ſua proprietate oportet ſic omnis vita dulcis, utpote donum & grande Dei. Si enim datur illa amara, par eſt morti. Hinc M. Gregorius explicans illud : (*b*) *de torrente in via bibet*, mortalis vitæ decurſum, poculum ac calicem mortis nuncupat, quia nimirum plus habet de turbido horridoque mortis, quàm de claro feſtivoque vitæ. Vaſtitatem, cædem, lachrymas prophetans Ægypto venturas *Vates, in Taphnis* (*c*) inquit *nigreſcet dies, cum fregero ibi Sceptra Ægypti*.

(*i*) *Bonav. in ſpec. B. V. c. 14. Casſiod. ibi.*
(*a*) *Aug. in pſ. 18.* (*b*) *Greg. h. 25. in Evang.*
(*c*) *Ezech. 30. v. 18.*

gypti. Ubi interpretes, (*d*) *dies non dies, & lux non lux erit*, ſed quaſi obſcura nox, & caligo profunda, præ triſtitia & amaritudine hominum. Sicut & Amos, *occidet* inquit *Sol in meridie.* (*e*) Quomodo occidet, quando per medium cœli curret? reſpondet gloſſa, (*f*) occidet mæſtis, curret & lucebit non mæſtis. Pulchrè & Tragædus: *mortis habet vices, lentè cum trahitur vita gementibus.* Volens divinus Moyſes, Iſraelem terrere, (*g*) & deterrere (quem pronum in ruinam peccati & maximè idololatrici notaverat) ab hujusmodi ſtultitia, minatur illi non dulcem ſed amaram vitam; qualem ducunt illi qui ad ſuſpendium damnati, moras temporum ferre coguntur. *Erit* inquit *vita tua quaſi pendens ante oculos tuos, die ac nocte, & non credes vitæ tuæ*: Hoc eſt ubi peccaveris concitabit te contra DEUS hoſtes, quorum flagella & arma te circumvolitabunt, & continua mortis expectatione detinebunt ſuſpenſum, adeò ut videberis tibi vitam quaſi de corpore egreſſam, & ante oculos tuos ipſam cum morte confuſam ſtare & luctari. Porrò Sapiens Hebræus vitam amaram, non ſimilem morti, ſed acerbiorem judicat dicens, (*h*) *melior eſt mors quàm amara vita.* Quomodo verò? quoniam inquit unus, mors habet, vel ſecum trahit carentiam & boni & mali (*i*) vita autem præter carentiam bon[i]

(*d*) *Corn. à Lap. Prad. Menoch.* (*e*) *Amos.* 8. 9. (*f*) *Gloſſa extr. in c.* 9. *Amos.* (*g*) *Deu.* 28. 66. *Liran. ibi.* (*h*) *Eccle.* 39. 17. (*i*) *Anon. in pſ.* 50.

boni adfert præsentiam mali, vita inqvam amara. Hic placeat homini reducere oculos supra opus, sive tinctionem suam. DEUS hominibus primis, dulcem vitam concessit, & hoc probat favus magnus & dulcis, felicitas scilicet Paradisi: sed homines illam primi criminis acerbo Veneno tinxerunt & corruperunt. Rursus idem DEUS quà redemptor, dulcem nobis vitam de sacro fonte renatis propinat, cujus signum olim fuit, mellis post baptismum usus: & ecce rursus quod Deus dulcoravit (k) peccator altero & acerbiori quia sui peccati veneno, tingit atque imbuit. Itaque cui prius illud Plautinum dici potuit, (l) *ecce fabulus meus dulciculus*, jam clamatur, eece absinthium & amaritudo amarissima. Verè Augustinus: (m) *bonum opus facit conscientia bona*, & quid dulcius fratres conscientia bona? E conversu autem inferamus oportet, malum opus facit conscientia mala, & quid amarius fratres conscientia mala.

§. 3.

DUlcedo verò nostra, Mater Virgo, tota ut vidimus FAVUS mellis Christi. Nam quem favum Eva in paradiso perdidit, ipsa in primo suo ortu invenit, semper retinuit & auxit. Et ne discedamus ab hodierno convivio Marthæ: Videtur Dominus in distribuenda vita & vita mortalibus, quomodo assolet fieri in conviviis ritè ordinatis procedere. In his autem suæ

 partes

(k) *Tertul. l. de coron. milit.* (l) *Plaut.*
(m) *Aug. ser. 45. de diver.*

partes unicuique convivarum traduntur (a) obveniunt, sed amicioribus meliores atque opimiores. Prorex Ægypti Joseph. tractat pane suo fratres, & Benjamino quinque partes ampliores cæterorum partibus porriguntur. Cur ita? quia (b) *ille de sanguinibus, isti de sanguine eodem tantum descendentes* inquit Ven. Beda. Elcana Pater Samuelis, dat uni Uxori suæ Phenennæ partem & vultu sereno; (c) dat item alteri uxori partem, sed tristis, & nubilus. Cur ita? respondet scriptura, quia Annam diligebat. (d) Imò, quia diligebat lætiori vultu necesse fuit ut daret. Non: quia diligebat ideò tristi vultu dabat. Volebat ille tot & plures dare partes Annæ, (e) quot Phenennæ, si gratia maternitatis eam commendasset, sed quia non commendabat, manu fercula, oculo compassionem porrigebat. Quanquam & illam partem quam dedit Annæ, dedit ut Chaldæus legit, (f) electam. Porrò dignitas Matris divinæ, cui Sanctorum non præeminet? Docet Gerson ipsam unam supra tres Angelorum hierarchias, (g) quartam & singulàrem constituere in cœlis. Cæterum nihil præfulget in cœlo, quod non prius præfulsit in imo. & cujus nunc gloria, transcendit gloriam Sanctorum, prius vita inclita cunctas illustravit & vicit hierarchias, & Ecclesias. Quare Ambrosius (h) non minus hono-

(a) *Genes.* 43. (b) *Beda. in c.* 1. *Joan.*
(c) 1. *Reg.* 1. (d) 1. *Reg.* 1. (e) *Abulen. ibi*
(f) *Chal.* 1. *Reg.* 1. 6 (g) *Suar. de Angel.*
(h) *Ambr. l.* 2. *de Virginib.*

honorificè quam vere loquens de Virgine, (*i*) *talis* inquit *fuit MARIA, ut ejus unius vita omnium sit disciplina.* Anna Samuelis mater extitit suâ vitâ, forma sterilium, altera Tobiæ, (*k*) laboriosorum, tertia quæ à templo non discedebat viduarum disciplina, sed vita MARIÆ omnium instructio. (*l*) Habuit familia Macrinorum Romæ hoc elogium, ut vocaretur magisterium Ventorum, sicut Pompejus dictus est Magister regum, (*m*) quos Viginti quatuor in castris habuit; sed Virginis vita, omnium statuum Schola (*n*) Unde meritò dicta est ab Augustodunensi Honorio dux prævia Ecclesiæ, quomodo columna lucis & nubis dux prævia fuit Sinagogæ: Virgo enim Virginibus præluxit lampade sua & oleo ardenti, scilicet puritate carnis & mentis: vidua post mortem Josephi prætulit facem viduis, utpote seculo & desideriis mortua externis: nupta autem, in obsequio ad maritum, in cura ad domum, in educatione ad prolem, radio præfulsit, denique quomodo possimus & debeamus vitam nostram ritè componere, versus DEUM, versus nosmetipsos, denique versus alios, & nobis præluxit. Hinc Bernardus, (*o*) *fervebat* inquit *in quærendo gratiam MARIÆ charitas, splendebat in carne virginitas, in obsequio humilitas eminebat.* Ita ejus unius

(*i*) 1. *Reg.* 1. (*k*) *Tob.* 2 19. (*l*) *Luc.* 2. 37. (*m*) *Plut in parall. in Pomp.* (*n*) *Honor. in sigil. MARIÆ. c.* 4. (*o*) *Bernardus, apud. Bonav. in spec. B. V. majori. c.* 9.

unius vita, favus fuit totius Ecclesiæ. Et verò duo malè condire solent vitam mortalium, alterum est insolentia in prosperis, & alterum dejectio in adversis, juxta illud quod orat Ecclesia, (*p*) ut simus inquit, & inter prospera humiles, & inter adversa securi. Virgo autem dulcis, utriusque fortunæ aspergine tincta est. Et inprimis quis illa adversis acerbius infestatus est? Considerate inquit Hieronymus, (*q*) quo cruciabatur amore quoyé desiderio æstuabat hæc Virgo dum revolveret animo cuncta quæ audiverat & viderat, & cognoverat? S. Birgitta (*r*) appellat in suis revelationibus Matrem Domini, *magnetem cœli*, addo, fuisse illam etiam magnetem ferri. Ferrum attrahit virum inquit Septimius, (*s*) sed & mulierum fortissima, ferrum adversæ fortunæ & attraxit, & attractum in cœlos direxit. Sit parum, gladium doloris à Simeone indicatum, tota vitâ in anima gestatum: clavi certè Dominici, quorum immanitatem sensêre elementa, cujus pectus hausere? lancea illa quæ mortuum diffidit, nonne ejus vivæ cor dissecuit? spongia illa felle imbuta quæ sitienti Domino admota est, nonne amaritudine incomparabili tota ejus viscera traxit & pervasit? S. Chrisostomus expendens quomodo Abraham offerens, ferrum victimæ corde manuque attraxit, *natura* inquit (*t*) *humi prostrata erat cum armis suis, atque universo exercitu.*

At

(*p*) *orat. Eccl.* (*q*) *Hieron. de vita B. V.*
(*r*) *Birgit. l. revel 3. c. 32.* (*s*) *Tertul. in Scorp.*
(*t*) *Chrisost. hom. 3. in 2. epist. Corin.*

At ille ſtabat porrecta manu non coronam tenente, ſed enſem quavis corona ſplendidiorem: & populus Angelorum applaudebat, & è cœlis DEUS victorem pronunciabat. Virgo autem cum juxta crucem ſtabat, & earum pro mundi redemptione natum DEO immolabat, nonne fortius totam naturam cum armis ſuis & exercitu patientiæ ſuæ ſubdiderat? nonne tunc non unum, ſed omnes Martirum enſes porrecta in cœlum manu tenebat? arripiens inſolenti ſpectaculo populum Angelorum, & DEUM inuitans, ut ſe Reginam Martyrum, & victricem dolorum pronunciaret? Quare S. Anſelmus, (u) *quicquid*, fatur *crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit aut potius nihil, comparatione paſſionis tuæ o Virgo.* An verò cum morte filii terminata eſt paſſio Matris? Tota vitæ deinceps torcular dolorum ipſa calcavit, ipſa reſurgentis gloria, ipſa majeſtas, aſcendentis, renovabat mentis ejus vulnera, cum hiſce viſis diceret ſibi, & tantus in majeſtate & gloria, potuit tantum ab ingratis pati, in contumelia, dolore, & exinanitione? Nec minus fortis apparuit, Virgo in fortuna ſecunda; non habebat opus monitore

(x) *Rebus adverſis animoſus atque*
Fortis appare: Sapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo. Turgida
vela.

Nullam unquam creaturam tot tantæque felicitates circumfudêre, nulli fortunæ tam propitii mili-

(u) *Anſel. l. de excell. B. V.* (x) *Horat. car. l. 2. ode. 10.*

militârunt venti, Virginis tamen in secundis tempestatibus vitæ cursus, plenus modestiæ, ac temperatæ mentis fuit, ut meritò S. Raimundus eam vocarit (y) *NAVEM institoris de longè panem ferentis*: sed qualem? mundi, ne is corruat, Angeli ut vivat. An tamen hujus panis & copia, & pretium, sobriam Virginis animam evertit? Scio quia multis, nocuit panis ubertas, & sicut panis Gedeonis provolutus in castra Madian, (z) ipsa excidit: ita è contra multotum panis nimius, conatur & nititur stultè in cœlum. Hesichio dicta est Virgo item Navis mercibus referta, (aa) procul & de ultimis finibus gradiens, & in primis sublimitatibus consistens: quæ tamen naufragium passa est minimè, quanquam ipsa sua bona, & divinitus facta sibi magna & mirabilia, conspectissimè nosset. Meritò Damascenus. (bb) *Hæc est quæ duplicem Virginitatis navem incolumen servaverat, animamque non minus quàm corpus incolumen custodierat.* (cc) 70, illum locum, quasi navis institoris facta est, sic extulerunt, facta est tanquam navis mercaturam exercens de longè. Congregat autem hæc vitam. aliæ naves, aliæ animæ, congregant panem, & cum pane mortem: at Virgo totam suam mercaturam exercuit circa vitam & vitæ panem ac favum. S. Maximus affatur ita Virginem, *Tu es* inquit (dd) *manna, subti-*

(y) *Raimun. p. 14. c. 39.* (z) *Judic. 7. 13.* (aa) *Hesych. orat. 2. de Deipar.* (bb) *Damasc. orat. 1. de dormit.* (cc) *Prov. 31. 14. 70 lectio.* (dd) *Maxim. serm. de ramis palmar.*

subtilis & splendida, suavis & Virgo, de qua gignitur vermis Christus, quæ velut cœlitus veniens cunctis populis cibum suaviorem melle destuxit. Rara laus? Virgo totâ suâ vitâ dulcis & suavis ut manna, de cœlo veniens, in terra commorans, & terrenum tamen nihil sapiens, tota humilis & submissa, tota subtilis, & superbiâ non crassescens. Vis causam nosse? Quia de ipsa Christus natus Vermis, qui nisi vermem humilitatis in ea vidisset, non in eam ut vermem indueret, descendisset: Porrò vermis MARIÆ, omnem superbiæ cedrum erosit, & consumpsit.

§. 4.

Virgo tota in vita sua favus dulcis, & mutata nunquam in deterius, vita verò nostra ut se habet inter prospera & adversa? Scio quia inter prospera dulcescit, an non etiam inter adversa amarescit? Benè nos æterna Sapientia quanquam censeamur partes regni cœlorum, (a) massæ contulit farinaceæ: hæc sine fermento dulcorem servat, fermentata autem acescit: haud aliter animus mortalium, inter læta ridentis fortunæ, floret & dulcescit gaudio: ubi verò illa fermento suo eum commaculat, fervet impatientia, indignatione acerbatur. Audi querelam Bernardi: (b) *digne explicare non possum, quot alternationis modos momentaneis perturbationibus induo! Modo me in fiduciam erigo, modò in diffidentiam cado: nunc per constantiam figor, nunc* subi-

(a) *Matth.* 13. *Beda, in Evang.* (b) *Bern, de domo inter. c.* 64.

ſubitaneo terrore concutior, modò gaudio, modò mærore diſtrahor. Si ita Bernardus contrariis affectionibus concuſſus eſt, quis uniformem mentis ſerenitatem & dulcedinem ſe poſſe ſemper retinere confidat? verumtamen inter amaritudines variantis fortunæ, ut benè conditum & ſaporatum teneamus affectum, vis divina evincit *Paraſti*, alloquitur rex Deum, *in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me.* Quid hoc rerum? homines ab hoſtibus circumſeſſi, vallo defenduntur, muris includuntur, foſſis & aquis præcinguntur, Deus autem ſuos interris militantes, ne amaris vitiorum lædantur telis, menſa munit & armat? Sicut, fatur in eum locum Bellarminus, (*d*) ingeruntur ab hoſtibus amaritudines, ſic ſuppeditantur à Deo ſuavitates. Ergo bella in bellaria, misſilia in misſus, prælia in convivia convertuntur. Sed & Virgo, non deeſt ſuis invocata, habet menſam quæ ſaginat & indurat in aſpera, habet ſucco quibus benè mortis ſpongias attemperat. Dicta eſt ab aliquot Patribus, (*e*) farinula Eliſæi. Qui ita? ante farinam Eliſæi, in olla Prophetarum mors habebatur & guſtabatur: Ubi autem amaras herbas reſperſit farina Eliſæi, dulcedo & vita ollam occupavit atque implevit. Sine Virginis autem adiutorio, & conſolatorio ſucco amara eſt Vita præſens; & clamare non unum cogit, mors in prædio, mors in domo, mors in agro

(*c*) *Pſal.* 22. 5. (*d*) *Bellar. in pſ.* 22. *ad verſ.* 7. (*e*) *Richard. à S. Laur. Bonav. in pſal.* ... *Reg.* 4.

agro: demit tamen aculeum morti, & mortis ſatellitibus, nempe inſuavibus curis Virgo, cujus ſe pectori interſerit. Sicut & inſoleſcere in proſperis neſcit, qui Virginem patronam ſibi præeſſe facit. (*f*) Ut enim triumphantem Romanum monitor ad benè temperatam mentem reducebat ſuccłamans interdum, *memento te eſſe hominem*: non aliter Virgo, vel inter divinos honores humanæ facit non oblivisci fragilitatis & tenuitatis: (*g*) *Proſperitas ſtultorum perdet eos* inquit Sapiens Hebræus: græcus autem hujus perditionis & cauſam opportat, (*h*) quia inquit Ariſtoteles pravus & ſtultus ſibi diſpar eſt, mane & veſpere & nunquam ſibi amicus; Cui & Origenes noſter conſentit cum ait, tot in improbo perſonæ quot mores: mores tumidi, (*i*) perſonæ ſuperbæ. At Virgo ſuis inculcat, *arrogantiam & ſuperbiam ego deteſtor. Beati qui cuſtodiunt vias meas.* Quæ ſunt autem viæ Matris Dei? Ubi vulgata legit, *conſideravit ſemitas domus ſuæ*, 70 extulerunt, (*l*) *anguſtæ ſunt viæ domus ejus.* Ubi nota ex Chryſoſtomo & ex primo Philoſopho, Deum univerſa viro non commiſiſſe, nec mulieri; ſed pulchrè officia digesſiſſe, (*m*) illi forum, huic domum tradens. Mulieris ergo viæ currunt intra domum. (*n*) Quid autem

(*f*) *Valer. maxim.* 16. *c.* 6. (*g*) Prov. 1. 32.
(*h*) *Ariſt. l.* 2. *magn. moral. c.* 13. (*i*) *Orig. in* 1. *Reg. c.* 1. (*k*) *Prov.* 8. 13. (*l*) *Prov.* 31. 27. 70 *verſio.* (*m*) *Chryſoſt. hom.* 34. *in* 1. *cor.*
(*n*) *Ariſt. l.* 1. *oecon. c.* 3.

autem intendunt currentes? nisi bonum & custodiam domus. An autem & quomodo angustæ domus ejus viæ? Sic est, nam teste Xenophonte; Deus mulieres ad custodiam domus, metu vehementiore, qui rebus asservandis utilis foret, præditas esse voluit. Sic igitur & viæ Virginis non laxæ & diffluentes, sed strictæ & angustæ: nam sicut ipsa timore Dei crevit, humilitate profecit, sic suos in timore & humilitate conservat. Exclamat Bernardus. (p) *O Vita Virgo, quæ nutris tuos cœlestibus alimentis.* Qui enim vult te habere, se affligat, delicias respuat, delicata contemnat: & qui amplius mortificatus fuerit, te amplius possidebit.

§. 5.

Vidimus vitam, intueamur quoque mortem Dominæ nostræ dulcem. S. Augustinus explicans illud, (a) *eloquia Domini dulciora super mel & favum*, (b) animum in corpore favum, eundem extra corpus mel liquidum appellavit, Do verba ejus. *Sive* inquit *quispiam jam sit mel, qui jam solutus hujus vitæ vinculis expectat diem quo veniat in epulas DEI, sive adhuc sit favus, ut quasi cera circumplicetur hac vita, cui opus aliqua pressura* (non opprimentis manus Dei) *qua de temporali in æternam vitam eliquetur.* Ex quo discrimen mortis sacræ & profanæ aliquomodo colligitur: nempe, probus vir dum spirat, quanquam mellitus esse DEO con-

(o) *Xenophon. in Cyropæd.* (p) *Bern. in medit. super Salve.* (a) *Psal.* 18. 11. (b) *Aug. in psalm.* 18. *ad v.* 11.

contendat, mel tamen suum, in cera quasi in carcere portat. quia præter ceram corporis, legibus & timore Dei quasi cella arctatur. Ubi verò mors felix animam à corpore resolvit, ut pura mellis substantia dominicæ mensæ & ori opponitur. Improbus autem non meminit se in cera mortalis corporis versari, non fert divini timoris carcere se circumplicari, totus solutus & exlex, diffluens falsis gaudiis purum putum mel se esse reputat. Ubi verò ad Dei judicantis, quasi ad prementis dona apum dexteram venitur, mel Deo gratum non invenitur, sed tota carnalis vita quasi exsucca cera. Huic autem ceræ fatali & inani imponitur vitæ præteritæ meritum. tanquam rectus lichnus. Qui cum per sententiam accenditur ultimam, cera sine melle, fit cereus æternæ Dei iræ. Porrò dulcedo nostra Virgo, sicuti tota suavis & decora vixit: ita dulcis & amabilis sacræ mortis compendium tenuit. Ut Magdalenæ, verbum Dei toto tractu sanctioris temporis, mellis vicem obivit, sic & magis Reginæ Sanctorum omnium eloquia Domini super mel & favum placuerunt. Inducit S. Augustinus (*c*) Joannem Baptistam loquentem, ego auris, ille verbum, scilicet D. Salvator. Altiori verò & sensu & affectu Virgo decedens credo dixit: ego auris, ille verbum. Ut in alveari, illud & tantum mel invenitur. quod & quantum laboriosa apis infudit: ita cor Virginis infinita dulcedine in exitu vitæ redundavit, quoniam nulla creata auris, tantum verbum,

(*c*) *Aug. tract. in Joan.* 14.

bum, & post verbum imò & ante verbum tantum, obediendo in omnibus voluntati Dei, suscepit. (*d*) *Gaudebis vespere si diem fructuosè expenderis* ait unus: magis autem gaudebis & dulcore gaudii repleberis, si dicere poteris, ego tota vita Deo auris, & ille mihi verbum. Hoc verò unica post Christum canere potest Virgo, ego tota vita mea Deo auris, & ille mihi verbum. (*e*) Quia unica dicere potest, nunquam mandatum tuum præterivi: & ultra, quia unica misericordias Domini Domino in æternum psallet, nunquam tuum inspiratum, aut consilio intimatum verbum rejeci. Tibi ergo Pater advenio filia obedientiæ, tibi S. Spiritus adsum sponsa cordis tui: tibi denique: (*f*) Fili viscerum meorum, Mater venio ancilla. De Christo Psaltes vaticinatur, (*g*) *unxit te DEUS oleo exultationis præ consortibus tuis*: sed & omnes chori Angelorum Virgini Vitam terminanti assonuerunt, unxit te DEUS DEUS tuus in Vita oleo obedientiæ, præ consortibus tuis; nam tu unica, auris obediens: sed & pro suprema lucta unxit te Deus oleo lætitiæ ac dulcedinis præ consortibus tuis. (*h*) Fuerunt qui in morte exultârunt, fuerunt qui cum risu sancto expirarunt: fuerunt qui cantantes dulce carmen, per divisum vitæ mortalis mare, ad littus beatæ æternitatis transierunt: sed tua morientis dulcedo &

(*d*) *De imit. Christi. lib.* (*e*) *Luc. 15. 29.*
(*f*) *Psal. 44 8.* (*g*) *Bellar. in ps. 44. Lor. ibid. Genebrar. ibid.* (*h*) *Frater. S. Bernardi.*

& gaudium sic supereminet, & supra fertur omnibus decedentium lætitiis, quomodo oleum cæteris supernatat liquoribus (*i* Hugo Victorinus confert oleum mundi cum oleo Dei, & inquit, *ad oleum Dei mundi vasa deficiunt. oleum mundi in vasis deficit.* Oleum Dei dulcedo æternorum, oleum mundi delectatio præsentium. Nos dicamus, oleum exultantium cœterorum Sanctorum hinc abeuntium, fuit stilla lætificantis cor gratiæ, in MARIA abyssus.

§. 6.

INjectum quoque nobis desiderium est cœleste & magnum, ut evoluti de cera mortalitatis, inveniamur ori Dominico puri mellis suavitas. An autem huic desiderio, admovemus manus, implendo: Virgo recedens á nobis, & accedens ad dulcedines æternas dixit vere & sancte, ego auris; ille verbum an & nos simili jubilo os nostrum implere possumus? Ad hoc provocamur cum monemur, (*a*) *auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.* Quid si non audiat? auris mala item audiet cum horrore fulminantem Sapientiam: tu mihi non bona auris, ego tibi non bonum Verbum, noluisti venire ad me benedictus, i in ignem æternum maledictus, Refertur de Philippo III Rege Hispaniarum, eum in recessu suo ultimo ingemuisse graviter & dixisse. (*b*) *Quid prodest regem fuisse, nisi ut in morte*

(*i*) *Hugo Victor l. 1. miscellan. c. 51.* (*a*) *Eccle. 3. v. 31.* (*b*) *Mendoca in l. 1. Reg c. 2. v. 36. num. 16.*

morte, fuisse cruciet. Similiter verò quid prodest aurem perforatam baptismi promissione portare, si clausa in vita, in morte cruciat? Pulchrè dixit qui morientem instruxit: (c) *feci quod jussisti, redde quod promisisti.* Tu vide an feceris quod VERBUM, jussit & si auris bona fecisti, recipies quod illud promisit. O Virgo, alloquimur te cum Seraphico, (d) *distillatio dulcoris tui oblectat animas Sanctorum, & infusio charitatis tuæ super mel dulcissimum.* Distilla ergo nobis dulcorem obedientiæ quem debemus: tuo Magno verbo, & charitatis spiritum ut in morte non timeamus inimicum, infunde.

§. 7.

JAm verò cum consideramus Virginem super choros Angelorum Assumptam, quid gustus Inde capimus? Cœlum illi favus, & ipsa cœlo, Et quidem dum desideriis in agone suo constitutá æstuaret videndi filium, quæ illi amabiles & prædulces eliquabant lachrimas, sine dubio innatabat illa melli. Gratia enim lachrimarum inquit S. Ephrem nihil est dulcius, maximè cum quis desideraverit elevari è terris. (e) Quid ergo erat post lachrimas, cœli gustare delicias? Vidit Petrus gloriam Salvatoris in monte Thaboræo, & exclamavit, (f) *bonum est nos hic esse.* Et tamen tunc juxta Damascenum per rimam carnis, vidit gloriam regni cœlestis: sed & gloriam

(c) *Ambros. de bono mortis.* (d) Bonav. *in psalt. B. magno versu.* (e) *Ephrem. orat. de extr. judic.* (f) Bern. *ser.* 68. *in Cant.*

riam quam vidit, (*g*) non in sua diffusione, sed contractam in una gutta vidit. Quid igitur sensus, quid dulcedinis Virgo hausit, cum cadente carnis pariete, & gloria sese infundente ac diffundente, bonum Dei super omne bonum gustavit? (*h*) Apud nos, regnum terræ, canitur dulce malum, à pluribus tamen malum ejus non sentitur, cum dulce apprehenditur. In cœlo cœlum non vidit, qui ad libandam Domini dulcedinem admissus in terris proclamavit: (*i*) *quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Hic Augustinus, *prægustat. supernæ suavitatis dulcedine ineffabiliter affectus dicebat,* *quid mihi est in cœlo?* (*k*) Sed quare in cœlo cœlum non vidit? quia Deus pars ejus in æternum futurus illuxit. Quanto dulcedinis Oceano tu perfusa es assumpta Virgo, quæ totum in terris, totum in cœlis rapuisti Deum? Hiero puer, Rex deinde, traditus à patre feris absumendus infans, (*l*) cum in ore ejus examen apum posuisset favum, vitæ reditus, regno admotus est. Isti favus contulit regnum, non tamen regnum, purum dedit illi favum. Virgo autem contra favum post favum facta est, & parvula mundo terrestri, & adulta regno æterno. Nihil enim in omni vita illam tetigit amarum, præuenta est benedictionibus dulcedinis, & circumfusa.

§. 8.

Quid verò inde solatii haurit nostra tenuitas? Sam-

(*g*) *Damas. orat. de transfig.* (*h*) *Senec. Tragæd.* (*i*) *Psal.* 72. 25. *Aug. ser.* 44. *de Sanctis.* (*k*) *Psal.* 72. 26. (*l*) *Just. hist. l.* 23.

Samson invento in ore leonis functi favo mellis, patrem & matrem ad ejus consortium advocavit. Virgo autem DULCEDO nostra, nequaquam Sola favo pascitur, quem invenit (a) *Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua*, inquit Virgini Spiritus Sanctus. Ubi comparatur Virgo mater favo, non compresso, neq; cereis carceribus concluso, sed diffuso ac redundanti, & abundantiam suavitatis monstranti Nimirum illa una filium refert optimè, cuju gratia non clausa servatur in corde, sed diffusa exundat extra limbum labiorum, extra claustr oris. Sic dulcedinem & Virgo non arctat in s quam habet, sed stillat & distillat per secula quamdiu electorum numerus non completu (b) Mel & lac sub lingua ejus. Lac inquit S Thomas parvulis convenit, ideòque designatu simplex doctrina qua initia credentium imbu untur. Mel verò quod de rore cœli confi creditur, cœlestem & Spiritualem doctrinam s gnificat, quæ perfectis convenit. Tu autem Beata nostra dulcedo, quem non imbuis hum liori doctrina incipientem, quem non form altiori & cœlesti sapientia perfectum? Nato Do mino canit Ecclesia, (c) *hodie per totum mun dum mellifluì facti sunt cœli*, sed & Mater D cum nascitur, & renascitur incorrupto corpo in cœlis, per totum mundum mellifluum pluu rorem cœli. An enim illa gloriam Deo ascen dens non intulit, an pacem in terris hominib bon

(a) *Cant.* 4. 11. (b) *S. Thom. in c.* 4. *Cant.*
(c) *in offic. nat. Christi* 1. *noct. respon.* 2.

bonæ voluntatis non divisit? Neque verò tunc tantum, sed etiam in omni solemnitate gloriosæ Assumptionis suæ. Quin audet S. Bonaventura testari, (d) & ita omninò est: *Gratia & dulcedine tua ô Domina pleni sunt cœli & terra, undique tuis beneficiis nos irretivisti semper.* Stillant favi aliorum Sanctorum de cœlo in terras, & beneficiis suis ungunt, recreantque mortales, sed non semper. Virginis autem gratiis madet tota terra. Quomodo autem? expressit optimè Bernardus: *tu* inquit (e) *MARIA vera dulcedo, quæ amaritudinem peccati expellis, quæ gratiæ dulcedinem largiris, quæ ad patriæ suavitatem perducis.* (f) Refert Surius fœminam quandam gravissimi peccati ream, non interdiu, non nocte habuisse quietem. Intus enim eam sæva & perturbata lacerabat conscientia: extra autem insultabat ei Sathanæ visibiliter apparentis, & quoddam in charta descriptum peccatum objectantis molestia. Ignara remedii & amara veneno patrati piaculi, confugit ad Virginem pœnitens, & ecce jam serenitatem conscientiæ, jam chartam amaram recepit. Jam qualiter dulcedinem largiatur gratiæ loquantur experti. Unus eorum, cor meum orat, tuo dulcore inebriatum Virgo guberna, & in sanguine Agni conserva, (g) & in latere filii colloca. Hoc verò amator ejus, consecutus est totum, præ cæteris Elzearius Comes, qui opitu-

 lante

(d) *Bonav. in psal. majori. psal. judica Domine.* (e) *Bern. in Salve.* (f) *Sur. 14. Apr.* (g) *Bern. in Salve.*

lante Virgine, & ejus dulcore inebriatus, conjugem qualem accepit talem moriens reliquit intactam, (h) & usu frequentissimo ac decentissimo Sacramentorum in sanguine Agni cor suum conservavit, denique ubi inveniretur quæsitus, in latere JESU, respondit. Jam autem ad suavitatem cœlestis patriæ, ut perducat, tacentibus aliis, (i) B. Joachim Senensis doceat atque ostendat. Iste ab ineunte ætate semper Virginem tenerè coluit: deinde ejus monitu ordinem servitarum suscepit, ibique raræ cum exemplo virtutis complures decurrit annos. Tandem ipso Assumptæ die, dum divinissimo Minister assistit Sacrificio, morbo correptus epileptico (quem in se ab ægro, oratione transtulerat) repente cecidit, cereo tamen in aere suspenso & divinitus conservato. Nec tamen tunc mortuus, sed Sextæ Magnæ feriæ victima Christo offerenda reservatus. Ita suos dispon Virgo ad patriam. (k) Dixit Sapiens & cum e multi: *inveni morte amariorem mulierem, q peccator est capietur ab ea.* Iste aliud canere debe cum Matrem Domini inveni, vita dulciorem mu lierem inveni. Qui seruit ei, capietur ab e & deducetur ad patriam sublimem. O quot illi cum Seraphico Doctore canendum: (l) *fi nobis guttam suavitatis tuæ, quia tu es PINCERN gratiæ dulcoris.*

CA

(h) *Sur. 27. Sept. in Elzario.* (i) *Ephem.* 1 *April.* (k) *Eccle. 7. 27.* (l) *Bonav. in m gno psalt. psal. miserere mei Domina.*

CAPUT SEXTUM.

SPES NOSTRA SALVE.

CArpunt nonnulli qui ex nobis prodierunt, & à nobis toto cœlo Ecclesiastico recesserunt, quod Virginum principem SPEM NOSTRAM vocamus. (*a*) *Maledictus homo, qui confidit in homine*, inquiunt, pronunciavit Propheta. Si hæc Sententia sine temperamento justi sensus accipienda est, maledictus (*b*) Paulus, qui dixit, *quæ enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos* (Thessalonicenses) (*c*) *ante D. nostrum JESUM Christum estis in adventu ipsius.* Id est in die judicii. Idem ad Philippenses scribens: *itaque* inquit, *fratres mei & desideratissimi, gaudium meum & corona mea spes* est via ad terminum, corona autem spei terminus, & tamen nihil Deo detraxit, qui tantum titulum hominibus attribuit. Prudenter interpretes, matrum verba sumpsit Paulus, (*d*) qui spem & gloriam, & coronam gloriæ discipulos vocavit. (*e*) Confidit in illa cor viri, & spoliis non indigebit, verba sunt Spiritus Sancti: qui tamen non addit, maledictus vir qui confidit in ea, imo beatum dixit qui talem sibi duxit. Nomine spei duo intelligenda veniunt, aut objectum spei, aut causa & auxilium spei: utrumque verò munus spei, minus principaliter obire potest creatura: de primo habes testimonia præ-

(*a*) *Jerem.* 17. v. 5. (*b*) 1. *Thessal.* 2. 19.
(*c*) *corn. à Lap. ibi. Philip.* 4. v. 1. (*d*) *Sasbout. ibi.* (*e*) *Prov.* 31. v. 11.

citata Pauli: de secundo audi ipsum Deum. *Ite* inquit ille amicis Job sermone lapsis, (*f*) *ad servum meum Job, Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non imputetur vobis stultitia.* Ecce Job orans, spes & auxilium suorum amicorum in ordine ad effectum supernaturalem. Unde Gregorius, ascendens ad altiora, (*g*) *prædestinatio* inquit *juvatur precibus & meritis Sanctorum.* Juvatur? Sancti igitur auxilium & spes ad æternam gloriam. Ipse Jobus gloriatur, (*h*) *repositam esse spem in sinu suo.* Quam spem? fidem de resurrectione ex mortuis; fides autem etsi donum Dei est, non tamen Deus, sed quiddam creatum, infusum, quod & dari potest & auferri: sic elemosinæ à Thobia (*i*) factæ vocantur spes, quas tamen quis dicat increatum aliquid? S. Thomas in terminis proponit quæstionem, utrum possit aliquis licitè sperare in homine? respondet autem, *sperare de homine vel de aliqua creatura sicut de agente secundariò & instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad consequenda bona, in beatitudinem ordinata, licere.* Ex quo patet vera explicatio illius loci Jeremiæ: (*k*) maledictus homo qui confidit in homine tanquam in causa principali, tanquam in adjutorio primario: vel maledictus homo, qui sperat salutem per hominem Dei inimicum (*l*) quomodo sperabat Sedecias cum suis sequacibus

(*f*) *Job. 42, 8.* (*g*) *Greg. l. 1. dialog. c. 8.* (*h*) *Job. 19 v. 17.* (*i*) *Tob. 2. v. 22. S. Thom. in sob. 22. q. 17. a. 4. c.* (*k*) *S. Thom. ubi sup.* (*l*) *Hieron. ibi, in c. 17. Jer. v. 5.*

cibus in Rege idololatra Ægyptio. Nos autem cum Primam Virginum ut ſpem noſtram invocamus, fiduciam æternæ adeundæ vitæ in illa, non ut in principali Adjutore, ſed ut in ſecundario collocamus. Dicimus illam baculum ſpei noſtræ, ſed poſt baculum crucis Chriſti: nominamus anchoram Spei noſtræ ſed poſteriorem: Spem ſalutamus, ſed non adoramus, hæc enim eſt Spes ſuus filius noſter Dominus. (m) Licuit verò Ciceroni de Virgilio ſpes altera Romæ & Tragædo ſpem renaſcentis Trojæ, & communi phraſi de bonæ indolis juvene, Spes patriæ, ſpes familiæ, licet dicere, & radet alicujus aures, cum Matri Matrum, & primæ Dei creaturæ puræ dicimus, Spes noſtra (n) Salve? Audivit Moyſes, ſe Deum Pharaonis dici, & nihil inde Deitati deceſſit: minùs certè imò omninò nihil Divinitas amittet cum nos ejus matri clamamus, Salve ſpes noſtra. Per ſpem minorem, honoramus & indicamus Summam. Pulchra autem ſerie, titulum dulcedinis, ſequitur titulus Spei. Nobis enim ſic conſtitutis nunc, ut non ſolum in belli turbine, ſed in pace ipſa quoque amaritudo amariſſima occurrat frequentiſſimè, quid dulcius, quid prius Spe? Salve ergo SPES NOSTRA.

ARTICULUS I.
SPES NOSTRA CONCEPTA.

OBſcura olim in ſuo angulo, non eſt hodie

(m) *In Vita Virgil. Senec. in Troad* (n) *Exod. 7. v. 1.*

obscura RUTH in Evangelio Lucente Sole, stellæ latent, occidente autem surgunt: Ruth item nupta marito primo, quid & quantum? splendorem contineret, latebat: illo verò orbata in immensum reluxit. Reluxit fide cum Noemi dixit: (*a*) *populus tuus populus meus, & Deus tuus, Deus meus*: Reluxit spe: audiens enim dici à socru, num viros ex me sperare potestis, spe contra spem tendens, orpha recedente, (*b*) adhæsit inquit scriprura socrui suæ. Reluxit charitatis ardore & splendore cum dixit: (*c*) *quocunque perrexeris pergam: & ubi morata fueris & ego pariter morabor: quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si non sola mors me & te separaverit.* Reluxit constantia patiendi, nam pauper pauperi, & exuli exul juncta est. *In exilio* antem inquit Glossa, (*d*) *nil aliud metitur, nisi seges patientiæ.* His & cæteris postea referendis virtutibus, illuxit populo Bethleemitico: *scit* inquit Booz, (*e*) *omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis*: illuxit Senioribus Bethleem, qui e comprecati sunt, faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam sicut Rachel & Leam, (*f*) Illuxit Israeli. Ut enim sex modio hordei, (*g*) attulit suæ socrui fortis mulier: it sex illustrissimorum facta est mater Sanctorum Dav

(*a*) *Ruth.* 1. v. 16. (*b*) *Ruth.* 1. v. 11. 14. (*c*) *Ruth.* 1. v. 16. 17. (*d*) *Glossa. ibi. extr.* (*e*) *Ruth.* 3. v. 11. (*f*) *Ruth.* 4. v. 11. *Chald. paraphr.* (*g*) *Ruth.* 3. 15.

Davidis nempe & Danielis, Ananiæ & Azariæ, (*h*) Misaëlis & regis messiæ. Illuxit Ecclesiæ gentium: pulchrè Theodoretus, *accepit*, inquit, (*i*) *Ruth, plenam mercedem à Domino, quando facta est progenitrix gentium benedictionis.* Illustrius Præsul Mediolanensis: *Ruth*, fatur, (*k*) *intravit Ecclesiam, & facta est Israelitis, & meruit inter majores Dominici generis computari propter cognationem mentis electa, non corporis.* (*l*) Illustrissimè Os auri sacri: Booz pro merito suæ fidei accepit uxorem, ut ex conjugio tali sanctificato genus nasceretur regale. Denique illuxit ipsi rerum omnium Domino. Pergit idem S. Doctor. Nam Booz senior constitutus non sibi duxit uxorem, sed Deo. (*m*) Quomodo verò? respondet Glossa, nam dum ex legis observantia suscitat defuncti fratris sui semen, (*n*) Davidi & Deo ex eo nascituro, accepit Matrem. Documento insigni mortalibus, quando non hinnulorum affectus, sed gravitas & sanctitas nuptias conciliat, DEO honorem, patriæ fulcra, familiæ splendores ex ejusmodi connubiis prodire solere. Sicut etiam quæ juga matrimonialia eqvus & mulus trahunt, mulos non homines nasci, mulos qui calce ingrata non solum patriam, sed ipsos progenitores suos pulsent, feriantque. Ut enim quærentibus primâ curâ Dei regnum, cætera adjiciuntur:

 sic

(*h*) *Lira in c. 3. Ruth.* (*i*) *Theodor. in c. 2. Ruth.* (*k*) *Ambr. c. 3. com. in Luc.* (*l*) *Chrysost. hom. 1. in Matth.* (*m*) *Idem ibid.* (*n*) *Glossa. in c. 1. Matth.*

ſic honeſta conjugii intentio, fortunam captivat & poſt ſe ducit: contraria, peſſumdat.

§. 2.

HÆc igitur Ruth, fœcunda regum Mater, laudabilis Deo Uxor, verſus Loth ſanguis, flos renovati Iſraëlis, gloria Moab, primipila gentium, MARIÆ Sancta proavia, eandem ut figura & imago jam mundè conceptam, jam ut ſpei noſtræ Dominam, mundo oſtendit. (a) Lætatur & gloriatur Deus, in duobus pſalmis, pœnè iisdem verbis, *Juda rex meus, Moab olla ſpei meæ.* Chaldæus vertit, *è domo Juda rex meus, ille mihi regem ſuppeditabit*, quia de tribu Juda, rex meſſias eſt ortus. Cur autem regi Judæ, olla ſpei de Moab conjungitur? (b) Quia idem Meſſias de Ruth, illa de Moab, & primariâ ollâ Moab, hoc eſt verbo metropoli proceſſit. Ajunt enim docti autores, inter quos eſt B. Hieronymus: (c) civitatem dictam PETRAM vicinam deſerto, fuiſſe metropolim & caput Moabitarum, unde natales ſuos B. Ruth traxit: innitentes illi textui; (d) *emitte Domine Agnum dominatorem terræ.* Sed unde? *de PETRA deſerti*: cui autem? *ad montem filiæ Sion*, nomine vero Petræ deſerti. Ruth Moabitis Petrenſis ſumitur, (e) ex qua natus eſt obed, ex obed Iſai, ex Iſai David, ex Davide rex Chriſtus. Prædixi autem, nomine OLLÆ dicis & ſignari urbes primas regni, idque phraſi ac

(a) *Pſal.* 59. *v.* 10 *Pſ* 107. *v.* 10. (b) *Lor. in pſ.* 59. (c) *Hieron. in Iſai. c.* 16. (d) *Iſai.* 16. *v.* 1. (e) *Ruth.* 4. *v.* 22.

ac ſymbolo ſcripturæ. Quærit Deus quid Jeremias videret? (*f*) reſpondet autem ille, *ollam ſuccenſam ego video.* Quæ verò iſta OLLA? explicat ipſe Deus: *ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis ait Dominus: & venient, & ponent unusquisque ſolium ſuum in introitu portarum Jeruſalem.* Ubi vides ollam nominari ac deſcribi Jeruſalem (*g*) Ezechiel elevatus in Spiritu à 25 viris principibus jactari audit de Jeruſalem, hæc eſt lebes nos autem carnes. (*h*) Quibus reſpondet iratus Deus, hæc non erit vobis in lebetem, & vos non eritis in medio ejus carnes. Porrò ſapientisſimè metropoles vocantur ollæ & lebetes grandes. Vel quia ordinariè præcingi ſolent muris, muniri fosſis, armari turribus, arcibus defendi: (*i*) unde fit, quemadmodum muſcæ non audent contingere carnes quæ feruent in ollis: ſic cives ſecuros ſe eſſe reputant in munimentis metropoleos habitantes. (*k*) Vel quia in capitalibus urbibus ſuprema habentur tribunalia: ut igitur cum carnes in olla coquuntur, cruditas extrahitur, cibus ſalubris producitur, vitioſi expirant humores. Sic in regalibus ac judicialibus urbibus, plectuntur vitia, emendantur peccata, viget juſtitia, & legum ſanitas cives & regnum conſervat. Vel denique, hac figura ollæ, infirmitas oſtenditur regnorum: (*l*) ut enim facile eſt homini ollam igni appli-

(*f*) *Jerem.* 1. 13. 14. *Hieron. ibi.* (*g*) *Ezech.* 11. v. 7. (*h*) *Ezech.* 11. v. 11. (*i*) *Gloſſa in Ezech.* (*k*) *Lyran. in c.* 1. *Jerem. A caſtro. ibid.* (*l*) *Rupert. in c.* 6. *Geneſ.*

care aut conterere: tam non operosum est Deo,
urbes, cor regnorum, cum voluerit convellere.
(m) Origenes considerat in illa supra tacta visio-
ne, visa esse à Jeremia duo, primò quidem Vir-
gam vigilantem, quam ille legit, baculum ocula-
tum, (n) deinde ollam succensam & fumantem
à facie Aquilonis, hoc est à parte Babilonis: hæc
inquam considerans, qui inquit, baculo non cor-
rigitur, in ollam mittitur, ut ardeat, & tabescat,
(o) & deponat crassitudinis quendam carnalem
humorem qui mentis Vigorem dissolverat. Nem-
pe, ut benè advertit aliquis, quem leviora suppli-
cia ut Virgæ, ut baculi non emendant, eum quæ-
runt graviora, ut est carcer obsessæ urbis, & ar-
dor publicæ calamitatis. Porrò cum Deus ait,
Moab olla spei mei, (p) & est sensus, (quem Ge-
nebrardus format) Moab subjicietur ad omnia
mihi, hæc quæ nata est in Metropoli Petrensi, re-
gia urbe & olla Moabitarum potissimum tangi-
tur. Ipsa enim facta est continendo Deo per
Virginem MARIAM, vas aptum. S. Basilius eum
psalmi locum explicans. (q) *spero* inquit *Moab
mihi perfectò subjectam fore, quomodo subest volun-
tati humanæ olla*, sive velit quispiam illam amo-
vere à foco, sive admovere ad focum, sive intra
domum retinere sive procul transferre sive bo-
nis cibis replere, sive inanem & quasi pauperem
relinquere. Atque hoc in Ruth Moabitide per-
fectè

(m) *Orig. h. 2. in 38.* (n) *Hier. in c. 1. Jer.*
(o) *A Castro in c. 1. Jerem. 1.* (p) *Psal. 59. v. 10. Genebr. ibi.* (q) *Basil. in ps. 59.*

fectè refulsit: hæc enim fida suæ socrui intra & extra patriam permansit: hæc utramque fortunam, opulentam & pauperem temperate tulit. (r) Cajetanus autem, Moab olla spei meæ interpretatur, spero me inter Moabitas inventurum requiem, qualem inveniunt peregrini, cum abluunt sibi aqua calida, in olla calefactâ fatigatos pedes. Et hoc nostræ Moabitidi convenit optimè, quæ humilis & parata abluere pedes servorum Booz, ipsum primò, (s) deinde Deum, cœpit, & recreavit. Ex ipsa enim emissus est Agnus terræ dominator, ad montem filiæ Sion.

§. 3.

REquisisti à Patrefamilias Booz messores, quænam esset puella & unde? quæ metentium terga spicas colligendo sequebatur, respondent: (a) *hæc est Moabitis quæ venit cum Noëmi, & de mane usque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum reversa est.* Quid figurata altera & sublimior Ruth MARIA? an à momento primæ, ad momentum occidentis diei stetit? num aliquando corruit in agro mundi? (b) Qui nobis ingens machina, Deo, Mundus ager. Sic ipse explicans parabolam, ager inquit mundus est, messis consummatio seculi, angeli messores. (c) Ubi autem spicæ? ego & tu. Sic censemur de cœlis. Videt Joseph manipulum spicarum suum stantem, & alios 11 coram suo inclinatos: (d) pater

(r) *Cajet. in ps.* 59. (s) *Isai.* 16. v. 1. (a) *Ruth.* 2. v. 6. 7. (b) *Chrisost in Matth.* (c) *Matth.* 13. v. 39. (d) *Genes.* 37. 7.

ter autem interpretatur duodecim familias, in quibus, quot homines, tot ſpicæ. Æſopus conſideratis regiis optimatibus coram rege Ægypti, (e) *ſpicæ* inquit *aureæ*: *pauperes plumbeæ, milites ferreæ, equites argenteæ*, Senatores aureæ, ſed tamen ſpicæ & ſpicæ. Sed & labores Alexandri M. unus ejus Ducum cum ſuis conferens, (f) *Alexander* inquit *meſſuit Aſiam, ego ſpicilegium facio*. (g) Sit ſanè ad breve tempus meſſor Aſiæ, verùm, cum anno duodecimo regni moritur, meſſor ut ſpica ab altiore meſſore metitur. Sed & iſte qui ſpicas ex Aſia legit, ipſe ut ſpica collectus eſt. Genus omne ergo hominum ſpica. Et utinam ſe noſſent mortales breves & miſeras ſpicas, non tam facile miſerabiliter perirent. Orto domeſtico inter Galaaditas & Ephrathæos bello, (h) cum iſti fugerent, illi occupantes vada Jordanis, excipiebant Ephrathæos interrogantes, dic Sciboleth, quod interpretatur ſpica: quia verò Ephrathæi reſpondebant Sibboleth, tanquam agniti hoſtes mergebantur. Jordanis ſonat fluvium judicii, coram quo nos omnes ſtare oportet, (i) tunc omnis interrogabitur, qualem ſe in mundo æſtimavit & geſſit, ut ſpicam vel non? certè qui contemptu ſui non invenietur parvus ut ſpica mergetur in Jordanis vada: In hoc ergo mundi agro cum Ruth figurata ſtetit, quomodo ſe habuit? ut cadens an ut erecta? ut ruinam peccati

(e) *In vita Æſop.* (f) *Plut. in apop. Græc.*
(g) *1. Mach. 1 v. 8.* (h) *Judic. 12. v. 6.*
(i) *Hieron. in nomin. Hebr.*

peccati patiens, an divinitatis ſpeciali præſidio præventa atque effulta, ut firmiter conſiſtens? *Omnes in Adam* clamat Apoſtolus *peccaverunt*, (*k*) ergo & ceciderunt. Sic & omnes in primo Adam ceciderunt: quid in ſecundo Adam? Omnes in illo ſurrexerunt? omnes imò omnes de agro mundi translati in horrea cœli, intraverunt omnes. Conſiderans S. Ambroſius (*l*) illud pſalmi, *elevamini portæ æternales & introibit rex gloriæ*: debuit inquit novo victori novum iter parari, quia non unus homo ſed totus in omnium redemptor mundus intrabat. Ipſe porrò ſecundus Adam num in via peccatorum abiit? an ingrediens primò mundum, & impingens in paradiſi ſaxum, hoc eſt peccatum, cecidit & corruit? Minimè. Idem confitetur de eo Apoſtolus, quod ſit, (*m*) *ſanctus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*. An verò novi Adam & nova Eva, Sancta, impolluta ſegregata à peccatoribus, proinde mundum per conceptionem ſuam ingrediens, inventa ſtans; & non cadens? ſtans & non ruens? Sic ea confitetur quæ conceptæ huic Evæ novæ, ſolemnitatem aſſignat. Et certè decuit ſicut primum ſeu veterem cum ſua Eva ſine peccato inveniri Adam, in ortu primo ſic & ſecundum & novum cum nova Eva ſua eſſe omninò impollutos & ſegregatos à peccatoribus. Cum Deus plaga grandinis vaſtavit univerſam Ægyptum, (*n*) agri Iſraelitarum intacti ab ea, &

(*k*) *Rom.* 5. v. 12. (*l*) *Ambr. l.* 4. *de fid. c.* 1. (*m*) *Hebr.* 7. 25. (*n*) *Exod.* 9. v. 25.

& ſpicæ ſtantes inconcuſſæque manſerunt. Qui ergo à communi plaga eripere potuit ſuos ſervos: an à culpâ communis ruina non potuit excipere ſuam Matrem? imò voluit: quia in hac ſpica latebat ejus honor. Quare Ruth noſtra altera, à primo mane conceptionis ſuæ. uſque ad veſperam vitæ ſuæ, ſtetit in agro mundi, gratiâ erecta.

§. 4.

ENimverò cur Ruth Moabitis ſteterit à primo mane usque ad veſperam in agro Booz, cauſa fuit, quia gratia eam detinebat jam agri pleni, (a) jam meſſoris ſibi addicti. Petens illa licentiam à ſocru, vide quid dicat: *ſi jubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas quæ fugerint manus metentium, ubicunque clementis in me patrisfamilias gratiam invenero.* Quare talem agrum, agrique dominum nacta, & gratia ejus inventa, agro ſeſe quaſi affixit: Quid altera Ruth Chriſti? an ideò ſtetit in agro, quia gratiam apud Dominum agri invenit? Taceat homo, loquatur Angelus. Salutans eam ait, (b) *ave gratia plena, Dominus tecum:* turbatam ſplendore inauditæ ſalutationis confirmans, *inveniſti* inquit *gratiam apud Deum.* (c) Ubi non dixit, invenies, aut nunc invenis, ſed inveniſti, reſpiciens præteritum tempus, & quia illud non reſtrinxit, (d) omne tempus præteritum intellexit. (e) Obſervatum eſt à Conſultis legum, verba principis repetita eadem, vel pluries

(a) *Ruth.* 2. v. 2. (b) *Luc.* 1. v. 28. (c) *Luc.* 1. v. 30. (d) *Gloſſa extr. ibi.* (e) *leg. baliſta, ff. ad Trebell.*

pluries altera phrasi, sed eodem sensu prolata, magnum aliquem & novum effectum operari seriosè enim inquiunt, & cum mysterio iterata censentur. (*f*) Princeps autem cœlorum, jam salutans jam confirmans Ruth Israelitidem, gratiam, gratiam congeminat, aut gratia plena, benedicta tu in mulieribus, invenisti gratiam apud Deum. Quare ejusmodi gratiam oportet in nostra Ruth agnoscere, qualis nulli mulierum concessa est. Quomodo alioquin præ mulieribus cunctis dicetur benedicta: (*g*) S. P. Bernardinus, amator insignis hujus Virginis sic de ea: *nullum gratiæ beneficium alicui puræ creaturæ collatum, Virgini negatum est.* Creari autem in gratia, magnum est beneficium gratiæ, quod Evæ ac Adam collatum est, & perfecta innocentia communicata est Angelis: an igitur hoc Ruth nostræ negari potest? Agens scriptura de primis hominibus, primis gratiæ divinæ receptaculis, & per originem ejusdem gratiæ canalibus: (*h*) *masculum* inquit, *& fœminam creavit eos, & vocavit nomen eorum Adam in die quo creati sunt.* Igitur Vir primus Adam, & prima fœmina Adam, ut sic æqualitas speciei humanæ participatæ indicaretur in ordine creationis inquit Menochius, (*i*) & ante eum alii. In ordine autem redemptionis, caput humani generis reformati Christus est, costa & mater,

(*f*) *Sebast. medicis in tract. de reg. juri. reg. 3. n.* 8. *& alii.* (*g*) *Bernardin. Sen. tom.* 4. *ser.* 44. (*h*) *Genes* 5. 2. (*i*) *Menoch. in c.* 5. *Genes. Corn. à Lap. Tirin.*

ter, MARIA. Christo autem quod nomen ? inter alia, GRATIA nuncupatur. Sic illa verba Apostoli, *apparuit gratia Dei*, (*k*) interpretatur Hieronymus, & Ambrosius, Eodem quoque titulo, quæ gratia plena ab Angelo dicitur, GRATIA, à Patribus nuncupatur, & mater Gratiæ. Quod si homo hominem, & Gratia gratiam parit, quid in gratia & gratia pones non gratiæ ? ut albedo, excludit nigredinem, & claritas obscuritatem, sic mater gratiæ. sic de Christi munere, MARIA tota gratia, nil habet adversum in se gratiæ. *Cæteris* fatur Hieronymus, (*l*) *per partes præstatur, MARIÆ se simul tota infudit gratiæ plenitudo.* Quot verba, tot miracula ? S. MARIÆ se tota Gratia infudit, sicut infudit in filii conceptione, nunquid aliquid sui se ei subtraxit ? & si plenitudo infudit, quam particulam sui gratia ei non communicavit ? Minimè est controversum, eum cui datus est fons ipse, datus & omnes guttas fontis. Proles sequitur ventrem, (*m*) jura humana, jura naturæ clamant: in ordine autem Gratiæ, MARIA venter, Christus proles, & venter sequitur prolem: proles totus Gratia, totus Sanctitas: venter quoque hujus prolis, totus GRATIA, totus SANCTITAS. Quid iterum quæro suaviter, in GRATIA, quæres non GRATIAM ?

§. 5.

QUod si profundiorem rimeris causam cur Ruth Moabitis gratiam clementis Patris familias

(*k*) *Tit.* 2. *&.* 11. *Hieron. ibi. Ambros. ibi.* (*l*) *Hier. ser. de Assump. B.V.* (*m*) *Axioma juris.*

milias invenerit pleno in agro, reſpondebitur, quia ſub alas Dei Iſrael confugit, ſic autem olla ſpei, hoc eſt maternitatis Dei, impleta eſt bonis Dei. Hoc verò ex verbis Booz mariti ejus colligimus. *Reddat*, inquit ille, (*a*) *Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à D. Deo Iſrael, ad quem venisti, & ſub cujus alas confugiſti.* (*b*) Nomine autem alarum, fatur doctus Eucherius, gemina protectio divina intelligitur, in adverſis ne mala noceant deprimendo, in proſperis, ne bona vulnerent hominem ſuperbia inflando. *Pauperibus* enim inquit Anonymus (*c*) *negotium perambulans in tenebris inſidiatur, divitibus autem, dæmonium meridianum, ſive claræ diei*, hoc eſt vitæ. Deus autem ſuper juſtos velut pullos ſuos, nunc unam, nunc alteram alam extendit, ſpe erigens in adverſis, ſobrietate modeſtiæ obumbrans in lætis. Et cohæret Eucherii explicatio cum ſcriptura, ubi enim vulgata legit, ſub cujus alas confugiſti, Chaldæus effert, (*d*) *veniſti ad protegendum te ſub umbra majeſtatis gloriæ ejus.* Hæc porrò protectio ab alis divinis veniens, contulit Ruth quaſi geminam alam, alteram ut Booz eſſet filiola, alteram, ut ipſa Boozo mutuô & reciprocè fieret ala. Quod ut penetres, ſcito apud Hebræos, virum & uxorem vocari alam & alam. Et ne longè petatur probatio, ubi communis verſio præfert, (*e*) *ego ſum Ruth ancilla tua, expande pallium tuum ſuper famulam*

(*a*) *Ruth.* 2. *v.* 12. 19. (*b*) *Eucher. in pſ* 92. (*c*) *Anon. in pſ.* 90. (*d*) *Ruth,* 2. 12. *chalda. text.* (*e*) *Ruth.* 3. 9.

famulam tuam quia propinqbus es: (*f*) Hebræa habet origo, expande alam tuam, hoc est dignare mihi esse maritus. Moris enim apud Hebræos erat in contractibus nuptialibus, oram sive alam pallii super sponsam ponere, in signum consensus. Rursus, ubi vulgata tenet, (*g*) *non capiet vir uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus:* in hebræo est: alam non revelabit, hoc est, uxorem non tanget. Et ubi habetur item, *maledictus qui concumbit cum uxore patris sui, & revelat operimentum lectuli sui:* Hebræus legit: alam patris sui. Pulchrè autem vocantur conjuges alæ: quod quemadmodum avis unam habens alam efferre se super terram & suspendere in alto non potest: ita honor familiæ non crescit, ubi vel in cœlibatu vel in concubinatu vivitur. Et sicut aves nunc una nunc altera ala se sustinent in aere, & auxilium jam hujus jam istius experiuntur: ita conjuges mutuo sibi sunt adjutorio, mutuò se sublimant: sæpe enim Vir crescit à claritate uxoris, & è contra. Denique benè Glossa: (*i*) Ruth confugiens sub alas Dei Israel, facta est ala Deo israel. Quomodo autem? quia evolavit nupta Booz ad plenum cultum Dei Israel, & meritorum suorum quasi alis, attulit Deo, Obed, Isai, David, Mariam, & in Maria Matrem. Felix! qui dicere cum psalte potuit:

(*k*) *in*

(*f*) *Hebr. text. Liran. ibi. Hier. Tirin.* (*g*) *Delri. adag.* 171. *Deut.* 22. 6. *ult. Hebr. text.*

(*h*) *Deut.* 27. 10. *Hebr. text.* (*i*) *Glossa extr. in c.* 2. *Ruth.*

(*k*) *in umbra alarum tuarum ſperabo!* nam ut ait Caſſiodorus, protectio Domini meritò noſcitur alis comparata, quæ nec ſubjectos onerant, & læſionem totius contrarietatis hæ alæ emendant (*l*) Repetendum dietim cum Doctore Stridonio, *in umbra alarum tuarum ſperabo, dum adhuc moror in corpore, tua muniar protectione*.

§. 6.

LAtuit Ruth Sub alis protectionis divinæ & non eſt confuſa: an & Spes noſtra Virgo Sub alis Dei delituit, & à primi peccati ruina libera ſtetit? Theodoretus ad illa pſalmi verba, (*a*) *ſub umbra alarum protege me à facie impiorum*, alæ inquit nominantur velox & efficax divinæ providentiæ protectio. Sicut enim (pergit (*g*) Bernardus amplius has declarare alas) videns mater accipitrem venientem, expandit alas ſuas ut pulli habeant tutum refugium: ſic nobis parata eſt, & quodammodo dilatata ſinu extenta eſt ſumma illa & ineffabilis pietas Domini noſtri JESU Chriſti. Quod ſi pietas ac providentia divina & vigilat & accelerat ut ſervos ſuos defendat & protegat in periculis, certè credere non poſſumus, illam ad protegendam Matrem ſuam à morſu primi Accipitris, hoc eſt peccati, tardâſſe, & tuliſſe, ut animarum illa regina vulnus acciperet mortale. Petebat illa quodammodo & prope jure ſuo repetebat, protege me à facie impio-

(*k*) *Pſal.* 62. *v.* 9. *Caſſiod. ibid.* (*l*) *Hieron. in pſal.* 62. (*a*) *Pſal.* 16. 8. *Theodoret. ibi.* (*b*) *Bernar. in pſ.* 90.

impiorum: q. d. (c) alios protegis à pede, alios à manu, alios à dentibus impiorum, ut me totam protegas, ſicut proteges ab omnibus articulis impiorum, ſic protege à facie, à capite, impiorum, ſcilicet à primo peccato. Præmiſerat (d) in illa petitione Pſaltes, ante poſtulationem alarum, *cuſtodi me, ut pupillam oculi.* Hoc verò ſi cui ſanctorum, SPEI certè noſtræ ſervit, quæ non ſolum extrinſecam ſed etiam intrinſecam cuſtodiam & protectionem Dei ut mater ejus merebatur: protectio enim ſub alis extrinſecum quid ſonat, cuſtodia autem ut pupillæ intimum quiddam & intrinſecum oſtendit. Porrò credimus, declarante S. Tridentino Concilio, (e) Virginem tota vita ut pupillam eſſe cuſtoditam: quia ut pupilla non modò ſaxum ſed etiam minutisſimum pulviſculum non admittit: ſic Virgo, non modo graviori perſonali, ſed etiam minima veniali macula caruit. Quomodo verò credendum eſt illam tunc non eſſe Deo à Deo cuſtoditam, quando creabatur ut Dei futura pupilla, & ſe non poterat juvare pupilla? Qui te creavit provide canit illi Eccleſia: (f) ergo providentiæ, ergo pupillæ Dei, pupilla creata eſt. Quæ igitur pulverem non tulit ſuum, alienam non portavit trabem. Acclamârunt Bethulienſes Judith, (g) *benedicta tu es filia à Domino Deo*

(c) *Pſal.* 16. ℣. 8. (d) *Pſal.* 16. ℣. 10.
(e) *Conc. trid. ſeſs.* 6. *can.* 23. (f) *Hym. de B. V. in laudib.* (g) *Judith.* 13. ℣. 23. *Liran. Abul. ibi.*

Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram, explicant interpretes, quæ, sunt, super terram. Hæc autem præ omnibus sui ævi mulieribus benedicta, sic de se. (*b*) *Vivit Dominus quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & tibi commorantem & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus Ancillam suam coinquinari.* Si fuit ita propitius DEUS mulieri, ancillæ, quomodo erat propitius Matri suæ, mulieri super omnes mulieres quæ sunt, fuerunt, & erunt benedictæ? Tam diu tenuit alas protectionis suæ super Judith ut munda sine peccato conservaretur, donec illa caput auferret Holoferni: nec certè defuit Matri suæ obumbrans, alatusque, & citò succurrens, donec amputaret illa, caput inferni, principum peccati. Custodiviti illam Angelus, istam Dominus: ille sub alis, iste in sua pupilla. Quid dubitas virginem in Dei pupilla latuisse custoditam, qui Deum de illa audis serpenti inventori primæ culpæ dicentem: (*i* ipsa conteret caput tuum: non ipsa quæ adstat tibi: sed ipsa sumpta ex ipsa quæ in scientia & Charitate mea mundo providente manet inaccessa Ipsa, hoc est Eva, potuit de Adam educi jam peccatore, & educta non est, sed ex Adam Sancto Sancta, & quasi de pupilla Dei pupilla: sic & nova ac melior Eva quoniam prævisa est ut olla SPEI DEI, sive sperantis ac ordinantis Dei quæ caput contritura erat Serpentis, non de peccatore Adam peccatrix, sed de cœlesti cœlestis educta est. Belluam

(*b*) *Judith*, 13. v. 20. (*i*) *Genes.* 3, 15.

Belluam marinam describens Jobus, (k) *fervescere faciet quasi ollam profundum mare.* Hoc negotium Patres Diabolo assignant, qui primos parentes, ollas Dei, vasa fictilia sic igne illicitæ concupiscentiæ succendit, ut cum illis & in illis omne genus nostrum cupiditate pomi vetiti ferveret. In quo imitatus est morem Tiranni regere ardentis, qui, ut rectè advertit Aristoteles, (l) *imperare non potest, nisi turbidum fecerit ejus reipublicæ statum, cui præesse contendit.* Cæterùm cetus iste infernalis nihil in SPEM nostram Dei matrem potuit, quia fervere ipsa ad ejus voluntatem non potuit, quæ inimica ejus voluntati prævisa, electa, & ab origine mundi declarata est. (m) Interposuit Deus inter caput Jonæ, & solis ardorem umbram hederæ, & Jonas non æstuavit: quanquam alii ferverent: sic umbra protectionis divinæ, æstum communis concupiscentiæ, ne comprehenderet matrem suam, fregit, & avertit. Loquitur Dominus apud S. Augustinum cum Manichæo. Quid est quod te permovet in mea nativitate? non sum libidinis conceptus cupiditate. (n) *Ego matrem de qua nascerer feci ego viam meo itineri præparavi, atque mundavi. Hanc quam despicis Manichæe, Mater mea est, sed manu fabricata mea. Si potui inquinari cum eam facerem, potui* (in illa) *inquinari cum ex ea nascerer.* Verùm, inde inferre & respondere Domino

---

(k) *Job. 41. v. 22. vide Pinedam ibi.* (l) *Aristot l. 3. polit. c. 12.* (m) *Genes. 3. v. 15. Jonæ 4. v. 6.* (n) *Aug. tom. 6. de 5. hæres. c. 5.*

Domino possumus, si tu matrem fecisti, fecisti autem quando perfecto ejus corpusculo animam creasti, corporique univisti, valdè bonam fecisti, quia quæ à te facta sunt, valdè bona esse laudata sunt. Si mater tua, (o) fabricata est & ædificata tua manu, nunquid tu ædificando illam, ruinosam fecisti? imò collapsam? Iter tuum nativitas tua, via tua Mater tua: hanc autem sicut parasti sic mundâsti: atqui eam ais te non parasse, sed præparasse, quare eandem non solum mundasti, sed præmundâsti. Denique si tu non es inquinatus cum eam faceres, nec ipsa est inquinata, quando à te, & non ab ullo alio est facta: sicut nec tu, nec Eva inquinati estis, cum eam in paradiso faceres. Manus ergo tuæ mundæ mundam Matrem fecêre, & alæ tuæ, ne coinquinaretur in diluvio universali texêre.

§. 7.

EX dictis hactenus fluunt duo, alterum est, quod speremus, alterum quod imitemur, atque imitando spei nostræ anchoram fundemus. Speramus autem ollam SPEI divinæ, futuram ollam spei nostræ. Christum Domini vocari Spem, (a) constat ex multis, & clarissimè ex hymno: *Tu lumen & splendor Patris, tu SPES perennis omnium.* Ergo confidimus illud vas quod Spem nostram Christum continuit atque edidit, negotium Spei beatæ nostræ efficaciter promovebit. Nec te offendat homo, cum Sanctissima Dei ma-

(o) *Genes.* 1, *Genes.* 2. (a) *Hym. de nat. Domin.*

ter vocatur olla Spei tuæ, (b) divinam sequimur linguam ut David de Moab dixit, *Moab olla Spei meæ*: divinam item sequimur manum: potuit Deus hominem ex auro conflare, ex adamantibus concinnare, noluit: voluit de luto ut ollam, ut vas fictile plasmare, & quod factum est ab eo, nos fatemur. (c) S. Ambrosius vocat SS. SPEM NOSTRAM, aulam Spei, alii vas sanctæ spei, alii Anchoram fiduciæ, alii unam auream Spei nostræ. Sed si Virgo, aula spei est, huic ergo servi: ibi quære honores, inde expecta provenire opes, hinc præstolare tua commoda & gaudia. Et si Virgo vas Spei Sanctæ est, spes igitur non sanctas & inanes à te prescindens, in vas hoc tota cordis devotione te claude: & si eadem Virgo urna Spei tuæ est, nosce fontem, & affusis precibus venerare, unde salutis aquas haurire debeas. Verum neque te ab urna tuæ spei abjunge, sed potius, tu funem urnæ, & te funi connecte, aliter urna non servit. Funis tuus quotidiana tua oratio, hac tange & prende Virginem, illam autem nulla die intermitte. (d) In vitis PP legitur, duos eremitas simul orationem edidisse, & ab ore unius globos igneos in cœlum volitasse, ab ore autem alterius funiculum igneum ad cœlum item excurrisse. Funis igitur tuus hujusmodi teneat MARIAM, tu funem quem apprehendisti ne dimitte. Tenete vos mutuo, funis urnam, tu funem. Demum si

(b) Psal. 59. 6. 50. Genes. 4 7. (c) Ambr. de Virg. institut. c. 12. (d) Rosuaid. in Vitis PP.

si Virgo anchora est spei nostræ, ne te de navi quam conscendisti ejice: nam anchora fundat navem. Navem tuam voco Ecclesiam veram, hanc serva: navem tuam interpretor, Sodalitatem Parthenicam cui te addixisti, ne excende, ne leges ejus omitte. (e) Pontus ubique, tempestas sævit semper non juvenes solum sed etiam viros & senes persequuntur casus & pericula. S. Augustinus ad illa verba, *non dabit in aeternum fluctuationem justo*, quæro inquit portum non saxum ubi anchoram spei meæ figam. Anchora jaci potest vel in saxum, & non proficuè, quia saxum anchoram non recipit: vel in lutum, & inaniter, quia lutum quidem anchoram recipit, receptam tamen retinere nequit: fundus autem solidus, & recipit & retinet. in hunc qui jacit anchoram, facit sibi portum. Nos verò qui Virginem post Deum anchoram nostram agnoscimus, ubi eam locabimus? in saxo crudæ iræ, pertinacis malitiæ? saxum hoc anchoræ uniri non potest. In luto voluptatum? nec ibi hærere anchora potest. Quid ergo? in solido fundo, in corde puro humilique, ibi locus ejus. Clamamus ad hanc anchoram funda nos in pace: sed ut ipsa fundet se in nobis, addendum, nos culpis solutos mites fac & castos. S. Paulinus explicans illud, Moab olla spei meæ, (f) *non solum* inquit *de Juda, sed etiam de peccatorum origine Christus sumpsit carnem, & decocta quasi per ollam carnis nostræ cruditate, Sanctificavit nobis*

(e) *Psal.* 54. v. 23. *Aug. ibi.* (f) *Paulinus ep.* 3. *ad Severum.*

bis carnem suam, in æternum cibum. Sicut autem cœlestis olla caro Christi Moabitarum decoquit cruditates, sic de gratia Christi, & mater Christi consumit suæ Charitatis fervore nostras imperfectiones. Quis numerare valeat quantos illa carnalitate crudos, vindictæ spiritu indigestos, superbia aliisque vitiis humentes decoxerit, & in dulcem Deo cibum verterit atque obtulerit? ut meritò vocata sit à S. Ambrosio olla ferventi spiritu plena, ubi vulgata habet, (g) Moab olla spei meæ. Symmachus & S. Basilius legunt, vas lavacri mei. O Moabitis Sanctissima! ô Ruth nova & spes nostra Virgo, per te quæ non gentes, ad gratiam baptismi pervenerunt? per te, quanti Æthiopes diu nigri ut ollæ inferni, super nivem dealbati effulserunt? Ruth alas spei non sibi tantum sed & suæ Noemi invenit, quia ejus senectutem pacificè suum diem expectare fecit. Tu autem quantis alas tuas extendisti, totiquè eorum vitæ temporali atque æternæ consuluisti? Meritò tibi acclamat Joannes Geometra: (h) *tu spes Christianorum quæ non confundis: tu spes desperantium* clamat tibi Ephrem. Liquescunt sæpe ut Icaro alæ cereæ multis, quia spes suas vident expirasse, & se in mare æternitatis turbidæ ruere, & ecce ad unam tuam intercessoriam vocem, occurrit illi DEI misericordia, sternit alas, portat sursum, figit in nido gloriæ.

§. 8. Quid

(g) *Ambr. ubi supr. Psal.* 59. 10. *Symm. Basili text* (h) *Joan. Geometr. orat. de fasc. B. V. Ephr. de lau. B. V.*

§. 8.

QUid autem nobis ad imitandum Ruth noſtra, SPES noſtra proponit? ut tota vitæ & meſſis die, ſtemus in agro Dei, gratia erecti, ſpe vividi, charitate ſtabiles, & neque ad momentum corruamus peccantes. Cæterùm, verum eſt illud Iſidori Peluſiotæ, (*a*) *mundus ruinarum ruina.* Quomodo verò? quoniam continuò ipſe ruit, & ut corruant alii ipſe trudit. Truditur dies die, novæque pergunt interire Lunæ: (*b*) ſed & dies cum diem trudit, nos de ſtatione aut veri aut virtutis occupatæ detrudit. Ergo ruimus, & in ruinas alios impellimus. Utinam eſſet vera Gloſſæ ordinariæ explicatio, (*c*) *ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem, in ruinam* inquit *vitiorum & in reſurrectionem virtutum.* Sed ô gloſſa: ſi virtutes per Chriſtum reſurgunt, ergo prius ciciderunt, jacuerunt: melius tu ipſa: poſitus eſt Chriſtus in ruinam, illorum qui ſteterant. Olim vociferatus eſt Iſaias & rugiit clamore grandi, ruit Jeruſalem, & Juda concidit, irruet populus, vir ad virum. (*d*) Sed & poſtea Jeruſalem novam, non quæ occidit ſed quæ audit prophetas, ruere Paulus vidit quando clamavit, ſtate ſtate. State clamavit Epheſiis ſuccincti lumbos, (*e*) & alii ad hanc vocem ſuccincti ſtetere, alii baltheo caſtitatis abjecto corruère. Clamavit idem Apoſto-

 lus

(*a*) *Iſid, Peluſi. in epiſt.* (*b*) *Horat. carm. l.*
(*c*) *Gloſſ. ord. in c. 2. Luc.* (*d*) *Iſai. 3, c. 5.*
(*e*) *Epheſ. 6. v. 34.*

lus Galatis, (*f*) ſtate & nolite jugo ſervitutis iterum ſubjici, hoc eſt cum ſitis Chriſtiani, nolite judaizare: & quidam audiverunt ac ſteterunt, quidam in jugum judaicæ ſervitutis impingentes etiam hodie corruunt. Jugum Judaicum voco avaritiæ peccatum, quisquis enim cum Veſpaſiano clamat, lucri undequaque odor bonus, iſte Judæum olet. (*g*) Ruit Jeruſalem, Juda concidit. Quæſivit aliquando Sidonius Apollinaris, (*h*) *quanta putas fortunæ fragmenta, quanta felicitatis humanæ ſegmenta in terram cadere, cum reges ruunt*? nempe per mortem. Cum autem filii Jeruſalem, filii Juda ruunt, cum reges cœlo deſignati, loti, uncti cadunt, ejus non ſegmenta, non fragmenta fortunatæ ad tempus arboria, ſed ipſi Dei paradiſi, ipſi Carmeli, & querceta Baſan, & palmæ Cades, & cedri Libani cadunt, & vix eſt qui videat, aut exaudiat fragorem ruinarum. Cadunt autem non in terram ſed ſub terram, infra radices montium, intra ipſas radices omnium maledictionum. Cur autem ſic & Judas & Hieruſalem ruunt? Spicæ ſunt fragiles in agro mundi, futuri columnæ immobiles in templo Dei. Venit grando frigidæ paupertatis aut metus majoris, & ſpica quæ ſteterat, fracta ruit. Venit aper de ſilva, potentia ſuperba & in gratiam ejus peccatur, hoc eſt ruitur. Venit turbo diſcordiæ, & frangit ſpicas ac ſternit. Parcant ſanè iſta omnia ſpicis, ſed quoties

(*f*) *Galat.* 5. *&* 1. *Hieron. ibi.* (*g*) *Suet. in Veſp.* (*h*) *Sidon. in ep.*

ties ipsæ se mutuo frangunt & in casus pudendos dejiciunt. (i) Imitantur homines spicas Pharaonis, quarum macræ devorarunt pingues: quoniam macri virtute, pingues pietate, exempli mali faucibus consumunt Virgo spes nostra, à mane conceptionis ad vesperum usque sacræ dormitionis stetit in agro: custodivit Dominus introitum suum & exitum suum. Nos ipsam oremus, ut saltem à momento conversionis nostræ stemus in divinæ Gratiæ campo usque ad occasum mortalis vitæ. Pulchrum est audire, (k) *ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* Sed acervus tritici non eris, nisi immobilis in timore Dei steteris. Scis, quis cœpit stare in cœli culmine, in gratiæ & naturæ vertice, sed quia in veritate non perstitit, se perdidit, cœlum terramque concussit. Ergo qui cœpistis coram Deo in agro Dei stare, perstate, & durate. (l) Finis non initia in Christianis quæruntur: ut perstetis autem in fide, in charitate, in perseverantia patiendi; anchoram Spei vestræ, vas Spei divinæ MARIAM corde retinete.

ARTICULUS II.
SPES NOSTRA NATA.

§. I.

PRoximè laudatæ Ruth & Booz filius, Pater Jesse, avus Davidis, Obed Patriarcha inter claros

(i) *Genes.* 41. 27. (k) *Job.* 5. 6. 26.
(l) *Hieron. in epist.*

claros B. Matris Majores non postremum tenet locum. Illius nativitas expectationem trium Sanctorum, Booz justi, Ruth proselitæ fidelis, Noemi patientissimæ explevit, Spes erexit. Sed & Bethleem urbem fama lætissima excivit: quin domum Pharez, inter quinque ramos tribus Judæ, illustrissimam, novum lumen sperare jussit. Sonanter & canorè paucis eum expressit Scriptura. (a) In censu enim domus Judæ de eo dicitur, *ipse est Obed, qui genuit Isai.* Sicut Moyses describens quatuor fluvios qui ex fonte Paradisi emanant, descriptis aliis copiosè, ubi ad Euphratem venit, (b) paucis multa complectens, dixit, ipse est Euphrates. Q. d. inquit glossa, *cum nomen dixi, omnia expressi*: non eget commendatione, qui se ipse fructu suo commendat. Jam verò Spes nostra Virginum Princeps, cum nascendo affulget mundo, cujus Spes non excitat, cujus desideria non terminat? Expectabat S. ejus genitor patientiæ suæ fructum & tulit: (c) expectabat Mater ejus B. Anna sterilitatis suæ solatium & accepit: expectabat mundus Matrem familias, & nactus est: expectabat cœlum Dominam, & visa eâ exultavit. Expectavit divina providentia quasi Noemi dierum plena, Ministram ac instrumentum magni operis patrandi, & jam sibi conjunctum cernit ac gaudet. (d) Audio nunc per omnes vicos Jerusalem cantari

(a) 1. *Par.* 2. 6. 12. (b) *Genes.* 2. 14. *Glossa ibi.* (c) *Damasc. ser. de nat. B. V.* (d) *Tob.* 13. 22.

cantari alleluja. Audio nunc per omnes mundi triplicis portas resonari illud Davidicum. *Exaltabitur senectus mea in misericordia uberi:* (e) Senuerat mundus terrestris vitiis, senuerat limbus Patrum diu detentis captivis, senuerat cœlum labore sustinendi impios, sed & ipsa divina providentia, quasi jam nihil melius haberet in ratione nostro generi providendi, opinione hominum senuerat. (f) Senuerant & ipsa secula de Virginis ortu certantia, & ecce dum Virgo nascitur, passim, & ubique canitur, exaltabitur Senectus mea in misericordia uberi. Matronæ Bethlemitides videntes Noemi natam Spem, scilicet Obed ex nuru Ruth conclamaverunt: (g) *natus est, qui consoletur animam tuam, & enutriat Senectutem.* Nos item, nata Obedo filia dicamus omnium rerum classibus & ordinibus, nata est quæ renovet mundum, nata quæ enutriat famentes, nata quæ consoletur, animas, gratiam solatii expectantes. Verba illa psalmi citati, Chaldeus, (h) *effert exaltabitur senium meum oleo virenti frondentis olivæ.* Sic est munde, tuum senium renovatum exaltabitur, diluvium peccatorum minuetur, inundatio pœnarum siccabitur, os inferni absorbens arctabitur, ecce columba cum ramo frondentis & virentis olivæ: sic voco B. Annam, quæ cum Spem nostram peperit ramum olivæ, (i) Misericordiæ scilicet divinæ incarnandæ protulit. Corpus Romani

 Impe-

(e) *Psal.* 91. v. 11. (f) *Damasc. ubi supra.* (g) *Ruth.* 4. v. 15. (h) *Ps.* 91. v. 11. *Chald. text.* (i) *Genes.* 8. 11.

Imperii quasi unum hominem Florus considerans (*k*) ejusque ætates distinguens, à Cæsare inquit Augusto in seculum nostrum sunt non multò minus CC. anni, quibus inertia Cæsarum quasi consenuit, nisi quod sub Trajano Principe movet lacertos, & præter spem omnium, senectus imperii quasi reddita juventute revirescit. Si corpus Romani imperii sub Trajano movit lacertos, & reddita juventute senium quasi excussit. Certè universi divini imperii moles & latitudo, cum nata Virgine illud brachium Domini accepit, quod fecit omnia, & nova omnia, veteribus recedentibus, est perfecturum.

§. 2.

NAtus Obed implevit perfuditque lætitia Senatum populumque Bethleem, Senatum: quia juxta verbum ejus pium ac comprecatorium, evenit Booz & Ruth. Comprecatus autem fuerat eis is Senatus Dei motu excitus, (*a*) *faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam sicut Rachel & Liam, quæ ædificaverunt domum Israel.* Rachelis felicitatem imprecantur ut fieret Ruth formosæ prolis parens: Liæ autem fortunam optant, ut validam & masculam prolem produceret. Quod utrumque per Obed & alios ab eo descendentes impletum est, ut patet in Davide & fratribus ejus qui militiæ nomen dedêre: similiter in nepotibus Sororiis ejusdem Davidis, (*b*) & quidem ex Sarua Sorore Davidis

(*k*) *Flor. l.* 1. *in prologo.* (*a*) *Ruth.* 4. v. 11.
(*b*) 1. *Paral.* 2. v. 13. 14. 15.

vidis, tres duces belli, Joab, Abiſai & Aſael: ex altera autem Sorore ejusdem Abigail, magnus Magiſter militiæ Amaſa, providerunt. Quod ſi quæras, cur Seniores Bethleem ſortem puerperii imprecati ſunt Ruth, ut Rachelis & Liæ: (c) Liæ, reſpondeo juſtisſimè, quia Pharez, & ante eum Judas, ex quibus deſcendit Bethleem ſive Ephrata, (is qui nomen urbi dedit) de Lia nati ſunt. Rachel autem ideò nominata eſt, quia ibi ſepulta. Sic enim habes in Geneſi. (d) *Mortua eſt ergo Rachel & ſepulta eſt in via quæ ducit Ephratam*, hæc eſt Bethleem. Rurſus populum in ortu Obed exultaſſe conſtat, nam referuntur mulieres ejus loci, congratulantes Noemi adjiſſe, & nepotis adventum fauſtum auguratas fuiſſe; eo quod ipſe ſpes ſibi natus eſſet, (e) ut filii ejus, nempe Mahalon & Chelion qui jam obierant, in Obed quaſi reſurgerent. Porrò nativitas Obed, & uni civitatis, & non toti tribui, & brevis temporis lætitiam attulit: Virginis autem Matris glorioſus natalis gaudium univerſo mundo, & omni poſt eam currenti ſeculo annuntiavit. (f) *Habet Sanctorum editio* inquit Ambroſius *lætitiam plurimorum*, quia juſtitia eſt commune bonum: Matris autem divinæ editio habet lætitiam cunctorum, quia ejus Sanctitas, ſanitas fuit, orbis terrarum. *Prodeunte bono principe* inquit Plinius, *quaſi ad felicis exortum ſideris populus exultat*: (g) Virgo autem cum naſcitur, non

 ſolum

(c) *Geneſ.* 29. *v.* 35. (d) *Gen.* 35. *v.* 20.
(e) *Ruth.* 4. 17. (f) *Ambroſ. l.* 2. *comment. in Luc.* (g) *Plin. Trajan. panegir.*

ſolum felix ſidus oritur, ſed fecundum etiam: hoc enim eſt illud ſidus, quod Solem ſeculis protulit neſcientem occaſum. Naſcitur Obed, & Spes unius oppidi naſcitur; natæ autem Virgini Virginum clamant regna & ſecula, (*b*) Spes utriusque mundi Salve, ut clamavit Joannes Geometra. Refert Blondus, ea die qua Edelphus S. Ecberti regis filius coronam Anglicani ſuſcepit regni, (*i*) Angliam feſtivis lætitiis cantibusque perſonuiſſe, & quidem ita, ut ceſſantibus hominibus, Chori reſponderent canentium Angelorum. Tua autem ô Spes utriusque mundi apparitio, ſolemnis & auſpicata coronatio eſt, quia naſceris regina cœli & terræ: tuus infantulus vertex diademata utriusque mundi ſuperi & terreni ſuſtinet. Quare non ſola terra profuſis gaudiis ſed etiam cœlum omne harmonia dulci perſonuit atque exultavit. Et quidem orbis terræ lætitia in ortu Virginis patet: hanc tamen & excitavit & prævenit mundus cœleſtis. Nam ante inſtitutum, (*k*) Natæ Spei noſtræ feſtum, quotannis auditi referuntur Angelorum cantus 8. Septembris ante Auroram, reſonantes. Quibus permota terra noſtra, tandem ſolemnitate jucunda reſpondit, reſpondetque. Itaque meritò Natæ acclamandum eſt Virgini, Salve Spes utriusque mundi: Spes cœleſtis mundi quia tu ejus ruinas implebis; Spes terreſtris orbis, quia per

(*b*) *Joan. Geomet. himn. de B. V.* (*i*) *Blondus de rebus Angl. deca. 1. libr. 5.* (*k*) *Ephemer. Marian. 8. Sept.*

per te, tuumque benedictum filium mors effugabitur, vita autem & quidem æterna redibit.

§. 3.

INter alias causas ob quas exultavit Bethleem nato Obed, fuit, quia ipse natus est Noemi pulchræ, quæ fuit princeps Matronarum ejus loci. (a) Hoc autem indicavit nomen puero collatum, nam inquit Sacer textus, *Vocaverunt mulieres nomen ejus Obed.* Obed autem sonat SERVIENTEM: (b) Ad gustum autem Noemi inditum est nomen SERVIENTIS, quia ipse erat loco duorum filiorum, unus Noemi, velut filius alias nepos, serviturus. (c) Lyranus autem has mulieres considerans, virtutes inquit cœlorum, quæ gaudent in fecunditate Ecclesiæ, vocant nomen ejus Obed, hoc est Serviens: hoc est qui Ecclesiæ nascitur, gratus hospes Angelis eam ingreditur, non tamen ut Dominus, sed ut Obed, ut serviens. Nunc enim tempus est ait Glossa (d) Deo ejusque Ecclesiæ serviendi, deinde adveniet æternitas regnandi & dominandi. Iam verò Spes nostra Virgo qualis & quam ob causam ingreditur hodie mundum & Ecclesiam? Item ut Obed ingreditur, ut Serviat Domino, ut ancilletur Ecclesiæ ejus, ingreditur. *Ministra facta est Virgo* inquit Ven. Beda, (e) *Deo dando carnem, ministra item fiet populo ejus, roborando mentem.* Serviet mundo, ut suus filius, de quo Pater:

(a) *Ruth.* 4 (b) *Hier. in nom. Hebr.* (c) *Lyran. in c.* 4 *Ruth.* (d) *Glossa extr. in c.* 4. *Ruth.* (e) *Beda. in c. Luc. Zach.* 4. 8.

Pater: *ecce ego adducam Servum meum orientem:* quo effectus pacis & gaudii: sequitur enim in illa die dicit Dominus exercituum vocabit vir amicum suum subter vitem, (*f*) & subter ficum, ut scilicet quemadmodum exponunt interpretes, (*g*) bibens & comedens dulcia, dulci lætitia & abundantia pacis perfruatur. Talis quoque Serviens, prodit virgo mundo nascens. Christus, servus ORIENS, MARIA quoque SERVA ORIENS. (*h*) Christus porrò dicitur Servus Oriens ex alto: oriens quidem, quia Christus qua homo in Vigore & alacritate implendi Patris voluntatem, nunquam occidens, (*i*) nunquam tenebrescens, sed quasi diem sive lucem suæ obedientiæ inchoans. Ex alto autem oriens, quoniam obsequium quod in paternis implendis mandatis (*k*) Salvator exhibuit, non de terrenis motivis, non ex humanis oriebatur principiis, sed ex cœlestibus & divinis. Sic & B. Mater in famulitio divino nunquam noctem passa, occidit nunquam, sed velut semper incipiens, & perpetua Vertigine Sol lucens & currens, sese habuit. Non illam ad orandum, ad mortificandum ad jejunandum vel ad aliqua ardua exequenda, stimuli respectus humani ut nos impulerunt sed semper lucida & pura, alta & sublimis intentio elevabat. Nos autem, quantum ab illa recedimus? Illa nascens Serva oriens, quia lucis & gratiæ creatura, nos nec servi Dei, & servi nocti a

(*f*) Zach. 4. 10. (*g*) *Riber. Sanch. Cor. à Lap. ibi.* (*h*) *Luc.* 1. 6. 78. (*i*) *Glos. extr. in* 1. *Luc.* (*k*) *Incogn. in ps.*

ac tenebrarum de utero prodimus parentum: (*l*) illa, semper oriens dum Vivens: nos autem facti servi orientes ex alto, ubi liberi arbitrii bivium contingimus, Servi occidentes, servi de profundo invenimur. In cætero verò vitæ flexu, quoties alternamus, nunc orientes nunc occidentes servuli? Mane in templo orientes, vespere in tecto occidentes? Monebat olim Galba Pisonem, *imperaturus es hominibus qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* (*m*) Quod de Romanis dictum, in Christianis videtur, qui totam Dei servitutem quam amare debent, pati non dignantur. Quare & justo Dei judicio tota libertate gaudere non merentur. Vere & acutè elocutus est Seneca: *tota vita servitium est*: (*n*) certè, si hominem ad hominem referas, hoc omni vitæ non convenit: quod si hominem ad Deum reducas, sic omnis vita servitium. Creatus enim homo non alio fine est inquit gloriosus noster Patriarcha, nisi ut revereatur, ac laudet suum creatorem, (*o*) eique serviens tandem Salvus fiat. Laudo sapiens Dionis effatum, (*p*) *arcus, lyra, homo, laxamento vivunt,* si intelligatur de contentione laborum temperanda. Non tamen si usurpes de laxamento Servitutis ad Deum. Relaxa arcum ne frangatur, liram ne rumpatur, laborem ne te corrumpat:

(*l*) *Interlin. in c* 4. *Zach.* (*m*) *Tacit. l.* 1. *hist.* (*n*) *Senec. de tran. c.* 10. (*o*) *S. Ignat. in fundam. exer. spir.* (*p*) *Dion. apud. Mystag. l.* 4. *c.* 22. *sect.* 1.

pat: at serviendi Deo continuitatem cave relaxes, ubi relaxasti: hominem perdidisti: vult enim Deus ut tota vita nostra sit servitium suum: nosque ut servi orientes & orientes pergamus semper. (q) Et quemadmodum Sol non solum cum nobis oritur, est oriens, sed etiam cum cœlum ascendit, aut post meridiem descendit: nam alio in climate oritur: sic inchoatam DEO serviendi voluntatem oportet, viridem, recentem & quasi semper orientem gestemus, ut & ipsi grande nomen OBED, SERVIENTIS Mereamur, & de nobis gloriantem Deum audiamus, ecce Servus meus ORIENS.

§. 4.

IN conjugiis deligendis quatuor esse spectanda vult Isidorus, nempe, (a) *Virtutem, genus, pulchritudinem, Sapientiam.* Meritò autem primo loco virtus posita est, quia quæ matrimonia virtus conciliat, gloria & fortuna coronat. In Patriarchæ autem Obed parentibus: quamquam omnia quatuor convenerint, virtus tamen primas tenet. Nicolaus de Lyra quærit, (b) num justus Booz, justitiæ damnum non subierit cum non de filiabus Israel. Sed de gente alienigena à Moab Sociam sibi elegerit? & absolvit eum à peccato, ex eo, jam quia Israelitidem novæ professionis duxit, jam quia gratia fratris sui ut ei semen juxta legis præscriptum suscitaret, viduam accepit. Ubi quis non videt, vim fidei? amorem frater-

(q) *Glossa extr. in c. 4 Zach.* (a) *Isid. l. 5. c. 7.* (b) *Lyra in c. 4. Ruth.*

fraternitatis, obedientiam legis, suimet quasi oblivionem & contemptum, commiserationem pauperis & viduæ, ad eas nuptias conciliandas concurrisse, Mater autem Obed quantæ virtutis erat, ostendunt de ea verba Booz prolata. (c) *Scit* inquit *omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ te mulierem Virtutis esse.* Qualis autem virtutis? Interlinearis exponit robustæ & masculæ. (d) Et patet ex hebræo textu, qui sic habet: (e) Scit omnis populus, te mulierem fortem esse: proinde & Virtutis fortis ac masculæ. Respondit: sic suæ Ruth origine: non enim solum de nobili, sed etiam de regio sanguine, (f) ut refert Lyranus trahebat, eam sedet vir ejus primus Mahalon de primis tribus Judæ principibus descendens (sicut & frater ejus Booz) non duxisset vivo præsertim patre, mulierem obscuram. Itaque quemadmodum in parentibus Obed sanguis Abrahæ & Loth convenit, & virtus virtuti juncta est: sic ipse, partus virtutis habeatur necesse est. g Verè primus Philosophorum, ut ex hominibus homo, & ex bestia bestia, sic ex bonis bonum generatur. Pulchrè & Sacerdos Esdras: (h) *qualis ager talia & semina, & quales flores, tales & tincturæ, & qualis agricola, talis & cultura.* *Fortes creantur fortibus* canit Lyricus, (i) accinamus ei: Sancti efflorescunt de San-

(c) *Ruth.* 3. 6. 11. (d) *Interl. ibi.* (e) *Hebr. text. Ruth.* 3. 11. (f) *Lor. in c.* 1. *Ruth.*
(g) *Arist. l.* 1. *polit c.* 4. (h) *Esdr. l.* 4. *c.* 5.
(i) *Horat. carm. lib.*

Sanctis. S. Cyrillus Alexandrinus loquens de ſplendore virtutis, virtus inquit lucidiſſima eſt, (*k*) habet arma ſplendida, & quaſi fulgurantia? Cur verò virtus fulguri ſimilis? cum ſit Sole, ſuo ſplendore ſuperior? misſis aliis cauſis hanc offero, quia eſto illa in ſe viſa, & in ſuo loco & centro refulgens confundat ſua claritate ſolem, omnemque cœli ignem, tamen à mortalibus non poteſt nec ſolet niſi inſtar fulguris videri: vix apparet, & ſe modeſtiâ ab oculis hominum retrahit: vix emicuit, & alio transfertur! currit per orbem, & perſtringit oculos: excæcaret, ſi eos tota & fixa intraret. Et tales ego, Beatisſimæ SPEI noſtræ parentes adverto, quorum minutas ſcintillas tantum, ex aliorum ſcriptis radiare videmus, non robur & integritatem totius lucis. Tres inprimis ſcintillas annuus eorum proventus oſtendit: (*l*) cujus unam partem Deo & Sacerdotibus, alteram hoſpitibus & egentibus, tertiam ſibi ſuæque domui diviſerunt. Vita Joachim & Annæ (alias ſcintillas virtutis prodit idem Hieronymus) (*m*) ſimplex & recta apud Deum & homines irreprehenſibilis erat & pia (*n*) Eſt traditio ad annum ætatis, ſexageſimum vitium ſterilitatis in parentibus M. Matris latuiſſe: & ſimul adamantinam opprobrii in Iſrael ſufferentem patientiam & humilitatem adhæſiſſe. Cogita qualis, quam ignea ex

(*k*) *Cyril. in c.* 3. *Abac. ad* ℣. 11. (*l*) *Hieron. tom.* 4. *de ortu Virg.* (*m*) *Idem ibid.* (*n*) *Vide Chriſtoph. à caſtro in hiſt. de B. V. c.* 2.

ex ipsis erumpebat oratio? quantis jejuniis & lacrymis, & misericordiis pauperum prolem à Deo quæsiverint? (o) In Halesina regione refertur fons haberi, qui ad cantum tibiarum intumescit. Ut autem SS. uterus Annæ, dono Dei augeretur & tumesceret, & thesaurum mundo ederet, quantis non tibiarum, cantibus, sed luctuum neniis, sed columbinis gemitibus, sed mæstis suspiriis uterque conjugum personuére? (p) Verum ut ait Ven. Beda, non est ablatus Annæ partus, sed per sterilitatem dilatus, donec: transiret tempus carnis, & cupiditatis, castissimusque uterus Virgini concipiendæ pararetur. Castitas igitur Virginitatem peperit, Virgo autem ex membris senilibus, longè à naturæ fervore alienis, tanquam divinitus datus fructus producta est. Sic Beda. Optimè hinc concludens Damascenus, (q) ex ventris inquit vestri fructu Joachim & Anna, immaculati agnoscimini. Virtus Virtutem peperit: & castitas Virginitatem generavit. Ex virtute autem nata virtus, quid boni non promittit mundo? Spes ô Spes utriusque mundi MARIA nata salve.

§. 5.

GRatulantes Bethleemiticæ Matres Principi suæ, pulchræ Noemi, *benedictus* inquit (a) *Dominus quod habeas qui consoletur animam tuam, & enutriat Senectutem.* De nuru enim tua natus

(o) *Mystag. Cresol. l.* 3. *c.* 27. *sect.* 4. (p) *Beda. in Luc. c.* 1. (q) *Damasc. orat. de nat.* B. *V.*
(a) *Ruth.* 4. *ver.* 14. 15.

tus eſt, quæ te diligit, & multò tibi melior eſt, quam ſi ſeptem haberes filios. Vide quid iſtæ non thyrſigero, ſed cœli afflatæ halitu ſpirent & loquantur, nolentes prophetant, & vigilantes futura ſed verè ſomniant. Duo autem potisſimum: unum ſ quod animam, (*b*) alterum quod corpus Noemi concernat: animam inquit tuam conſolabitur, ſed in tantum, ut unus nepos, ſeptem filios vincat: ſenectutem tuam enutriet, ecce cura corporis. Spes autem noſtra Virgo, nobis nata nobis data, num conſolatur animas noſtras? num ſenectutem enutrit? Utrumque facit abundantiſſimè. Grande opus, grande negotium animas ſolari! Si habent corpora morbos ſuos, animæ certè & plures & periculoſiores eos habent: conſolator autem animarum, eſt Medicus animarum Ubi vulgata legit: (*c*) *conſolatores vos oneroſi*, alius effert textus, medici vos idoli. Quibus verbis notantur ii qui ad conſolandos afflictos ſeſe ingerunt, & præſtant nihil. Sicut qui adorat idolum, nihil facit: vel ſiquis curaret idoli oculos, aut pedem, aut caput, ageret nihil. S. Ambroſius ad illa Canticorum verba (*d*) *comedi panem meum cum melle meo* (ſic ipſe legit) bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici & bibite & inebriamini chariſſimi, advertit boni conſolatoris animarum expreſſa eſſe officia. Qui enim afflicti animam & non aures permulcere ſuo verbo ac remedio volet, oportet ut ei ſolidam doctrinam velut pa-
nem

(*b*) *Gloſſa ibi.* (*c*) *Job.* 16. v. 2. *alter textus.*
(*d*) *Cant.* 5. v. 1. *Ambroſ. ibi.*

em porrigat; dulcem item velut mel: liquidam ut vinum, ut lac innocentem. *Sæpe* enim inquit Glossa (e) *onerosi consolatores porrigunt verba consolatoria miseris, sed ut Jonathas mel in virga*: dulcia primâ specie, sed quia deceptoria, amara ut est pueris Virga, & ut fuit Jonathæ mel illud silvestre, quod ipsum ad amaram mortem trahebat. (f) Porrò SPES nobis nata scit, potest, vult, animas solari pane solidæ veritatis, melle dulcis affectionis, vino ut obliviscamur mala, lacte ut fulgeamus innocentia. Mater Obed nostri agens cum Booz, (g) *inveni* inquit *gratiam apud oculos tuos Domine mi.* Unde autem hoc patet: *qui consolatur es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ.* Quo loquendi modo innuitur vera & sincera ratio solatii, quæ animabus debet impendi, nempe si loquamur afflictis ad cor, non ad aures, ad cor, non in ventum. Ut enim inquit Incognitus: (h) quantumcunque pulchrè pictus, & vive expressus cibus, puta panis, galli, piscis, famelicum non satiat, quia Solis oculis ille accipitur editurque, sic quantumvis delicatis verbis proposita fuerit medicina ægræ animæ, si ad cor non transit, non sanat. Quis autem ad cor melius, & profundius, & sonantius loqui potest, quam Mater æterni verbi, & dulcissimæ primæque veritatis? S. Germanus Natam Spem suam ac nostram excipiens, (i) *salve* inquit *CORNU, in quo unguenti pigmentum.* Pulchra con-

(e) 1. *Reg.* 14. (f) 1 *Reg.* 14. v. 43. (g) *Ruth.* 2. v. 13. (h) *Incogn. in psal.* 41. (i) *German. orat. de natal. Vir.*

consolatricis animarum adumbratio. Vocavit eam hic Sanctus CORNU, quod nubes mæstitiæ, & nebulas luctus oberrantes animis potenter discutiat, & ventilet, imò & confodiat. Ego dicerem Virginem Spem nostram cornu Monocerotis. Ut enim in partibus Africanis gregatim animalia observant & seqvuntur Monocerotem, quando ipse aquatum vadit: eò quod cornu suó relicta â venenatis animalibus toxica purget & dissipet: sic Virgo tristitiæ nostræ causas tollit, quæ ordinariè solent esse admissa peccata. Dicta est præterea CORNU unguenti: ipsa enim fœtores nostros suorum unguentorum fragrantia obruit: ipsa debiles & trepidantes ungit ad luctam ut carni suæ instent, mundum contemnat sui filii. Ipsa consecrat ad regnum habet enim non lenticulum, sed immensum Cornu regalis olei in manu sua Demum ipsa est Cornu pigmenti: quia ipsa mala nostra in bona, & medicamenta convertit. Ut enim pigmentarius non qui colores, sed qui species medicinales vendit, serpentes & viperas, in medicas redigit ac temperat rationes, ut est inter alias theriaca: sic Virgo Spes nostra, de ruina nostra elicit robur standi, de venenis virtutes, de malis consuetudinibus, status vitæ ferventiores & meliores. (*k*) Recordor me ab uno fide digno Abbate audivisse, in quodam opulento regno nostri Monasterio disciplinam religiosam refrixisse, & consuetudinem SS. Virginem publicis quibusdam ritibus, colendi concidisse. Ergo

camp

(*k*) *Exemplum in Polonia recens.*

campi negare fruges, armenta & greges interire, diripi bona à malis vicinis, denique pax diurna & nocturna collabi. Nam horrendā Dæmonum Spectra, ejus loca & collas infestare cœperunt Quid facerent, pane, pace, possessionibus carentes? Omnes in luctu & lacrymis natare. Erat inter hos religiosos unus Sanctæ vitæ, & magnus Servus SPEI nostræ, is quadam die coram imagine B. Matris in oratione positus, cœpit suaviter quærere, lacrimis madens, unde tanta afflictionum seges succrevisset? cui, piissima, filii inquit, vestri, me reliquerunt, & Deus eos. Redite ad intermissa pietatis erga me officia, & ego ero vobis propitia. Reditum est ac tutum, & inversa ac læta stetit rerum facies. Ecce consolatrix animarum, quomodo novit loqui ad cor. Benè Seraphicus Doctor, Marianus cultor. (l) *Virgo est arcus fœderis divini, & reconciliationis nostræ cum Deo.* Ecce qualiter nubes ærumnarum discussit, pacem exactis dæmonibus reddidit, Deo homines reconciliavit, lites judiciarias, & prædatores bonorum extinxit. Protulit cornu, & confodi timens infernus, recessit: fudit unguenta & odor pietatis rediit, fecit pigmenta, & mala in bona, luctum in solatia vertit.

§. 6.

ENutrit Senectutem, Senectuti ferè undique malè est. (a) Affligit eam natura, sanguinem refrigrando & minuendo, humorum intemperiem molestam causando, tussibus asperis concutien-

(l) *Bonav. in psalt. quinqu.* 3. (m) *Ruth.* 4. 14.

cutiendo, corpus in arcum curuando, ſenſus hebetando, & anhelitum difficilem reddendo Poſt ſublatum quaſi ſignum belli à natura, contra Senectutem, quis ei non infeſtus? rejicit eam altare. Advertit doctus (*b*) Bachiarius, nusquam in ſacrificio animalia ſenio confecta offerri permiſſa eſſe, ſed agnum, vitulum, pullos columbarum. Cur autem? quia inquit *inveterata peccata non merentur veniam*, adde, facilè. Unde ipſe acutè & ſapienter inſtat in Cunctatorem Emendationis, (*c*) quid expectas inquit ut inimicus tuus, hoc eſt error peccati, efficiatur in te gigas? tacitè indicans, peccata à juventute in Senectutem producta, in horrendos excreſcere gigantes. Sic ſenectutem rejicit altare, & oppugnat Gigante. Rejccit ſenectutem militia & curia. *Lex Romana*, (*d*) fatur Seneca, *à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat.* Miſera & contempta Senectus, quo rejecta ibis? quem pulſa petes? Ecce Spes nata Virgo, tibi favebit. Dubitas verò? reſpice parentes ejus, quorum ſenium ſuſcepit infans gaudium. Reſpice mundi ævum, non naſcitur in ejus ſtante & vivida juventute, ſed in ruina occaſuque ſeculorum. Ergo de ſenibus in mundi ſenio nata, te enutriet. Quo cibo? S. Spei. Quispiam juventutem cum expreſſiſſet in habitu florido, in vultu vegeto, (*e*) cum Spica in manu, addidit

(*b*) *In Biblioth. PP. ep. ad Januarium* Bachiarius. (*c*) *Idem ubi ſupr.* (*d*) *Senec. l. de brevit. vitæ c. ult.* (*e*) *Emblema juventutis.*

addit epigraphe, Spe paſcor, alorque. Juvenis enim ſicut ſanguine ſic ſpe inquiunt ſapientes abundant: ſed & expectatione ſicut fortioris ætatis, ita melioris fortunæ nutriuntur & ſuſtentantur. E contra verò ſenes ſicut audaciæ, & ſanguinis, ſic defectum Spei inquit Doctor Angelicus patiuntur. Senes enim, ait Ariſtoteles ſunt difficilis Spei propter experientiam, (*f*) in quantum experientia facit exiſtimationem impoſſibilis, cœteroquin in re poſſibili, hoc eſt potentiam humanam non excedente. (g) Cæterùm mater S. Spei, novit & ſenes æternorum Spe enutrire, & ſanguine Chriſti, venas animarum ac conſequenter ſapientis audaciæ fervore replere. (*h*) Illi pangas: filii tui ſicut novellæ olivarum; novellæ autem oleæ, ſpes futuri olei. Filii autem Virginis, quanquam ad fractam naturæ ætatem pervenerint, conſtant animo, & miſericordias Domini circa ſe factas videntes, ex præteritis ſumunt animos de futuris. Ævi ſpiritualis gradus deſcribens Auguſtinus: (*i*) *infantia* inquit *noſtra ſit innocentia: pueritia ſit reverentia: adoleſcentia patientia: juventus virtus ſenium meritum.* Porrò qui ſub tutela Virginis latent, hæc omnia in ſua, ſenectute congregata vident. Si enim qui virtuti operam ab adoleſcentia ad limbum ætatis dederunt, dicere poſſunt quod ille apud Ælianum: (*k*) juventus mihi ut ver floridum, ſene-

 ctutem

(*f*) *S. Thom. l. 2. q. 40. ar. 2.* (*g*) *Ariſt. l. 2. Rhetor. c. 13.* (*h*) *Pſal. 127. v. 3.* (*i*) *Aug. de rudibus cathechiſandis.* (*k*) *Ælian. l. 2. var. hiſt. de Euripide.*

ctutem attulit, ut plenum fructibus autumnum,
quantò magis hoc in moribus suis expressum
vident, qui ver floridæ ætatis, Spei suæ, divinæ
Matri consecraverunt? Cleanthes aliquando fo-
diens puteos, auditus est increpationibus perso-
nare, (*l*) quæsitus autem ab Aristone quem in-
creparet, qui solus foderet? *me ipsum* inquit, *se-*
nem fossorem, qui canos habet, & mentem non ha-
bet. Qui verò tibi ô Spes nostra Virgo, tibi se
à juventute dedicavit, in exitu ævi sui & canos
habet & mentem habet. Quomodo mentem
non habet, quando te nutricem, te consolatri-
cem habet? Monitorem porrò & consolatorem
verum, (*m*) dixit Seneca advocatum bonæ men-
tis. Sollicita Noemi Obed Avia de nuru sua, *fi-*
lia inquit *mea, quæram tibi requiem, & providebo*
ut bene sit tibi. (*n*) Et verò providit illi, & re-
quiem invenit, sed temporalem Spes autem no-
stri seminis Virgo quas complectitur, & in sene-
ctute enutrit illos. & ipsa finita, eos requie o-
pulenta dignatur & ditat. Hortatur S. (*o*) Bo-
naventura totam Ecclesiam, lauda Jerusalem
Dominam. cujus gratia conservat muros tuos,
& pacem donat teminis tuis. Muri nostri me-
ritorum cumuli, hos Virgo nobis construit, quia
ad benè merendum loca, tempora, status, men-
tes disponit. Quod si eos nostra culpa evertat,
vel negligentia dilabi sinat, ipsa reparat. Nec
hac gratia contenta, terminum Vitæ nostræ se-
nium scilicet, in bona Spe enutrit, & post hunc,
ad

(*l*) *Diog. Laert.* (*m*) *Senec. ep.* 94. (*n*) *Ruth.* 3. v. 1. (*o*) *Bonav. in psalt. majore.*

ad alterum mortis terminum, benè disponit. Et hoc fortassis est, (p) quod ipsa dicatur regina in fimbriis aureis: sui enim cultores sunt pallium deauratum ejus Quid sunt autem boni senes in sancta pace morientes, nisi fimbriæ sicut naturæ, sic gratiæ ejus? Noëmi natum Obed narratur suscepisse, in sinu suo posuisse, & nutricis ac gerulæ officio functa esse. Nos verò fiducia implet, quia spes nostra Virgo, (q) sinu nos suo, ejectos de sinu Ecclesiæ & universæ terræ, accipiet, & gerulæ officio fungens, ac bajulæ, JESU suo ræpræsentabit, ac dulces ei offeret. Ubi legit vulgata filii tui sicut novellæ olivarum, (r) alter effert textus, filii tui sicut dactyli palmarum, quia palmarum, filii victores, quia dactyli, dulces. Ergo hortante S. Bonaventura *levemus corda nostra cum manibus ad illam, ut suam influentiam sentiamus.* (s) Influentiam lucis contra principes noctis, influentiam gratiæ & gloriæ, ut sedeamus cum principibus luminis gloriosi.

ARTICULUS III.

SPES NOSTRA ANNUNCIATA.

§. I.

QUando Angelus Virgini Beatæ dixit, (a) invenisti gratiam apud Deum, invenisti Spem mundi dixit. Gratia autem Dei,

(p) *Psal.* 44. v. 15. (q) *Ruth.* 4. 16. 17.
(r) *Psal.* 127. v. 3. *alter text.* (s) *Bonav. in psal. majore.* (a) *Luc.* 1. 30.

Spes mundi: Et verò non pro se tantum invenit Virgo gratiam Dei, sed pro totius mundi salute. Namque angelus ita locutus est, & hæc duo conjunxit, invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies JESUM. (b) Quid est autem JESUS, nisi Salus & spes mundi, prout cantu suo fatetur Ecclesia,

(c) *Tu splendor & lumen Patris, Tu Spes perennis omnium.*

Porrò sicut concepit sic Virgo peperit. JESUM SPEM mundi. An autem Spem non SPES concipit, non Spes parturit? & Spem mundi, non Spes mundi? Quare Bernardus ita affatur S. Matrem: (d) *per te accessum habeamus ad filium ô benedicta Inventrix Gratiæ genitrix vitæ, mater salutis.* Vides quomodo hic S. Doctor, inventricem Gratiæ, cum Matre salutis sive Spei conjunxerit? Nam ut dixi, gratiæ Dei, Spes mundi, fons salutis: & qui illam invenit, simul istas accipit. Quomodo & inter homines, qui invenit gratiam apud regem, invenit Spem & clavem, ad lætam Sortem. Nunc attende quis Inventorum cum Virginis inventione certare potest? Jubal organa, Tubalcain malleos, (e) Triptolemus aratrum, Ceres sationem frumentariam, (f) Pallas oleam, Nemrod venandi, Ninus bellandi artes invenêre, an autem SPEM MUNDI, (g) erexêre? an salutem ejusdem erexêre,

(b) *Luc.* 1. 30. (c) *Hymno in Vesp. natal. Domini.* (d) *Bern. ser. 2. de adv. Domin.*
(e) *Gen.* 4. 21. 22. (f) *Georg.* 1. (g) *Genes* 10. 9.

vexêre? Organa Jubal, (*h*) simul jubili simul fletus instrumenta: mallei Tubalcain, primò falces pacis, deinde belli lanceas extudére: Triptolemi aratra unum Sulcum terræ, alterum ejus colono impressêre; Ceres sevit panem, in pane simul temperantiæ venenum: Palladis olea, uni sanavit, alteri reseravit vulnera: Nemrodi ferrum à Lupis profecit ad homines: Ninus pro gloria bellare cœpit, & finivit in crudeli victoria. Itaque horum Inventorum insignia, simul Spei & non Spei, simul salutis & interitus fulsêre indicia. Virgo autem inventrix gratiæ, Mater salutis tota, genitrix Spei Sanctæ integra. Ipsa invenit organum recreandis, malleum conterendis cordibus; ipsa aratrum obstinationi emolliendæ, artem serendi panem vitæ, oleum vulneribus & regibus, Vænandi Deum modum, subjugandi gentes paci reperit vasa. (*i*) Jam verò Abel invenit quidem gratiam ut Virgo apud Deum, sed, sibi, non fratri? & Noë teste Ambrosio (*k*) pereunte mundo servatur quasi stirps incorrupta, ut novi mundi sit origo, & novorum hominum seminarium: Et vocetur sanè ille Spes, ad novi mundi, Satus, ad novorum hominum, qui tamen terram finesque naturæ non excedant. (*l*) Virgo autem prudentissimè à Geometra spes utriusque mundi nuncupata est, scilicet antiqui & novi. Novi, quia ipsa Christianos novum genus, regale Sacerdotium, ter-

(*h*) *Justin. l. 1. hist.* (*i*) *Gen. 4. 4.*
(*k*) *Ambr. de Noe & arca c. 4.* (*l*) *Joan. Geometr. de zona B. V.*

restres Angelos, Fortes justitiæ, gentem charitatis semper edit, & auget in cœlestibus: Antiqui autem: namque ipsa peperit illam Clavem, quæ cœli aperuit ac reclusit postem. Canat ergo illi meritò nostra supplex devotio, Salve SPES nostra.

§. 2.

DOgma est Angelici Doctoris, (*a*) duo esse objecta Spei, nimirum bonum expectatum, & divinum auxilium. Expectamus autem & desideramus inter bona, beatitudinem cœlestium tanquam primarium, & temporale bonum tanquam secundarium. Hæc doctrina est ad mentem utriusque Testamenti. Æstuans torrentissimo desiderii igne, exclamat rex: (*b*) *quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* hoc est, quid mihi est in cœlo suave, præter te, sine te, & tecum non volui quicquam in terra. (*c*) Langueo tui amore, deficio expectatione, tu Deus es petra cordis mei, tu portio mea æterna. Nec cœlum me potest sine te beatitudine implere, nec alia creatura. In te est totum quod volo, in te omnium desideriorum sagina: ego tamen quia te ut totum propter vasculum cordis mei angustum non capio, te ut mea adæquata & exsatiativa portione contentor. (*d*) Ut cordis mei nemo est creator præter te, sic ejusdem cordis mei nulla

(*a*) *l. 2. qu. 40. arti. 7. corp.* (*b*) *Psal. 72. 25.*
(*c*) *Genebr. ibi. Hebr. textus. Item hebr. text.*
(*d*) *Bellar. ibi. Valent. in ps. 72. v. 25. tu pars hæreditaria, tu Deus desiderii omnis ad Titum, 2.* 12. 13.

nulla alia creatura potest esse portio præter te. In te ut unum, ut primum beatitudinis meæ scopum, omnes desideriorum altissimæ & igneæ collimant tenduntque Sagittæ. Jam novi testamenti Magister hortatur *ut sobrie, & juste, & pie vivamus, in hoc seculo, expectantes beatam Spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri JESU Christi.* Quibus verbis ostendit Apostolus viam qua itur, terminum ad quem pervenitur, in beatitudine primaria. (*e*) Itur enim Sobrietatem sibi, pietatem Deo, justitiam proximo reddendo: (*f*) pervenitur autem ad beatam Spem, hoc est ad promissam à DEO, & speratam ab homine beatitudinem (*g*) Quæ tunc veniet, cum gloriosus DEUS judex adveniet, qui ut Salvator dat gratiam, ut æqui redditor, & cognitor causarum Supremus reddit gloriam. Sic igitur bonum expectatum beatitudinis cœlestis, objectum nostræ spei præsentatur. (*h*) Alterum autem inter spei objecta, divinum numeratur auxilium. Cum autem divinorum auxiliorum, quæ etiam actuales appellantur gratiæ, infinitus sit numerus, & mira specierum varietas, nomine divini auxilii hic intelligi illæ debent gratiæ, quæ ad consecutionem speratæ beatitudinis supernaturalis efficaciter influunt, quibus à vitiis & occasionibus peccatorum avocamur, & ad progressum in virtutibus excitamur. Dixit alicubi Augustinus, (*i*) *ad DEUM sine Deo perveni-*

(*e*) *Corn. à Lap. in c. 2. ad Titum.* (*f*) *Justinian. ibid.* (*g*) *Menoch. ibid.* (*h*) *l. 2. qu. 40. ar. 7. c.* (*i*) *August. serm. de monte.*

re non possumus. Quomodo autem ad Deum sine DEO pervenire non possumus? nimirum ad DEUM ut glorificatorem, sine Deo ut auxiliatorem. Qui ergo desiderat cum Helia ad montem Dei Oreb pervenire, (*k*) ibique Deo suo frui, oportet ut auxiliis ab eodem Deo suffectis tanquam Subcinericio & Angelico pane reficiatur, & solidetur, ne deficiat in grandi via. Hortatur animam suam Psaltes, (*l*) *Verumtamen Deo subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea: in Deo salutare meum, & gloria mea, DEUS auxilii mei, & Spes mea in Deo est.* (*m*) Ubi manifestum est prophetam loqui de Salute æterna, ut exponunt interpretes: dixerat enim prius de suis hostibus, (*n*) *pretium meum cogitaverunt repellere.* Qui sunt autem isti qui cogitaverunt pretium repellere? isti, qui pretium suum volentes perdiderunt, scilicet Angeli, (*o*) qui non servaverunt suum principatum, & honoribus æternis culpa sua exciderunt. Isti ergo invidia laborantes, omne pretium meum diripere, omne pretiosum & gloriosum à me auferre cogitaverunt: & manentes in obstinata nocendi ac me deprædandi voluntate, tumultuantur & fremunt, minantur & ringuntur, (*p*) & post tonitrua verborum, pluunt laqueos & pericula. At tu anima mea, ad Deum te recipe, illi te submitte, in illum intra, illo te circumcinge quasi inaccessa petra,

(*k*) 3. *Reg.* 19. (*l*) *Psal.* 61. *v.* 6. 7. 8.
(*m*) *Lorin. in psal.* 61. (*n*) *Psal.* 61. 4.
(*o*) *Bellarm. ibi. Judæ.* (*p*) *Genebr. ibid.*

petra, ibique late, & sile. (q) Quemadmodum Silet & conticescit viator ingressus rupem, qui grandes pretio lapides portat, & quærentium sese prædonum voces atque hortamenta audit. Opus est patientia pro cœlesti gloria: sed à Deo patientia mea: (r) hoc est patiens expectatio auxilii ac succursus: opus est ingenti spe pro summa re, sed spes mea in Deo est. Quoniam qui dedit legem, dabit & virtutum ac gratiarum legionem, quibus ego fultus & succinctus salutare meum hoc est liberationem à malis, & gloriam meam, quæ est summum & æternum bonum, obtinebo. (s) Non fixi ego in me fiduciam, sed neque in filiis hominum: quoniam qui in vano sperat, evanescit, & qui arundine se fulcit, illa fractâ ipse cadit. Petra roboris mei Deus est, (t) in ipso possum omnia, cum in ipso defixi mea desideria.

§. 3.

JAm verò Virgo Mater, Spei nostræ ut utrumque objectum illa respicit, præest atque opitulatur. Et inprimis ad bonum expectatum hæreditatis æternæ consequendum, vide quomodo concurrat. (a) Invenit illa gratiam quam cum cæteris divideret, & dividit auxilia Spei nostræ ministranda: concepit illa JESUM, hoc est Salvatorem cujus regni non erit finis: quare ipsa facta est mater nobis in salutem, in regnum æternum quod expectat beata Spes nostra. Si enim Sal-

(q) *Hebr. textus. Ps. 61. v. 5.* (r) *Bellar. ubi supr. Aug. in ps. 61.* (s) *Bellar. ibid.*
(t) *Hebr. tex. ps. 61. v. 7.* (a) *Luc. 1. 30.*

vator per ipſam venit ad nos, terræ colonis, certè ipſa etiam terræ colonos, ducere poterit ad regnum Salvatoris. (*b*) Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus vocavit eam *Pontem, per quem DEUS ad homines deſcendit.* Pontes ædificari vulgò ſolent in iis locis quæ aquis, aut luto, aut paludibus impediuntur, ut libera hominibus commeandi detur poteſtas. Aquæ ne verò eluviones, aut lutoſæ cœlum inter & terram intercedebant paludes, quia Virgo pontis vicem Deo deſcendenti obivit? (*c*) *Maledictum & mendacium, & homicidium inundaverunt ſuper terram*, inquit ejus luſtrator ante Domini adventum: quæ autem lacunæ cœnoſæ, quæ abysſi aquarum, iſti diluvio inundanti: ſuper terram, pares eſſe deformitate poſſunt? In ipſa gente Sancta, num Pontifices & Sacerdotes, num ſcribæ & Phariſæi, non exterius ſplendidi, intus lutoſi? in ipſa ſerie Genealogiæ Dominicæ, quis ſine macula? quanti vorago immunda? Vias amat homo pulchras; ſed & Dei viæ omnes pulchræ, omnes pacificæ, exiguntur. Cum iſtæ deeſſent, ædificavit DEUS, Pontifex futurus æternorum, MARIAM ſibi ſoli pontem, pontem fide ſolidum, Spe fortem, Charitate latiſſimum, puritate mundiſſimum, affectuum moderatione complanatiſſimum, paupertate cœlis contiguum, patientia Calvariæ vicinum, humilitate fundatisſimum, artificio gratiæ elaboratiſſimum, ſtupendis virtutum molibus ornatiſſimum, voto continentiæ omni homini clauſum.

(*b*) *Procl. orat. de Chriſt. Nativ.* (*c*) *Oſea.*

ſum. In hunc pontem quicquid pretioſi habuit contulit Abraham, Iſaac, Jacob: quicquid ſplendidi, congeſſit David, Ezechias, Joſaphat. Verùm ſi poterat pons iſte ſufficere deſcendenti Deo de cœlis, an par eſſe non poterit omni homini aſcendere conanti in cœlos? Deſcribens mellitus Doctor, pontem Ecelefiæ, Eugenium Pontificem, (*d*) *pertingit* inquit *pons iſte uſque ad DEUM ea fiducia, qua non ſuam ſed ejus gloriam quærit. Pertingit uſque ad proximum, ea pietate, qua non ſibi, ſed ipſi placere deſiderat.* Quod ſi pons Eccleſiæ, omnem proximum, vehit ad altiſſimum, ejusque bono expectationis æternæ ſervit, quantò amplius pons Incarnati verbi MARIA? Applico aurem cordis, hymno Orientis, & condelector plurimum, tu reſonat ille, (*e*) *ô MARIA pons es Sacer, traducens de morte ad vitam, de terra in cœlos.* Et quid amplius egemus teſtibus? niſi forte teſtem in excelſo inſuper attendamus, DEUM verbum: qui ſicut ideò deſcendit de cœlo, ut nobis ſe ſterneret, pontem & viam, ad vitam & veritatem, ita quam fecit & invenit in terris ſuum pontem, iis omnibus quotquot præordinavit ad vitam communem dignatus eſt relinquere & offerre pontem? Vidi picturam, (*f*) in qua exhibebatur mundus in ſpecie unius rapidi & cœnoſi fluvii, in quo alii cingulo tenus, alii collo tenus, alii totis ſubmerſi ſo-

(*d*) *Bern. ad Eugen. tract. de morib. & offic. Prælat. c. 3.* (*e*) *Hymnus Græc.* (*f*) *Cracov. in in Sacello Congr. B. V. ſeculiarium.*

si sola manu de aquis exporrecta, extabant, a-lios sola tantum crux de aquis eminens, indi-cabat vivere. Qua imagine inæqualitas pecca-torum signabatur, quorum alii gemunt sub lu-to libidinis sine cingulo castitatis. alii ibidem, sed tamen orant aliquando, manu operantur ali-quando, & capite, hoc est cogitatione & deside-rio patent cœlo: Qui autem collo tenus mer-guntur, prioribus impuriores & sceleratiores, o-ratione sola aliquomodo eminent, & jejunio, cu-jus virtute, sicut cibos vetitos ita tentationes graviores abigunt. Qui autem una tantum ma-nu de fluvio eminent, prioribus sceleratiores, sola elemosinâ hominem ostendunt. Denique quos totos aquis haustos, sola crux prodit; si-gnificat sceleratissimos, utpote qui omnia me-dia salutis, à manu misericordiam, ab ore jeju-nium, à capite bona desideria, à lumbis conti-nentiam depulerunt, sola autem externa crucis professione, se Christianos restare, ostendunt. Quid ergo? istisne omnis spes vitæ & salutis amputata est ac præcisa? Nequaquam: ad pon-tem ad pontem Dei redite peccatores: elevate vos de scelerum aquis: incipite natatu frangere & vobis subigere, mundi fluxum, carnis cœnum, & præcinente, Seraphico, tollite voces in sidera, (g) *ave Virgo Spes humana preme ventos, fluctus plana: ut evictis mundi undis, emergamus de pro-fundis.*

§. 4. Neque

(g) *Bonav. in psal. B. V. min. quinq.* 3.

§. 4.

NEque minus efficax ſentitur Virgo in auxiliis gratiæ ad conſecutionem boni ſummi expectati, conciliandis. Spei divinæ geminum eſt officium, alterum eſt portare & ſuſtentare patientiam humanam, ne excidat à propoſito boni ac virtutis, alterum eſt ut provehat in melius, & ad incrementa honeſti opituletur. Pulchrè de primo Ambroſius, (*h*) *ſi Spem auferas, non poteſt perpetua eſſe patientia*, nam patientiæ radix Spes eſt. Aufer radicem arbori, quid in illa ſubſiſtet, quid frondes & brachia ſuſtinebit? aufer Spem animo, quo Vigore erecta ſtabit patientia? Jam quoties Pſaltes Spei divinæ dat alas? Solatur juſtum in protectione Dei cœli latentem, & pellicetur, (*i*) ſub pennis ejus ſperabis. Et ipſe de ſe, in velamento alarum tuarum exultabo, alii legunt ſperabo, vel expectabo. Quid autem faciunt alæ iſtæ? reſpondet Genebrardus, (*k*) *ſub alis ejus confidenter ages*: explicat Bellarminus: *ſecurus à miluo ſub alis omnipotentis aquilæ latebo.* Tantumné verò? addunt alii, alæ, me auxiliatricis aquilæ ut pullum ſurſum portabunt. Hujusmodi porrò Spei dona & auxilia miniſtrat famulis ſuis Virgo, patientiam nimirum eorum, expectatione ſempiternorum ſuſtentans bonorum; & de Virtute in virtutem altius aſcendendi ſpiritus generoſos quaſi pennas alasque ſufficiens. Mulier illa fortis dicitur (*l*) *quæſiviſſe lanam*

(*h*) *Ambr. in pſ.* 118. (*i*) *Pſal.* 90. 6. 5.
(*k*) *Genebr. in pſ.* 90. *Bellar. ibid. Lorin. ibid.*
(*l*) *Prov.* 31. 13. *Liran. ibi.*

lanam & linum, & operata consilio manuum suarum. Nomine Lini mundi, intelliguntur, justi electi, sicut nomine lini crudi signantur ad damnationem præsciti. Lino, ut evadat mundum, tolerandum est multum; maceratur aquis, castigatur pectinibus, torquetur digitis, ligatur in textrino, & varia politur arte, donec tandem intimam cum corpore humano accipiat unionem. Lana enim quantumvis purpurea, quantumvis auro & argento intertexta, regio corpori proximè non adiacet. Sic & justi nunc per gratiam, deinde per gloriam adhærent, (*m*) ut unus Spiritus cum Deo, at prius exercentur patientiâ, unde & multæ tribulationes justorum. Quid autem mulier fortis MARIA? lanum tractat, & in patientiæ laboribus depositum, consilio, & manu adiuvat, nimirum quia ipsa intercedendo suorum patientiam firmat, & exemplis suæ tolerantiæ & Christi recreat, reficitque (*n*) Dicunt Itali pauperem miserabilem describentes brevibus crudo & nudo. Ita non semel suggerit virgo suis, fer animosè vexationem Domini, ne inveniaris alibi, & relinquaris, crudus & nudus. (*o*) Visa est aliquando virgo animam carnis exuviis liberam, sed igneo carceri adiudicatam in sinu fovere, & succis asperis ignes purgatorios temperare & mitigare. Qvid autem hoc erat? nisi quia linum suum ut mundum evaderet, patientiæ vitalibus succis imbuebat. Quod si in seculo altero, patientiæ su-

(*m*) 1. *Cor.* 6. 17. (*n*) *Italicum Proverb.*
(*o*) *Mart. Rho. de statu animæ post mortem.*

ſuorum advigilat virgo, quantò amplius in præſenti ſeculo? Nam in ſeculo altero uritur qvidem electum linum ſed Dei igne. qui dolorem imprimit, ſed ſordes abſtergit, & Dei vultu, quo ſatiabitur mundum, dulciter ſolatur. Linum autem in hoc ſeculo, patitur inflammationem, tolerat incendium: nunc libidinis & avaritiæ, nunc invidiæ, & variæ cupiditatis, & ſæpiſſimè denigratur deformiter, rejicitur à Dei unione, & gratioſo ejus vultu privari meretur. (p) Non eſt virgo de genere Amalec, qui ut eſt in libris regum, ſuis valentibus & ſanis, utuntur ad negotia, eos autem ægritudine laborantes, quaſi marcidos floſculos relinqvunt, & lacerandos motibus amaræ impatientiæ proſtituunt. (q) Adeſt illa ut amici Job, & patientiæ ſolatia porrigit, quomodo non amici Job, (r) unde & nuncupati ſunt oneroſi, ſive degravantes conſolatores. Virgo autem adeſt feſſis adeſt laborantibus ſub faſce negotiorum & dolorum, eorumque fortitudinem fideli ſolatio vegetat. Hinc Damaſcenus, (s) *tu ſola nobis in terra conſolatio relicta es, & te vivente ſimul vivere, & te moriente ſimul mori beatum eſt.* Nos dicamus: *tu ſola poſt Deum nobis, conſolatio relicta* es, & te patiente, compati quoque, & te in tribulationibus exultante, item exultare, beatum eſt. Salve igitur Patientiæ noſtræ Spes, & ſolatium.

§. 5. In

(p) 1. *Reg.* 30. 14. (q) *Job.* 2. 11.
(r) *Job.* (s) *Damaſc. Orat.* 2. *de aſſumpt.*

§. 5.

IN fuga mali addit mortalibus timor alas: (*a*) in studio autem boni & virtutum addit item, Spes alas. Clara est prophetia: *deficient pueri & laborabunt, & juvenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* An autem Dei quoque suis clientibus mutat fortitudinem mater? an pennas Aquilarum ut eant de viriute in virtutem ut explicuit B. Jeronimus applicat & confert? (*b*) Mulieri illi Apocalipticæ quâ significata est Ecclesia, & consequenter dignissima & prima pars Ecclesiæ Virgo, (*c*) datæ sunt alæ Aquilinæ, ut volaret in desertum. Num verò Virgo pro se tantum accepit alas ut Draconi sese subducat, & non etiam ut eas filiis suis quos Spiritu parit, dividat atque impartiat? Certè Rebecca (*d*) ut eveheret sortem Jacobi supra sortem Esau, pelles hædinas manibus ejus circumdedit, collo aptavit, sine quibus, non ille splendidam primogenituræ portionem rapuisset; Virgone suis desit in necessariis, sine quibus non temporalis quæ expirat, sed cœlestis quæ æternat, obtineri nequit hæreditas? Dat igitur & expandit suæ, maternæ protectionis alas. Sciebat cui preces suas prosterneret, & crederet necessitates Seraphicus Doctor, (*e*) unde

(*a*) *Æneid.* 8. *de Caco Isai.* 40. 30. 31.
(*b*) *Hieron. lib* 11. *in Isai* (*c*) *Apoc.* 12. 14.
(*d*) *Gen.* 27 15. (*e*) *Bonav. in psalter. B. V. magno, versu.* 53.

unde dixit *Domina in nomine tuo Salvum me fac, ut non noceat mihi calliditas inimici, ſub umbra alarum tuarum protege me.* Audiamus quid ipſa apud alterum ſui amatorem loquatur. (*f*) *Ecce ego ſto inter cœlum & terram, inter Deum & peccatorem, & ne mundus iſte pereat, precibus meis obtineo.* Cogita hic ſtudioſe Virginis cultor, ſi tanta Virgini cura & vigilantia incumbit, ne mundus pereat, qui tamen ſæpe contra ipſam eſt, quomodo non amplius inter cœlum & terram Virgo ſe interponit, & vigilem agit cuſtodem, ne vernula ſuus pereat? (*g*) Viſus eſt aliquoties M. Antonio Sathanas in vaſti forma gigantis, qui capite nubes, brachiis autem extentis terrarum fines contingeret & medius inter cœlum & terram conſiſtens, animas inſtar volucrum ad cœlum ſubvolantes & conantes, decuteret. Virgo autem inter cœlum & terram ſtat item media, ut animas Viribus defectas ſuis favoribus quaſi alis exceptas, provehat in altitudines ſempiternas. S. Hieronymus locum Iſaiæ præcitatum de alis aquilarum expendens, (*h*) ait, quemadmodum aquilarum ſenectus revireſcit mutatione pennarum: ita ſanctos repuelaſcere, & aſſumpto immortali corpore laborem, non ſentire mortalium, ſed rapi in nubibus obviam Chriſto. Quomodo verò ſancti repueraſcunt non alis ſed animis? utique vel maximè, Spe reſurrectionis, & retributione Dei judicis animati. Sic & Virgo, quanquam infinitis aliis

(*f*) *Kempis. ſolil. c.* 24. (*g*) *Athan. in vita S. Anton. M.* (*h*) *Hieron. l.* 11. *in Iſai.*

aliis modis & rationibus, ſingillatim tamen reſurrectionis venturæ gloria, Spes & labores ſuorum ſuſtentat. Nec mirare, ipſa hoc medio uſa ſuper Martyres & Apoſtolos evolavit ſublimitate patientisſimæ ſanctitatis. Da aurem mellito Patri, (*i*) qui loquens de Virginis ſub cruce ſtantis conſtantia, non deſperabat inquit, ſed piè ac juſtè dolebat, ſperans firmiter, fortiterque tenens ipſum, ſecundum promiſſum ſuum, tertia die reſurrecturum. Surrexerunt filii, (*k*) & beatiſſimam prædicaverunt mulierem fortem. Vir ejus & laudavit eam. (*l*) S. Auguſtinus hæc verba intelligit de reſurrectione juſtorum in die noviſſima: quando inquit ſurrexerunt filii ejus & ditati ſunt, tunc attendit eam, inſpexit eam, & laudavit eam. Laudavit inquam eam in reſurrectione, videns eam in tanta multitudine filiorum divitem, in reſurrectione juſtorum. Sic ille. Nec minus ipſi filii ubi ſurrexerunt laudaverunt eam, quia poſt DEUM per ipſam ad reſurrectionis gloriam ſunt provecti, (*m*) & de vermiculis mortalitatis, in phœnices & Aquilas renati, medullam cedri, felicitatem divinitatis rapuerunt.

§. 6.

DOctrina S. Thomæ eſt, (*a*) poteſt homini aliquid eſſe cauſa Spei dupliciter ut loquitur ille: vel quod facit aliquid homini poſſibile, vel quia facit eum exiſtimare aliquid eſſe poſſibile. Primo modo eſt cauſa Spei, omne illud quod auget poteſtatem, ſecundo autem modo illud

(*i*) *Bern. de lament. Virg.* (*k*) *Prov.* 31. 28.
(*l*) *Aug. apud Salas. in c.* 31. *Prover. num.* 170.
(*m*) *Ezech.* 17. 3. (*a*) 12. *qu.* 40. *ar.* 5. *corp*

est causa Spei, quod facit alicui existimationem, quod aliquid sibi sit possibile. Sic ille. Et rectè. Duplex enim est impossibilitas quæ se spei opponit, eamque pessumdat: altera in reipsa, altera non in re, sed in nostra existimatione. (b) Cinxerant Elisæum Syri armati, quibus ut resisteret ille solus, in re fuit impossibile: accessit autem illi præsidium Angelicum, & de impossibili. factum est possibile ad resistendum Syris. Porrò cùm impossibilitas ad vincendos hostes Elisæi, per Angelos jam esset in rei veritate amota, in Giezi altera remansit impossibilitas, secundum ejus existimationem, qui se & Elisæum solos videbat, & Angelos defensores non videbat. Oravit autem Elisæus, & Angelorum qui latebat, Giezi apparuit Exercitus, & sic pulsa est altera impossibilitas, non secundum rem, sed secundum existimationem Giezi. Porro in negotio nostræ salutis similiter gemina obnititur impossibilitas spei, altera secundum ipsam rei Veritatem, ut si quis manens in consuetudine culpæ & neglectu pœnitentiæ, malè de sua æternitate, ut debet, crederet & ominaretur. Altera secundum apparentiam opinionis humanæ, ut si quis nullius sibi conscius gravis culpæ, & paratus omni divinæ Voluntati subesse, tamen turbidus scrupulis, & erratico confusus judicio, titubaret in Spei firmo. Virgo autem spes nostra, utroque modo valet esse causa spei certæ & divinæ nostræ. Concludens Archangelus orationem suam, qua probabat, ut quod naturæ omni, & factu

(b) 4. *Reg*, 6,

factu & intellectu fuit impossibile, evadat possi-
bile, nempe ut virgo salvo suo flore, & partum,
& DEUM partum proferat, sic ait: *non erit im-
possibile apud DEUM omne Verbum*: scilicet ut ex-
planat Toletus (*c*) quanquam natura hunc par-
tum efficere non potest, efficiet tamen is, apud
quem nihil est impossibile: sive cujus promis-
sio est veritas, & dicere, facere. Cæterum, qui
fecit Virginem salvo Virginitatis signaculo Ma-
trem suam, & removit id quod erat impossibile,
is eandem elevavit, ut esset instrumentum effi-
cax generale ad id omne, quod est, aut vide-
tur homini impossibile. (*d*) Advertunt docti,
olim apud Judæos, ad exprimendum impossibi-
le aliquid, viguisse hujusmodi proverbium, quis
ascendet in cœlum, aut quis descendet in abissum?
Ortum autem, habuit hoc proverbium ex ore
Moisis, qui legem suam commendans ut possibi-
lem, *mandatum* inquit *quod ego præcipio tibi hodie,
non est in Cœlo situm, ut possis dicere quis nostrum va-
let ad cœlum ascendere*? Hoc autem proverbium
repetit & auxit Apostolus, (*e*) ne dixeris quis as-
cendet in cœlum? id est Christum deducere &c.
Quæ ergo patuit ascendere in cœlum, & dedu-
cere inde Christum, quod impossibilium maxi-
mum censum fuit, quomodo non in omnes im-
possibilium humanitus legiones ut sic dicam, im-
perium de Dei voluntate ac gratia accepit? Ubi
vulgata legit (*f*) *jacta cogitatum tuum super Domi-
num*,

(*c*) *Tolet. in c.* 1. *Luc. annot.* III. (*d*) *Corn. a Lap. in ep. Rom. c.* 10. *Tolet. ibid. Deut.* 30. 11
(*e*) *Roman.* 10. 6. (*f*) *Psal.* 54. 23. *Vide Lor. ibi*

um, alij efferunt *jacta spem, aut expectationem tu-*
am super Dominum. Ubi Augustinus, (g) *portum*
quæro non saxum. Nos ibidem dicamus, jacta
spem tuam super Dominam, & invenies portum
non saxum. Ut nautæ, petentes portum impos-
sibilem sibi reddunt portum dum impingunt in
saxum, & accipiunt inimicum fretum: ita sæpe
qui sine MARIÆ adjutorio quærit cœli portum,
invenit inferorum saxum. At Virgo inter ipsa
media impossibilium, & periculorum saxa, dum
se clientibus adjungit, portum efficit, & possi-
bile de impossibili reddit. Ego certè Virginem
saxum dixero & portum: saxum, quod impos-
sibilia frangit, portum qui afflictos excipit, &
securitate donat. Margarita Montis (h) Ferra-
ti Marchionissa, fidelis Deiparæ famula, acutis-
simis podagræ doloribus laborabat, quibus ut
sufficeret, non credebat se esse parem. Orat
ergo Virginem, ut rosa mystica spinas de pedi-
bus suis, seu satius rubum ardentem evelleret:
At illa benignè apparens: porta crucem filia,
sic mei nati voluntas est, & mea, usque ad sum-
mam lucem. Res mira, Virginis simulachrum
ab oculis recessit, ipsa autem in corde Margari-
tæ suæ se clausit, quo factum est, ut rubum ar-
dentem quidem ferret, sed eum Urentem non
sentiret, sed & dolores, quos antea fugiebat, a-
maret. Ecce isti impossibile Virgo fecit possi-
bile, & in saxo, fregit saxa, & in saxo fecit por-
tum.

(g) *Aug. in ps. 54* (h) *In chron. S. Dominici ad ann. 1284.*

tum. Similis (*i*) Virgo illi petræ Ægypticæ, quæ fugientem S. Barbaram à facie gladii paterni, disclusis visceribus ut mater Virginem excepit, & furori patris eripuit. Quot enim invenies, qui à facie persecutoris jam jam devorandi, in Virgine, ubi tuto laterent certum præsidium ac refugium invenerunt? orandum sæpe cum Psalte Parthenio: (*k*) *arundo agitata sum in conspectu tuo, tene me Domina sub jugo tuo, & non confundar.* Servientes tibi plus aliis, invadunt Dracones inferni, sed tu Domina defende nos.

§. 7.

CUm vir quidam Uxorem, (*a*) equæ figuram habentem ad S. Macarium adduxisset, & eam in equam conversam coram Sancto ploraret, dixit ille: Vos equinos oculos habetis, qui in hac muliere equam videtis, mulierem non videtis. (*b*) Nescio verò an equinos vel asininos multi habent oculos, qui ubi non est timendum, trepidant: ubi trepidandum, periculum non vident, ubi spe audendum, timore tabescunt, & pereunt. Non dormit Diabolus, cum non potest veris hominem cruciare tormentis, inanibus spectris, apparentibus umbris, opinatis exercet terriculamentis, & fingit impossibilia, & figit in mente perturbata incredibilia. Possibile

(*i*) *Sur. 4. Decemb. in Vita S. Barb. V. & M.*
(*k*) *Bonav. in psalt. B. V. magno. Ver. 126.*
(*a*) *Rosueid. in Vitis PP. libr. 8. cap. 19. & 20.*
(*b*) *Ruffin. l. 2. c. 28. in Vita Macar. Ægiptii.*

bile eſt aliis, omnis generis & ſtatus, caſtè vivere, eleemoſinam largiri, jejuniis parere, dies feſtos revereri, conſcientiam in ſecreto Tribunali aperire, & tamen non paucis intrans Diabolus in oculos, pervertit oculos, & facit apparere ac videri impoſſibile. Iſtis inclamandum eſt illud Auguſtini, (c) *tu non potes quod iſti & iſtæ?* Nihilominus ſi & iſti ad Spem noſtram confugiant Dei parentem, ereptis ſibi ſerpentinis oculis, videbunt columbinis eſſe poſſibile. Habet enim Virgo remedium, quod cum benigne applicat, fortiter de omni errore explicat. Plorat Iſaias, (d) ſe *Virum polluta labia habentem*, & ecce de faſtigio templi devolat Seraphin, adfert vivum carbonem, ſive carbunculum ardentem, & tangit eo labia prophetæ, (e) & purgat. Sed tamen hunc divinum carbonem, peccata expiantem, & lucis divinæ radios evibrantem non ipſe tenet, ſed forceps. Carbunculus iſte conſenſu interpretum Chriſtus eſt, lucidus divinitate, gravis humanitate: forceps autem bajula carbunculi Virgo Mater. (f) Vides ante orbum Virginis potentiam Virginis, non Seraphin tenet purgatorium ignem, ſed forceps altaris MARIA. Hunc cui illa vult applicat, & cum applicat errores & tenebras diſpellit, & ſani judicii lucem impertit. Pulchrè illa fatur apud Kem-

(c) *Aug. l. confeſſ.* (d) *Iſai. 6. 5.* (e) *Iſai. 6. 6. Hier. l. 3. in Iſ. Hieron. lib. 3. in Iſ., Corn. à Lap. in c. 6. Iſai.* (e) *Andr. Cret. orat. 1. de dormit. B. V.* (f) *Anaſt. ſinait. l. 8. hexam.*

Kempenſem: (g) *qui ſunt qui volunt nocere tibi? fili, ego pro te videbo.* Q. d. tu ſæpe vanis confuſus imaginibus, & timoribus perturbatus, quid ſolidi boni ſit, quid veri mali non vides. Ego prō te videbo, & tibi providebo, cum carbunculum meum tibi applicabo, B. Apoſtolus poſtquam ſpem vocavit anchoram adjunxit, incedentem ad interiora velaminis (h) ubi nomine ſpei Chriſtum intelligit qui nunc nobis anchoræ vicem obit dum in ſalo mortalis vitæ navi clamur. Iſta eſt anchora quæ ingreditur interiora non ſolum velaminis hoc eſt ſanctuarii cæleſtis, ſed etiam velaminis cordis noſtri. (i) Et hanc anthoram virgo cui vult jacit, juxta illud ſpes eſt in manibus condita noſtra tuis: Ipſa cui vult interiora ſanctuarii cœleſtis dividit & pateſcunt: Ipſa omnipetenti interiora velaminis cordialis diripit, & concerptis velamentis oſtendit purum verum. Paulo ante nominatus Thomas de gratia Dei dixit (k) quid eſt impoſſibile ea aſſiſtente & juvante? Quid item eſt impoſſibile, MARIA aſſiſtente & juvante? Siquidem ipſa eſt inventrix & mater omnis gratiæ.

ARTICULUS IV.

SPES NOSTRA VISITANS.

§. I.

MEmini me in Angelico legiſſe Magiſtro, (a) ſpem ſupra deſiderium addere quendam conatum,

(g) *Thom. a Kemp. ſolil 24.* (h) *Hebr. 6. 19. Juſtin. ibi.* (i) *Menoch ibid.* (k) *Kemp. ſolil. 23.* (a) *12. qu. 25. ar. 1. corpor.*

natum, & quandam elevationem animi ad consequendum bonum arduum. *Sicut timor*, inquit idem, *supra fugam & abominationem mali, addit similiter depressionem animi, propter difficultatem mali.* Sic ille. Ergo sicuti timor deprimit, & projicit, ita Spes elevat & sustentat mentem in ascensu, ac conatu ad bonum arduum. Quod ipsum Aurei oris sensit Pater, Spes inquiens, (*b*) est catena aurea & firma, qua de cœlo propensa subducimus animas nostras. quæ deinde ad illud cœli fastigium retracta & reducta, eos qui illam manibus fortiter tenent evellit & rapit supra fluctus præsentis Vitæ omnium longè periculosissimos. Quam catenam si amittimus, delabimur ad extrema malorum. Porrò Abbas clarevallensis de Virgine matre ad suos dixit, (*c*) *filioli mei, hæc peccatorum scala, hæc maxima mea fiducia, hæc tota ratio Spei meæ.* Quid est autem, quod S hic Doctor, agens de Virgine, scalam cum fiducia ac Spe conjunxit? quidnam similitudinis scalam inter & spem intercedit? Scala tenet ac sustentat eum qui ascensu suo in altum nititur, & ne deprimatur atque elidatur, elevat grave corpus, elevatumque detinet. (*d*) non aliter fiducia boni, mentem ut vidimus ex Patribus in sublime trahit, (*e*) & in excelso & arduo conservat, donec ad summum intentæ ac desideratæ fælicitatis veniatur. Ac porrò quem-

(*b*) *Chrisost. apud Salas. in c. 25. prov. n. 94.*
(*c*) *Bern. serm. de aquæ ductu.* (*d*) *S. Thom. ubi supra.* (*e*) *Chrisost. ubi supr.*

admodum alias, sic Elisaceth visitans & Joannem Sanctificans, scala peccatorum, & ratio Spei habenda sit Virgo? nunc restat dispicere, modò prius humili corde & voce illi concinuerimus, Salve spes nostra, cognatos tuos VISITANS.

§. 2.

ADmirabilem quandam prædicens Propheta (a) visitationem quam ipse DEUS facturus erat, promittit omnia in melius commutanda, & aurea secula post ferrea, revocanda. Illustris est textus, & nobilissimus Scripturæ locus. *Ego* (inquit DEUS *Dominus salvans te, pro ære adferam aurum, & pro ferro adferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.* Ecce rivi aurei seculi, Et pergit. (b) *Et ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos* (70, & Hyeronimus extulerunt, *Episcopos*;) *justitiam.* Ubi clarum est, DEUM loqui de visitatione, quam ipse facturus erat, visitans nos ut oriens ex alto: (c) tunc enim, ut bene Hyeronimus loquitur, in instauratione spiritualis Hierusalem ligna vertentur in æs, & lapides mutabuntur in ferrum: id est bruti quondam & insensibiles homines in eas mutabuntur materias, quæ aliquam utilitatem adferunt. Ipsumque ferrum & æs, per augmenta virtutum in aurum argentumque mutabuntur, ut nequaquam utilitatis speciem, sed precium

(a) *Isai.* 60. v. 16. 17. (b) *Isai.* 60. 17. 70. *versio. Hieron. libr.* 13. *in Isai.* (c) *Luc.* 1. 78. *Hier. ubi supra.*

precium quòque habeant ac decorem. Nec hic Dei visitantis in carne sistet bonitas, sed constituta sua, pro synagoga labente, Ecclesia, relinquet & substituet pro se vigilantes vicarios. & quasi oculos in bonum gregis excubantes, ut non audiatur amplius, belli tumultus, sed dilectæ pacis silentium à visitatoribus custodiatur. Tunc tui magistratus & Episcopi tanti erunt & præerunt tibi justitia & sanctitate, ut cogaris eos, non justos & sanctos, sed ipsam justitiam. ipsam Sanctitatem nuncupare. Tunc insuper Spe & securitate immunitatis ab omni periculo clauderis, & ad hinniendum Deo tuo eucharisticum carmèn provocaberis. Nam (*d*) *occupabit Salus* (hoc est ipse Salvator) *muros tuos: & portas tuas laudatio.* Porrò deinde adveniet altera in fine seculi visitatio, de qua vertex Apostolorum, *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*, hoc est, ut vos in occasu mundi, cum surrexerit seculum (*e* judicare per ignem, non depressos perdat. sed in nubem raptos salvet. Bellarminus illa psalmi verba ponderans, (*f*) *intendens ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*: Veniet inquit, aliquando magna illa visitatio omnium gentium, in qua reddent omnes Deo summo judici rationem factorum suorum, & tunc Deus, nullius impii miserebitur, sed omnes malos malè perdet. Tunc autem non adferet, sed quæret & scruta-

(*d*) *Isai.* 60. 18. *secundum textum Hebr. Hieron. l.* 17. *in Isai.* (*e*) 1. *Petr.* 5. v. 6.
(*f*) *Psal* 60. v. 6. *Bellar. ibi.*

ſcrutabitur omnes, an ſint aurum: (g) quod ſi non inveniet, ferrum in lignum, lignum in focum vertet, & excluſos de ſua civitate, ut canes famem patientes, facite circuire, & amarum vlulare, quando boni ſuorum operum concluſi muro, ſecuri de præterito & futuro portas cordium & linguarum in laudem laxabunt ſui Salvatoris. Nunc vide, an prima illa & dulcis, ac bonæ Spei plena deſcripta viſitatio, Joannem per Virginis præſentiam & efficaciam non comprehenderit. (h) Num enim Salus muros Joannis non occupavit, quando ad Virginis vocem, & nati ſui virtutem, peccatum fugit, juſtitia autem arcem Joannis occupavit? Num portas ejus laudatio non implevit, lætitia non concusſit, quando ipſe exiliit, mater autum ſaltu ejus admonita, oſtia labiorum ſuorum, in laudes inclitas MARIÆ ſoluit atque aperuit: Tunc item impletum eſt: (i) *non audietur ultra iniquitas in terra tua, & vaſtitas & contritio in terminis tuis.* Nam Joannes ſimul gratiam ſimul confirmationem in gratia accepit, ut amplius peccare graviter non potuerit, nec juſtitiæ ſuæ fines vaſtare & convellere terminos. Tunc & ferrum, & æs quodcunque in anima ejus fuit fugit, & quicquid in eo reſtabat, ut aurum fulgebat, Unde etiam non juſti tantum ſed juſtitiæ ipſius, nec pacati aut pacifici, ſed ipſius pacis nomen ferre promeruit.

§. 3. Nunc

(g) 1. *Cor.* 3. 12. *Pſal.* (h) *Iſai.* 60. 17. (i) *Iſai.* 60, 18.

§. 3.

NUnc enimverò attende, qualiter DEUS in carne plebem suam visitans, non à justo, sed à peccatore cœperit & inchoarit: planè ut adventu suo quasi vocalissimo clamore orbem concusserit atque excitàrit, (k) *non veni vocare justos sed peccatores.* Verùm & illud considera, quomodo ad primi justificationem peccatoris, non sit alio, quam Matris suæ præsentia, usus instrumento. Nunquid enim non poterat se solo, aut consortio usus alieno Joannis muros ut SALUS occupare? Potuit, noluit, matrem præ omnibus elegit. Sic autem supra pinnaculum Ecclesiæ toto orbe diffusæ, signum & vexillum bonæ Spei, certæ scalæ in cœlum, fixit atque erexit. Incumbit nobis cum Bernardo clamare, (l) hæc peccatorum scala, hæc maxima mea fiducia, hæc tota ratio Spei meæ. Sed fortasse audita peccatorum scala, dubitare cœpisti de vera salutis fiducia. Constat enim fæminam, scalam peccatorum ab origine mundi, à sanctitate usque paradisi esse cœpisse. Quare ipsa Septumo dicta est (m) *janua Diaboli* quæ imaginem Dei hominem elisit; aliis vocata est ruina mundi, aliis gradus ad mortem, scala ad inferos, Sapienti Hebræo, decensus Auerni. Sic enim ille: viæ inferi, domus ejus, penetrantes in interiora mortis. Hoc est, in mulieris domum descendere, & cum ea vias Leviathan tortuosas decurrere,

 non

(k) *Matth. 9. 13.* (l) *Bern. serm. de aquæ ductu.* (m) *Tertul. de mulier. habitu, initio Cypr. de cler. connu. Prov. 7. 27.*

non solum est ad mortis regionem, (n) sed in profundum ejus delabi, unde non redeunt nisi quos specialiter revocârit Deus. Ubi morantes prius filii, deinde Patres, tandem Domini creantur DIFFIDENTIÆ. Nec reputes hæc solum convenire mulieri illi, quæ pudorem de fronte detersit, S. Gregorius (o) Jobi uxorem, apellavit Diaboli scalam. Audi acutum Sanctum. *B. virum* inquit ille, *quasi in quadam virtutum arce stare vidit, cor igitur mulieris tenuit, & quasi scalam qua ad cor viri ascendere potuisset, invenit.* Et addit (p) *deinde, occupavit Diabolus animam conjugis, scalam mariti.* Et merito Jobo sua costa, Diaboli scala: nam suasit, ut qui ulcere pessimo corpore tenus diffluebat, saniem animo maledictionis conciperet, quam postmodum per canalem oris liquaret. Quid Tobiæ sua? an ipsa in cœlum via, sustentaculum, vehiculum? Quid sunt illa, verba iratæ, & indigne tumultuantis, *manifestè vana facta est spes tua, & eleemosinæ tuæ modo apparuerunt*? Ego dicam quot verba tot gradus ex ore ejus prodire, (q) ex quibus Tobiæ Diabolus Scalam desperationis fabricare contendebat. Benè Gregorius: (r) *Scit Sathanas quomodo Adam decipi soleat, recurrit ad Evam.* Neque verò dormit Sathanas, aut totus Adam est mortuus, & vivit de Eva Eva ergo filios Adæ, per filias Evæ ducit quo vult, vult autem prius Spei,

(n) *Bed. in* 7. *prov. Menoch. ibid. Ephes.* 2. 3.
(o) *Greg. l.* 3. *mor. c.* 6. (p) *Idem ibid.*
(q) *Tob.* 2. 22. (r) *Greg. l.* 3, *mor. c.* 6.

Spei, deinde animi noſtri excidium. Quanquam diffitendum non eſt præter fæminam, dari alias peccatorum ſcalas: quales reputa eos, qui improbis conſiliis Principes ſubruunt: qui quod iniqvum eſt, patrocinio ſui oris tuentur: qui bella cogunt, & juſtitiam ſternunt: qui nepotes injuſtè ditant, & aureis gradibus ipſi ad orcum deſcendunt. (s) Vidit unus, admiſſus ad ſecreta mundi ſubterranei, ſcalam quandam ex alto in profundum inferorum excurrere, in qua aſcendentium & deſcendentium longa ſeries ſedebat, & ignes obſcœnos bibebat: eò quod abavus inique partem ſubſtantiam velut hæreditatem ad ſeros nepotes transmiſiſſet, iſtique maluiſſent abavi impia, quam Salvatoris & juſtitiæ beata hæreditate frui. Ita verum effulſit Hieronymi, (t) *dives aut iniqus eſt, aut iniqui hæres.*

§. 4.

VErum enimverò cum audis Virginem peccatorum Spem & ſcalam, pone ſupervacuum timorem, & ſimul diſtingue turmas Peccatorum. Una eſt deſcendentium in præceps, corruentium in abyſſum: & iſtis, ſerviunt filiæ Evæ, & nequam filii Adæ, ut ſcalæ diffidentiæ, ut gradus inferorum. Altera autem claſſis reperitur peccatorum Aſcendentium de profundis, & conantium in altitudines gratiæ & juſtitiæ, atque iſtis Virgo ocurrit, & ſeipſam offert, ut ſcalam Sanctæ Spei, ut vehiculum & machinam certæ fiduciæ

 in cœ-

(s) *In ſpecul. Exempl. verbo, avaritia.*
(t) *Hieron. in c. 6. Matth.*

in cœlos deducentis. Advertit S. Auguſtinus dari modum & artem, qua (*a*) de vitiis & peccatis noſtris architectari, & erigere gradus in ſidera poſſimus. *De vitiis* inquit ille *noſtris ſcalam facimus nobis, ſi vitia noſtra calcamus: elevabunt nos, ſi fuerint infra nos.* Porrò Spes noſtra Virgo docet nos, & implet poteſtate ac Spiritu calcandi vitia, & erigendi gradus in ſublimia, ſiquidem ut Alexandrinus ait Cyrillus, (*b*) *ejus opera, gentes veniunt ad baptiſmi gratiam & pœnitentiam.* S. Hieronymus, illam Jacob ſcalam expendens ſecum, in Auguſtini ſenſum revolutus, eam Pœnitentiæ figuram dixit. At ſcalam Pœnitentiæ quod ingenium quæ brachia poſſent producere, niſi MARIA à Deo conſtituta ſtaret ad finem mundi Scala S. Spei, & pœnitentiæ myſterii? Tertullianus Apoſtolorum temporibus finitimus, (*c*) officia pœnitentium deſcribens, *ſedent* inquit *in ſacco, & cinere inhorreſcunt, eodem fletu gemiſcunt*, eisdem precibus ambiunt, eandem MARIAM invocant. Cur non ſacco & cineri ſuo fidunt? cur fletu & gemitu non contenti, inſuper MARIAM invocant? Quia revera qui MARIA interveniente primum peccatorem Joannem à culpa originali abſolvit, idem nonniſi ejus cooperatione ſceleratos alios ſibi & Patri reconciliat. Vox Auguſtini auguſta eſt, (*d*) *certiores*

tiores

(*a*) *Aug. ſer.* 176. *tom.* 10. *oper.* (*b*) *Cyril. Alex. de laud. B. V. Hieron. in quæſtion. ſuper lib. regum.* (*c*) *Tertul.* (*d*) *Aug. l. de medicina pœnit.*

tiores sunt claves, quam cordæ regum, quibus clavibus quodcunque In terra solvitur, etiam in cœlo solvendum promittitur. Sæpe tamen tantis repagulis ac seris cor humanum impeditur atque occupatur, ut eas nullæ claves Ecclesiæ aperire, nulli fasces regum sufficiant. Clodovæus Rex Francorum primus Christianus, (*e*) nescio quod peccatum tacitus perpetrârat, ut illud clavibus subdere Ecclesiæ, prout debebat, nullatenus posset. Quod divinitus cognoscens S. Ægidius, oravit tanta vi pro eo DEUM, ut chartula inscriptum portans peccatum de cœlo deciderit. Quod ubi Regi patefecit, ille scientià & conscientià compunctus in aures Sacerdotis illud transfudit. (*f*) Quantis verò eodem morbo laborantibus, & æs triplex circa pectus, ne exiret peccatum habentibus, Virgo profuit, & Sanctam fatendi audaciam conciliavit? Quantis non solum n papiro munda immunditiem suam exhibuit, sed etiam chirographum delicti maximi, ut est sanguine suo obligari inscribique Dæmoni, vi à Dæmonibus extorsit, & lugentibus præsentavit? Cui ignotum Theophili facinus, (*g*) & Mariæ, ad pœnitendum virtus suppeditata? In vita S. Basilii servus quidam Dæmonis opera nobilis Virginis conjugium obtinuit, (*h*) & deinde, Basilio Virginem Parentem precibus fatigante instrumentum venditionis animæ suæ recepit Itaque

(*e*) *Fasti Mariani. 1. Septembr. in S. Ægid.*
(*f*) *Horat. l. 1. car. ode.* (*g*) *Sur. 4. Febru. in vita Theoph.* (*h*) *Sur. 1. Jan. in vita S. Basil.*

qui Chirographum peccati cruci suæ affixit, idem in peccatum, ejusque solemnes obligationes Matri potestatem concessit. Scala pœnitentiæ ut certò tendat in cœlum, oportet ut stet in aquis. Ut enim (*i*) *primum caput Draconis, submersum est in baptismi aquis* inquit doctissimus Arnobius: *ita postquam suis vitiis post baptismum mundos, denigravit idem Draco, & fecit nigredinis perfidia Æthiopes, caput Draconis magni in pœnitentia confringit Dominus, & in aqua lachrymarum.* Virgo autem non solum fundit has aquas suis, sed præfundit prior ipsa. Referunt annales Societatis, unum militem plurimis annis, sine Deo, sine confessione vixisse sceleribus gravem. (*k*) Hic autem ubi ad aram Virginis supplicans, vidit simulachrum Virginis JEsum brachio tenentis liquescere oculis, & gemmam post gemmam trudere, adeò ut omnia altaris lintea lachrimis maderent, tandem cum flente cœpit & ipse flere, & deinde de conscientia in auris Sacerdotes culpas egerere, & Draconem conterere. O scala pœnitentium MARIA!

§. 5.

HUgo de mysteriis Eccelsiæ scribens, (*a*) pœnitentiam à pœna seu punitione de ducit, quasi pœnitentia sit punientia quædam, & pœnitere inquit Sipontinus quod & S. usurpat Bernardus, (*b*) sit pœnam tenere. Scala ergo pœnitentiæ

(*i*) *Arnob. in ps.* 73. (*k*) *Annua Societatis JESU Indiciæ. Benedictus Geomet.* (*a*) *Hugo de myst. Eccl, l.* 5. (*b*) *Sipontinus. Bern. de pœnit.*

nitentiæ de uno latere armatur gladiis, de alio flagellis & Virgis Cur ita? oportet enim vere pœnitentem omnes peccati præsertim inveterati, occasiones amputare, pericula cedere, habitus sternere. Ubi nos legimus, *surge amica, propera, tempus putationis advenit*, (c) alius textus habet, tempus plorationis advenit. Est autem dilucidum, tempus pœnitentiæ tempus esse plorationis, igitur & putationis & amputationis. Rursus, quæ pœnitentia laudem perfecti operis retulit, si non in peccatorem Virgas explicuit, flagella distrinxit? Sapiens collectio Tertulliani est, (d) *ubi metus nullus, emendatio proinde nulla: ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana*: At, quomodo metus erit in pœnitente, si adminicula metus tollantur flagella? Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit? (e) An verò, quia misericordia peccatorem circumdedit, jam justitia & vindicta Dei omne flagellum ab eo abstulit? (f) Quod si non abstulit, intonuit, apprehendite disciplinam, & disciplinæ arma & vasa, ne qui nunc miseretur Dominus, vacantibus à labore puniendi irascatur: & vos qui cœperatis benè ire, sed postea à via justa quam commendant flagella, defecistis, contra spem vestram pereatis Scala peccatorum Virgo, an porrigit suis pœnitentibus flagella? S. Virgo Mechtildis, (narrat Raderus) (g) nescio quid humanæ imperfectionis

(c) *Cant*. 2. 12. *altera lectio*. (d) *Tertul lib. de pœnit. initio*. (e) *Psal*. 31. 6. *penult*. (f) *Psal*. 2. 12. (g) *Rader. in aulas. in Mechtil.*

commiserat, neque tamen eam satisfactione convenienti mulctaverat, & deterserat. Ecce autem Spes nostra Virgo, sub cujus fide & tutela Mechtildis vivebat, adest cum aureo flagello, erroris admonet, satisfactionis debitæ memoriam excitat, & ni in posterum offendere ad lapidem, pedem caveat, dulciter renidens comminatur. In hoc ego flagello Virginis duo video: alterum, necessitatem, ut voluntaria castigatione culpas nostras plectamus, ne deinde pro transeunte, & per nos non transeunte, (*h*) sed à nobis neglecto flagello, incidamus intorrentem spinarum & funium, qui æternitati alligant Virginis Matris flagello, imò & honestatem ac pœnarum. (*i*) Alterum, utilitatem in pretium intueor ac Veneror. Non enim Mechtildi apparuit, cum coreaceo, aut ferreo, sed cum flagello, de primo & pretiosissimo metallo, elaborato. Nimirum ut tibi constet ignava mortalitas, quæ nosti tibi torquere flagella, & ea in pretium & honorem Sceptri commutare non nosti. Ecce quod nunc, ut plumbum premit, deinde ut aurum delectat & venerationem auget. Benè Septimius: (*k*) rex ille Babilonis cum squallore & pædore septenni ab humana forma exulâsset, immolata patientia corporis sui & regnum recuperavit, & quod optabilius homini est, Deo satisfecit. Ergo tu quoque mecum fac similiter, immola Deo patientiam corporis tui, ut regnum obtineas æternum, & Deo satis facias,

(*h*) *Isai.* (*i*) *Joel.* (*k*) *Tertul. l. de patien.*

facias, ac ſatisfaciendo, hoc quod premit flagellum, mutes in auri ramum.

§. 6.

REvertamur parumper ad Joannem filium Zachariæ, cui quando Spes noſtra Virgo adſtitit, ut ſcala pecccatorum, ille geminum motum edidit, alterum aſcenſus ſupra, deſcenſus infra alterum. (a) Quid hujusmodi ad præſentiam Magnæ ſcalæ, ſaltu prophetavit plusquam propheta futurus? prophetavit, hanc, quæ ſibi ſcala de peccato emergenti adfuit, futuram item ſcalam ad altisſimæ faſtigium ſanctitatis aſcendenti. Non credo ego, cum Eliſabeth defuncta, orphanum Joannem audiviſſet relictum, Virginem non intimis ſenſibus ei compaſſam non fuiſſe, utque Deus pupilli ſui ſpecialem haberet curam, & nominatim circa profectum virtutum, calentiſſima prece non exoráſſe. Hinc ille primum domum paternam ſanè divitem, & cum domo lautam hæreditatem, tum omnes urbes & pagos, mox omnes menſas & cibos deinde vineas & ſiceras, deniq; non commoditates humanas tantum, ſed etiam neceſſitates ultimæ ſortis, tranſiliit ac tranſcendit. Quo ſubvehente, quo urgente? ſcalâ Virginis. Tantumne verò in Joanne, hæc cura & gratia Virginis ſubſtitit? in infinitos pœnè ſeſe effudit. (b) Rapit me ad ſe a Virgine tractus & portatus, tranſiliens patrem & matrem, ſponſam & ſenatorium culmen, Euphemiani filius. Iſte

(a) *Luc.* 1. 41. (b) *Sur.* 17. *Jul.* *in Vita S. Alexii Rom.*

Iſte cum tranſmiſſo mari, inter pauperes pauper annis ſeptem & decem latuiſſet, prodidit eum quærentibus. Virgo in imagine ſuæ reſonans, atque ut ad patrem domumque ejus rediret impulit interiori hortatu pænè elocuta, amice aſcende ſuperius. Ergo ſub ſcalis paternæ domus totidem rurſus annos traduxit, per patrem & matrem per ſponſam & opes eluctans ſuperius ac ſuperius. Cæterùm ſub ſcala non latuiſſet, niſi in ſcala Mariæ, quæ illi omnia erat, ſtetiſſet: nec cœleſtis homo poſt mortem in vultu ſuo radioſum explicuiſſet aſtrum, niſi ſplendida ſpes juſtorum virgo ei præfuiſſet. Qvare merito S. (c) Bonaventura Virginem, ſcalam Jacob appellavit. In illa ſcala quam Jacob vidit, nemo hominum apparuit, ſed geminus Angelorum ordo: (d) iſtorum aſcendentium, illorum deſcendentium. Virginis autem Beatiſſimæ ſcala recipit homines, efficit & portat Angelos Vis eos aſcendentes videre, variâ viâ, ad alta culmina? Spectaculum dies non capit, (e) plenum autem exhibebit æternitas. Occurrit nunc primus ad alta ſapientiæ humanæ aſcendens Albertus, initio capacitate intelligendi parvulus. Deinde de dono virginis, Philoſophiæ Magiſter magnus: cui per ſcalas ad ſeculi redeunti vias objecit ſe virgo, & in ſcalam patrocinii translatum, laureas Philoſophiæ ſperare juſſit, quas & de cœlo decerptus attulit. Quis Aquinate Thoma, (g) ſublimitate Theologica

(c) *Bonav. in Speculo B. V.* (d) *Gen.* 28. 12.
(e) *Rader. in Bavar.* (f) *In Alberto M.*
(g) *Sur. 7. Mart. in Vit. S. Thom.*

gica ac ſubtilitate ſolida altior? ille tamen prius chartæ. Ave MARIA continentis comeſtor, poſtea Angelicus Doctor? Aſpicio inter Evangeliſtas Aquilam, (h) quæ ad principium æternitatis & divinitatis cœteris altius evolavit. Et non miror: Joannes enim Salomœa vivente in viſcera MARIÆ tranſiit. Levavit ſe Leo, tunc privatæ ſortis de cubili ſuo, & in Imperatoris (i) orientalis conſcendit verticem. Quomodo verò? cæco ducatum præſtat, eique ſitibundo qværens aquam, invenit MARIAM, & cum MARIA triplex donum fontis, templi, throni; fontis de quo refecit cæcum: templi, qvo erecto implevit miraculis ſolis ortum; throni, quem per virginem ſcalæ favorem, occupavit; factus Conſtantinopolitanus Imperator.

§. 7.

EXpectas fortaſſe (a) ut tibi alterum monſtrem ordinem Angelorum parthenia in ſcala deſcendentium? aſpice illos. Vocatus ad ægram non tam corpore, quam animo & virtute, deſcendit ad eam S. Vincentius Ferrarius. Hic ægra peccatum fateri, & confeſſione ad peccatum invitare. Exhorruit flagitium Vincentius, & lupam ſalvus effugit, (b) jamque victor Angelus. Nam victus noctis Angelus. Faſſus eſt de eo: quia Angelus de fornace excuſſit flammam ignis: in igne inquit fuit, & tamen non arſit. Non arſit &

(h) *Ioannis* 19. 26. (i) *Nicephor. l.* 15. *hiſtor. cap.* 25.

(a) *Sur in vita Vincent. Ferr.* 5. *April.*

(b) *Daniel.* 3. 49.

& ego pronuncio, quia cum MARIA rore ſuo in fornacem ignis deſcendit. S. Franciſcus Seraphicus, (c) invitatus item à quadam, ut in loco ab arbitris vacuo auderet veneris nefas, projecit ſe in vivas prunas, & per ignem extinxit ignem: ſed Franciſcus nunquam ſine Virgine ad homines deſcendit. Quæ non in maria ac deſerta, quas non in patrias barbarorum dedit ſe alter, noſter Xaverius? (d) quantis cum concubinis & proſtitutis non ſemel egit, nunquid autem jacturam pudoris fecit? minimè. Angelus de oratione ad converſationem hominum venit, angelus à converſatione per converſionem hominum ad orationem rediit. Tu autem Thaumaturge Braſilienſis Joſephe Anchiata, (e) inter nudos & inveſtes Braſiliæ ſexus, longos annos agitans, an de munditie tamen virginali aliquando excidiſti, & Angelum lucis exuiſti? minimè: quia te MARIA acceperat in ſua. (f) Fuit tempus, cum Sodalis Parthenius percuſſus in faciem, corruit ad percuſſoris pedem petens veniam, qui non admiſerat culpam. Iſte Angelus de MARIÆ ſcala deſcendit. Vidi ego ipſe, vidi primæ nobilitatis & ſcientiæ juvenes ſub ſignis Virginis Matris militantes, lectos pauperum verſâſſe, angulos earum à ſordibus levâſſe, ad ſcopus manum, pedes ad lutum coegiſſe. Homines videbantur, & erant Angeli, ſed Parthenii Angeli,

(c) *Bonavent. in vita S. Frans.* (d) *Horat. Turſell. in vita B. Fran. Xaver.* (e) *3. part. hiſt. S. J. Sacch.* (f) *In libello Sodalitatis Parthenic.*

geli, tunc altissimè ascendentes, cum profundius sese cum Patrona sua dejicerent. Etenim ipsa quoque ad hujusmodi officia humilitatis & charitatis, tota pœnè vita sese impulit, atque egit. Jam qui potest stellas numerare, poterit & illos recensere, qui hortatu Virginis de sublimi forte, in imam claustralium conditionem, sese ignea voluntate dederunt. (*g*) Stellas primas septem (prout visæ sunt Hugoni Episcopo) Doctor Parisinus mortuus Carthusiano ordini excitavit: sed cum illæ nutarent, & recessum agitarent, Virgo adveniens in suam scalam eos transtulit, & in Angelico proposito firmavit. (*h*) Quis B. Ludovicum in Societatem JESU traxit, & de Marchionatu detraxit? Scala Jacob. Quis B. Stan. Kostkam patria & serico exuit, in viam longam & peregrinum saccum impulit, Romam usque deduxit. (*i*) in novitiatum ad S. Andreæ abdidit? Scala Jacob. Ipse dux magnus ordinis nostri minimi prius aulicum, post militem, tandem & se ipsum totum exuit, quo præeunte? præeunte & visa scala Jacob. (*k*) Ecce Angelos descendentes scalæ MARIANÆ.

§. 8.

VIdit aliquando admirabilis ille Franciscus, (*a*) duas scalas ab humo ad cœlum usque excurrere, quarum una erat purpurea, altera candida.

(*g*) *Sur. in Vita S. Brun. 6. Octobr.* (*h*) *In Vita B. Alois. Gonzag.* (*i*) *Sacchin. in Vita B. Stan.* Ko*stka.* (*k*) *Ribad. in Vita S. Ignatii.*

(*a*) *Vading. in Chron. Minor.*

dida. Vidit item Fratres ſuos per ſcalam rubram tendentes ad domicilium beatorum, (*b*) eo tamen eventu, ut illi proximi portæ cœleſti, iſti de medio ſcalæ deciderent, & ruina gravi contererentur. Miſerabili permotus caſu ſuorum exclamavit, ut ad candidam ſeſe transferrent, ejusque gradibus inſiſtentes conniterentur in altum. Quod cum factum eſſet, ſine lapſu ſecuri evadebant in ſupera, & intrabant cœlum. Et intellexit prima ſcala coccinea, Salvatorem, ſecunda alba Matrem ejus ſignari: & illam quidem eſſe pretioſiorem, hanc ſecuriorem, eo quod illam componeret majeſtas & amor, (*c*) miſericordia & juſtitia, pax & judicium: iſtam autem, concinnaret ſola charitas, pura miſericordia, una pacis gratia. Hoc nos exemplo moniti, primam ſcalam adoremus, ſecundam imperfecti conſcendamus. Nam prima recipit ad ſe venientes, & neminem à ſe arcet, nec quem ſemel recepit, mittit foras, modò digne Deo, concolor paſſioni ejus incedat. Quod ſi aſcenſores affectum quem primo attulerunt, progreſſu temporis corrumpant, & in aſcenſu diſcenſum meditentur, quid mirum ſi patientia irritata, fiat furor, & excutiat ingratos? Scala autem MARIÆ, recipit peccatores, nec excutit, modo illi vel ſummo devotionis pede illi inhæreant. Ipſi enim cantatur, *peccatores non abhorres, ſine quibus nunquam fores, tanto digna filio.* (*d*) Tertullianus hanc ſcalam Jacob

(*b*) *Bzov. in ann. Eccl.* 1230. *n.* 12. (*c*) *Duæ ſcalæ comparantur.* (*d*) *Tertul. ad ver. Marcion. l.* 3.

Jacob considerans, scalis his inquit iter ad cœlum demonstratur, quo alii perveniant, alii decidant Domini constitutum esse judicium, & adducit locum Amos, dicentis, *qui ædificat in cœlum ascensum suum*, (*e*) utique non sibi soli, sed & suis qui cum illo erunt. Cœterùm sic Christus erigit de se suis scalam, sic ascensum suum non sibi soli ædificat, ut tamen ascensum suum quem suis ædificavit, si illi à charitate deficiant, destruat & convellat, veluti qui sit justus judex, & non merus tantnm redemptor. Scala autem candida ejusdem Jacob, ædificat de filii meritis ascensum pro suis in cœlum, & nihil sibi de severitate attrahit judicii, securus ergo me credam MARIÆ. (*f*) Sic & Ægiptiaca meretrix visibiliter à crucis Dominicæ osculo rejecta, cucurrit ad MARIAM, promisit mutationem, & recepit crucis libatæ gratiam. Hanc secutus errantem, sequere ad cœlos redeuntem & scandentem. Sapienter Cajetanus, (*g*) malum populi, flagellum regis: sic & peccatum Christiani, flagellum est Christi, quis autem regum sustinet flagellum servorum? Mater autem Domini, esto sit & permaneat in cœlis Regina mundi, attamen quamdiu ille peregrinatur, ista matris & scalæ misericordis sustinet officium. quare & malè sæpius tractata! ô pietatem supra pietatem? non rejicit ante diem supremum torpentes & ingratos. (*k*) Scala cœli est MARIA inquit Magister Parisius, dans

(*e*) *Amos.* 9. *v.* 6. (*f*) *Sur.* 9. *April. in vita Mariæ Ægipt.* (*g*) *Cajet. in c.* 11. *Exod.*
(*h*) *Magister. serm. de* B. *V.*

dans singulis viris lilium. Quale verò? an puritatis quam conciliat? an bonæ famæ, cujus odorem propagat? an Spem regni, quam infundit? (i) Lilium enim & bonæ Spei, & divitis regni olim habitum est symbolum. Omnia. Hæc peccatorum scala Inquit Damianus Petrus, de qua licet subsilire in cœlum. (k) Credo, credo, cum Joannem sanctificatum aspicio. Ipse enim ad præsentiam suæ & nostræ scalæ, exultavit in utero, & subsiliit, ut reciperetur in cœlo.

ARTICULUS V.

SPES NOSTRA PURIFICATA.

§. I.

NOn est judicandus omninò miser, qui tametsi omnia quæ possedit perdidit, Spei tamen divinæ possessionem non perdidit. S. Eligio, (a) spes dicta est pes. Cur ita? qui spe animante, sicut pede adjuvante potest homo recedere à malo, & accedere ad bonum. Ille pauperrimus & simul infelicissimus reputandus, quem spes divini ordinis, quanquam cœtera affluant, deservit. Comparata est à quodam cum sanguine, nec malè. (b) Corrumpitur alicui sanguis & vita laborat in periculo: nec aliter, si Chri-

(i) *Pier. in lilio. hierogl.* (k) *Damian. ser. 4. de annunt.* B. *V. M.* (a) *Eligius. hom.* 11.
(b) *Anon. in psal.* 4.

Christiano Spes corrumpatur, quomodo in eo vita subsistet? Una eademque via, cum sanguis effluit, etiam animus sequitur, & abit: (c) Ubi autem de corpore cessit iste, quid cætera quæ corpus circumstant, juvant? Ita qui perdit Spei sustinentiam, quantumvis circumfundatur auro & gemmis, inops est, & nihili centrum. In Juda intuere veritatem: (d) habebat Christi loculos, acceperat insuper triginta argenteos, gratiam magistratus templi & fori adierat, in dignitatis Apostolicæ sublimitate adhuc stabat, vegeto ac robusto corpore vigebat, & tamen nodo infami vitam sibi expunxit? quia spem amiserat. Diabolus enim inquit Origenes ubi in peccatum induxit, inducit tristitiam scilicet desperantem, (e) quæ absorbet. Cæterùm, sicut non omnes qui filii carnis Abrahæ, Abramitæ existunt: ita non cuncti qui spem divinam se habere mentiuntur & credunt, spem possident. Ex qua verò nota, & quali ex charactere eam dignoscemus? Spes Theologica si Theologica est, nunquam est sine ferro dividente, nunquam vadit sine dente mordente. Non hæc ego, sed hæc in me loquitur Apostolus, *Spem*, fatur Apostolus, (f) *sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Anchora autem dente tenaci humum mordet ut navem fundet tellurem vulnerat, ut nautas, afflictos sanet. (g) Nempe quemadmodum docente

(c) *Æneid.* 10. (d) *Matth.* 27. 5. (e) *Orig. in c.* 27. *Matth.* (f) *Hebr.* 6. 19.
(g) Bernar. *epist.* 32. *ad nicasium.*

cente Bernardo character electorum est patientia sic proprietas & insigne Theologicæ spei est adversitatum sustinentia. Qvid multis intuere hujus dicti veritatem in Sanctissima Matre purificata, sed prius solve mecum hymnum & canta. Salve spes nostra, virgo sine labe, mater sine nevo, & tamen purificata,

§. 2.

Docet Angelicus Magister, (a) spem divini ordinis (pono ejus verba) *Versari circa bonum possibile, arduum, futurum, divinum.* Ad tale autem bonum consequendum, opus est ferro patientiæ gemino: uno, quo difficultates in arduo occurrentes, amputentur: altero, quo animus, qui multis vitreus est, ad sustinenda onera spei quasi ferrugine tingatur, atquè induretur. Ordinat Apostolus genealogiam Sanctæ spei, & dicit, (b) *Tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio verò spem. spes autem non confundit* Qvid autem spes non confundit? Utique quod patientia intendit, quod probatio expectat. Quid verò patientia intendit: Ostendit S. Petrus cum ait, (c) *modicum Vos passos, Deus ipse perficiet, confirmabit solidabitquè.* Patientia igitur pro fructu accipit perfectionem, & confirmationem solidam in bono. Hinc Augustinus: (d) Post casum hominis, nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, vel ut homo non recedat ab eo. Jam verò

(a) *l.* 1. *qu.* 40. *ar.* 1. 6. (b) *Rom.* 5. 4 3. (c) 1 *Petr.* 5. 10. (d) *Aug. de dono persever.* 6. 7.

rò quidnam probatio expectat? coronationem. (e) *Hoc pro certo habet*, inquit Sara Raguelis, *omnis qui te colit, quod vita ejus si in probatione fuerit coronabitur.* (f) Sed & Bernhardus: tu doces Domine JESU manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia majestatis: Sive quia pugnantem te specto, sive quia a te expecto non solum coronantem, sed & coronam. Jam verò quantumvis uno ore de omni orbe cantet Ecclesia Virgini. Spes nostra salve, illa tamen non prius SPES PUBLICA OMNIUM SECULORUM renunciata est, quam in ea tribulatio patientiam, patientia probationem operaretur. (g) Attende Evangelio postquam impleti sunt dies purgationis ejus. Cujus ejus? matrisne an filii? Exercuit hæc difficultas Doctores, (h) & responderunt non pauci, nomine Ejus intelligi filium, nam legunt græci non pauci. ejus. masculinum. Sed & relativum quod correlativum respicit proximum? filium. Sic enim habes apud divinum Lucam: Vocatum est nomen ejus JESUS, (i) quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur; & postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem. Nihilominus diremit eam litem sapientia & authoritas Ecclesiæ, (k) qvæ

(e) *Tob.* 3. 21. (f) *Bern. Serm.* 47. *in Cant.* (g) *Lucæ.* 2, 22. (h) *Origen. hom.* 14. *Chrisost. de hipop. Euthim. in Luc.* 2. (i) *Luc.* 2. 21. 22. (k) *In missali. de festo purif. Evang.*

quæ in Evangelio ſolemnitatis. Purificatæ legit, poſtquam impleti ſunt dies purgationis MARIÆ. (*l*) Hæc verò lectio vera & legitima eſt. Siquidem ut benè notavit Card. Toletus, purgatio ſecundum legem Moyſi non erat pueri, ſed Fœminæ matris Mulier inquit lex, (*m*) *ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ? donec impleantur Dies purificationis ſuæ.* Porrò purgationem hanc legalem ſive 40 diebus, (*n*) ut communis vult Sententia ſive quadraginta ſex diebus, ut ſenſit S. Ildephonſus, Anchiepiſcopus Toletanus, (*o*) tolerare, non erat talentum ferri prementis portare ? vel ipſum nomen Immundæ, quantum pondus facit ? Et quidem primis ſeptem diebus; menſtruatæ onus portabat: (*p*) aliis autem triginta tribus conſequentibus diebus, omne Sanctum, ut lex vetabat, minime tangere poterat, nec in Sanctuarium ingredi. Qvis noſtrum, ſi modo alit intra præcordia Chriſtianæ pietatis ſemina, non concutitur horrore, non erigitur timore, ſi diſtrictus Eccleſiæ gladius contra eum in limine templi conſtiterit, & paradiſum omnibus patentem ſibi patere nequaquam declaravit ? At ecce virgo: 40 diebus, lege Moiſis quaſi ſacro enſe ab ingreſſu templi præciſa humiliter eam quaſi contumeliam excepit & portavit. (*q*) Cui tamen legi ſe non eſſe ſubjectam probè ſcivit, ut-

(*l*) *Toletus in c. 2. Lucæ annot. 3. 41.*
(*m*) *Levit. 12.* (*n*) *Tolet. in c. 2. Luc. annot. 34.*
(*o*) *Ildefon. Ser. 1. de purific.* (*p*) *Levit. 15.*
(*q*) *Baſil. in c. 7. Iſai. Ciril. l. 15. de ador. Chriſoſt. de hipop. Bern. Ser. de purif.*

utpote quæ Sanctum Sanctorum, eumque non suscepto virili semine edidisset. Hujusmodi verò Virginis mundissimæ patientia & probatio ubi constitit? quid inveniet? Sensus est Chrisostomi, (r) patientia hominem ab imo ad summum locum adducit. Sic & patientia Virginis ab imo vernaculæ opinatæ matris ad summum locum ac titulum evexit. Quem illum? SPES PUBLICA, quæ non confundit. Mittens DEUS Ezechielem ut oraculum suum ad gentem obstinatum, (s) *dedi* inquit *faciem tuam ut silicem*. Quid magni, quid gloriæ habet silex in Sanctis? quid privilegii novi accepit, homo de natura carneus, de novo Dei dono silicinus? quid novæ Virtutis sumit, cum filius Buzi, fit silex? O si hoc ipsum & mihi vel aliquando, vel prope occasum vitæ, vel in puncto ultimæ ruinæ contingat, ecce homo, silex. Silex si mulceatur vel amethystina manu, si in vinum generosissimum mergatur, si in nimbos florum deponatur, manet obscurus ac niger, frigidus & sine honore. At idem percussus ferro, respondet igni lucido, excutit noctem, inchoat paruam diem, promit scintillam quæ potest sternere silvam. Ita cui Deus patientiæ & probationis suæ contulit virtutem, percussus relucet, attritus ardet, & cum tacet, mira potest. Ecce & Virgo, percussa est ferro duræ legis & emisit lucem super omnem lucem. Ut meritò illi, possit accommodari illud Gregorii, (t) *momentaneam seculi lucem perdidit*,

(r) *Chrisost. hom. 64. in Genes.* (s) *Ezech. 3, 8. 9.*
(t) *Gregor. in 1. Reg. c. 7. libr. 3.*

didit, sed ineffabilem claritatem æternitatis, invenit. Patientiam in legis onere habuit & modicum passa, ut esset (u) VIRTUS DEI PERFICIENS, CONFIRMANS, SOLIDANS electos, invenit: probata est brevi morula, & coronata est, REGINA sanctæ Spei, per omnia labentia secula.

§. 3.

RES mira. Rugitu Esau lachrimantis, permotus Pater, postquam benedictione terræ pinguis, & cœli rorantis eum honoravit & munivit, superadddidit, triste verbum post lætum donum. (a) *Vives in gladio, & fratri tuo servies.* Quid est quia Pater virum colonum terræ, ad arma damnat? & à rastris ad castra transfert, & à falce ad gladium applicat? Sed magis mirandum quia filium Pater servituti minoris fratris subjicit, cui imperio & suffragio naturæ dominari competebat? Consensus in eo est interpretum, (b) gentem Idumæam quæ de lumbis egressa est Esau bello acrem, armis vividam fuisse, adeò ut quemadmodum loquitur Josephus, (c) in armatam aciem tanquam ad festum procederet. Sed & rapto vixisse, & stipendia non examinata belli justitia, temerè ac audacter suscepisse. (d) Quæ omnia providens Isaac, malè utentem gladio, servituti subjecit melioris ac justioris. Misertus inquit

(u) *Petr. 5. 10.* (a) *Genes. 27. 40.*
(b) *Perer. in c. 27. Gen. v. 40. num. 96.*
(c) *Menoch. ibi. Cor. ibi. Hier.* (d) *Joseph. l. 4 de bello Judaic.*

inquit Philo, (*e*) *imprecatus est Pater filio, ut servitutem quæ videtur malum maximum, serviret, arbitratus rem esse insipienti utilissimam.* Pulchrius & dulcius eodem super argumento Ambrosius: (*f*) *Merito ei libertatem proprii negavit arbitrii, ne velut navis in fluctibus sine gubernaculo fluitaret, sed subdidit eum fratri, ut sic regentis imperio suum melioraret affectum.* Porrò Sapientia æterna Matrē suam, omnis gratiæ & veritatis plenam, jam ante finitam, jam post finitam purgationis suæ molem gladio subjecit. Et quidem cum purgationis suæ dies illa decurreret, ei gladium pallio involutum, ut sanctuario suo credidit. Quid ita? Narrat scriptura, illum Goliæ gladium, quo David præcidit illi caput, involutum pallio post ephod in Sanctuario fuisse asservatum: non quia ille DEO consecratus extitisset, alioquin ut benè Lyra advertit, (*h*) ad usus profanos eum accipere David non potuisset, sed quia, memoriam Victoriæ divinitus partæ revocabat. Certè & Spes nostra Virgo gladium doloris sua viscera secantis in purificationis decursu sensisset, nisi aliquid eum, quasi pallium texisset & involuisset. Mundam esse & immundam censeri: virum nescire, & cogniti viri onus portare: legi nihil debere, imo de lege privilegio nulli concesso excipi, & tamen ferro & duritia ejus onerari, non doloris justi materies: Nec tamen eum doloris ictum sensit, quia filii innocentis, &

 circum-

(*e*) *Philo. lib. quod probus, liber.* (*f*) *Ambr. l. 2. c. 3. de Jacob.* (*g*) *1. Reg. 21.* (*h*) *Lyran. ibi.*

circumcisi exemplo, quasi pallio, doloris Sege-
tem involuit & texit, Verum enimverò qui gla-
dius, quietus & pacificns in Sanctuario Virginei
cordis latebat, opera Spiritus Sancti à pallio evo-
lutus & in in animam ejus impactus est. (*i*) Quan-
do verò? Tunc cum Senex accepto Deo in ul-
nas illi prædixit, *tuam ipsius animam doloris gla-
dium pertransibit*. (*k*) Erit ille & figetur in si-
gnum cui contradicetur, sed & te mordebit ei fa-
cta, contradictia: Sagittabunt in filium tanquam
in scopum odiorum, consilia, & iniquæ linguæ:
sed & te tangent, & divident, eum vulnerantes
blasphemiæ. Denique ipsum, doloris gladius
nempe crux, (*l*) & crucis clavi ferrei penetra-
bunt, tunc quoque cor tuum medium scindet
passio & mors unigeniti. Et verò, (loquitur
Bernardus) postquam emisit Spiritum tuus ille
JESUS, (*m*) ipsius planè non attigit animam cru-
delis lancea, sed tuam utique animam pertransi-
vit. An autem sic pertransivit hic gladius vi-
scera tua, ut inde recederet? Nequaquam. Sed,
quemadmodum Sancti Dei, exultant in gloria,
(*n*) & in cubilibus æternæ pacis lætantur, & ta-
men gladios ancipites in manibus portant, signa
suæ victoriæ, monumenta nobilitatis: ita tu Bea-
tissimæ doloris gladium, tota vita deinceps gesta-
visti, & in choros thronosque intulisti. Quid
autem

(*i*) *Luc. 2. 35.* (*k*) *Tolet. ann. 56. in c. 2 Luc. orig. in Luc.* (*l*) *Basil. apud Sa. Sa. in c. 2. Luc. in noctis spec.* (*m*) *Bern. serm. sign. magnum.* (*n*) Psal. 149. 5. 6.

autem inde cousecuta es honoris? Audio Hieronimum, (o) B. Dei genitrix quia spiritualiter passa est, ejus caro gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit. Regina autem Martyrum, regina & Patientiæ, ubi gloriæ suæ terminavit apicem? Christus SPES MUNDI, tu altera post Christum Spes mundi. (p) Hortatur Doctor Seraphicus fideles, *respiremus ad illam in finitione nostra, & reserabit nobis atria triumphantum.* Certè, veluti servus nequam repetens debitum à conservo, tenebat & suffocabat eum ita sæpe dum animus ruminat sua peccata olim multiplicata, (q) tenetur in arcto, & poenè suffocato spei spiritu deficit: Verum qui MARIAM spem mundi esse credimus, ad eam respiremus: sed & cum ultima dies, coegerit nos finire fabulam vitæ, expirent alii nos respiremus ad illam: sic autem qui sub gladio miserabilis & mortalis vitæ nunc militamus, victores per eam facti, in atria triumphantium migrabimus.

§. 4.

QUuod si Spes mundi MARIA vixit sub gladio, patientiæ & doloris quisnam filiorum Spei, sine suæ patientiæ gladiolo, existimat se posse probari & coronari? Non uni, sed omnibus dictum, (a) *trtbulatio patientiam, patientia probationem operatur, probatio spem, spes autem non confundit. Character electorum*, fatur Bernardus

 (b) est

(o) *Hier. serm. de assump.* B. *V.* (p) *Benav. in psal. magno Av. versu. laudate pueri.*

(q) *Matth.* 18. (a) *Rom.* 5, 45.

(*b*) *est patientia, reproborum autem impatientia*, quæ etiam suam habet genealogiam, & arborem consanguinitatis: nam tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, & ista interimit. Quis autem interitum eligat, qui salvare se possit? In tabernaculo illa, (*c*) quod Domino præscribente, eidem ædificavit Moises, primo loco positum erat altare holocaustorum, ubi gladius, ignis, sanguis videbantur, posterius autem, & in secretiori ejus parte, urna aurea cum cœlesti manna, Virga regni & miraculi. Quid hic misterii? fortasse id. (*d*) qui desiderat ad manna spei divinæ pervenire, quæ omni melle dulcior est, & omne delectamentum continet, eum oportet prius cædi, uri, sanguine perfundi, ut Deus dignam patientiæ victimam cum odore suavitatis recipiat. Vox est, orantium non una vice Deum, *hic ure, hic seca, ut in æternum parcas*. At tu juste, audi quoque Deum tibi inclamantem, hic te ure, hic te seca, hic tibi non parcas. Ecce mater mea, hic resecuit à se humanæ reputationis grandes articulos, hic se ussit, calcans urentem pudorem, & non parcens sibi, meruit ut ad ejus intercessoriam vocem, parcam ejus clienti omni. (*e*) *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis* canit psaltes. Quibus verbis æternus sanctorum honor, & lectulus pacis describitur eorum inter-

(*b*) *Bern. epist. 32. ad Nicasium.* (*c*) *Exod. 40. 26.* (*d*) *Glossa extraor. in c. 40. Exod.*
(*e*) *Psal. 149. 5. 6.*

interpretum conſenſu. Clarè Chriſoſtomus, (f) loquitur de cœlo, ubi Sancti quieſcent. Quieſcent confirmat. Bellarminus, ſed non dormient: ſed in continuis Dei laudibus guttura ſua exercebunt, exultantes pro gloria ſua, exaltantes DEUM pro gratia ſua. Qua potiſſimum? quia gladios bis acutos poterant manibus ſuis tenere & vivere. Quanquam autem iſti gladii ut à Sanctis tenentur in cœlo, (g) ſignificent eorum judiciariam poteſtatem, qua dabitur eis, vindictam facere in hoſtes ſuos præteritos, & in ſanguine eorum lavare manus: tamen & de aliis duobus gladiis exultant, geminæ ſcilicet patientiæ, quando & impreſſos ſibi aliunde gladios ſuſtinuerunt fortiter,& ipſe invicta uſi fortitudine, gladium mortificationis in viſcera ſua impegerunt, ſancto odio in ſe hoſtes, ſibi non parcentes. (h) Videtur Agnus DEUS in cœlo, imò & adoratur in throno, quaſi tamen occiſus: nimirum vivus vitam ſempiternam Sanctis ſuis aſpirabat: (i) nihilominus mortis inſignia, ut ſunt vulnera, & loca clavorum præferebat: hæc eſt enim altiſſima Chriſti gloria, & noſtra ſeu Sanctorum exultatio. Sic igitur & reliquus Sanctorum chorus, hoc quod in vita pungebat, quod vulnerabat, quod dolorem excitabat, manibus ut dulce, olim pondus, nunc gaudium & monumentum

(f) *Chriſoſt. apud Genebr in pſ.* 149. 6 5 6. *Bellar. ibid. Lor. ibid.* (g) *Arnob. in pſ.* 149. *Valent. ibid.* (h) *Apoc.* 5. 6. (i) *Riber. in Apoc. c.* 5. *Alcas. ibi.*

præferebat. (*k*) Si enim prudenter apud quandam Indorum gentem, homines plebei, ad publicas dignitates evecti, artis & ſortis priſtinæ ſigna geſtabant, partim ut ipſi in modeſtiâ continerentur, partim ut alii eorum exemplo & præmio, ad paria virtutum decora edenda provocarentur: certè & Sancti Dei, cum tenent in cœleſti gloria patientiæ ſuæ vaſa & arma, de humilitate ſua exaltata exultant, & de patientiæ gratia divinitus ſibi olim ſuppeditata triumphant. Hic tu qui Sanctorum cubilibus conjungi deſideras, te circumſpice, quos nunc patientiæ gladios in manibus contineas, quos cœlo inferes quos in Sanctuarium, æternitatis præſentabis deponendos? Pirrhus Rex Epirotarum rogatus, (*l*) cui regnum cenſeret relinquendum? reſpondit, *acutiorem habenti gladium.* Neque verò omnium ſeculorum regnum alteri concedit DEUS, niſi acutiorem habenti gladium: gladium verbi cui credit, gladium zeli, quo ſcandala abſcindit: gladium patientiæ, & Spei, quem tota vita portat.

§. 5.

IAm verò ſi ad gladium Patientiæ vocantur, qui purgatione criminum non egent, quantò magis gladio ſeſe ſubducere non poſſunt, ii quorum primi dies, dies immundi, & poſteriores, purgationis canales. (*a*) Exhortans S. Hieremias Judam Machabæum ad bella Sancta, attulit illi gla-

(*k*) *In regno monomotapæ. Jarieius. in hiſt. ejus regni.* (*l*) *Plut. in paral. in Pirrho.*

(*a*) *2. Mach. 15. &. 15.*

gladium aureum, & ait: *accipe gladium Sanctum, munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.* Porrò cultor Virginis quis audis, MARIÆ animam gladium doloris pertransiisse, (*b*) & quidem ideò ut revelentur ex multorum cordibus cogitationes, puta non bonæ, (*c*) sed improbæ, nonne intelligis te exemplo Virginis, ad gladium Pœnitentiæ & doloris, ad gladium Sanctum atque à Deo missum, capessendum te urgeri? Qui quidem nunc tibi videtur ferreus, deinde in aureum transibit. Refert Turonensis Gregorius, (*d*) Crotildim Reginam Francorum, multas à marito perpessam injurias usque ad vulnera & sanguinem, tandem linteolum in suo sanguine tinctum ad fratrem cum hisce misisse: vide frater quid ego patior à conjuge. Virgo autem Spes nostra, onus purificationis sustinens, & post illud toleratum & sustentatum, gladium doloris à Deo recipiens, quid loquitur suis, & inprimis, purgationis egentibus? utique illud. Vide fili, quid ego à Deo patior? matrem me esse suam voluit, & quasi de immundis unam stare quadraginta diebus fecit. Honorem Virginitatis nascendo de me, mihi non abstulit, in publico tamen non fori sed templi quasi floris vacuam, (*e*) & sine lilio relictam, inter plebeiarum spinas matrum confudit: difficilis tempore anni iter durum injunxit, & lubens suscepi: expectabam patientiæ meæ solamen, & ecce dolor:

(*b*) *Luc.* 2. 45. (*c*) *Interlin. ibi. origen. ibi. Telet. ibi. annot.* 58. (*d*) *Greg. Turon. l.* 3. *c.* 10. *hist. Franc.* (*e*) *Cant.* 2. *v.* 1.

Sperabam obedientiæ dulce præmium, & ecce gladius. Vide munde quid ego à Deo patior, & te immundum ad gladium doloris & pœnitentiæ compara & instrue. (*f*) Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas, orant multitudine innumerabiles peccatis pergraves: sed isti, vertant in se arma primi: stringant contra se gladios, & qui se impie reciderunt à Deo, amputârunt de cœlo, scindent non vestimenta sua sed corda (*g*) Forsan, tu qui hæc oras, hic urè, hic seca, habes lectum venere sordidum; portas sacculum, alieno turgidum; habes dentem, famæ hostem; possides ædem, & in æde periculum: Exere impetum, evagina gladium, suscita ignem, & hic seca, hic ure, non parce tibi in tempore, ut parcat tibi DEUS in æternitate. Seris inter fratres discordiam, inter honestas aures nugandi licentiam, inter pocula rixas, in pace bellum: hic ure, hic seca, hic in te ut in truncum inferni ferro pœnitentiæ grassare: hic in te verte gladium ut vivas (*h*) Stanislaus Radivilius Princeps imperii, & M. Ducatus Lithuaniæ Cancellarius dignissimus, pietate in Deum, fide in patriam, quin & monumentis ingenii perquam clarus, refert, latronem quendam multis annis publicas infestasse vias. Hic tandem ferinæ ac cruentæ pertæsus vitæ, statuit apud se, silvas quas scelere infamaverat, sanctiore vita sacrare: sed hiatu desperationis, considerans enormitatem mul-

(*f*) *sic Virgo.* (*g*) *Joel. 2. 13.* (*h*) *Stanislaus Radivilius in opusc. vernacula lingua edito.*

multiplicis culpæ, absorbebatur, & à bono proposito retrahebatur. Interim occurrit illi unus lapis, & cum lapide cogitatio hujusmodi, si poterit medium hujus lapidis, meus penetrare ensis, & mihi Spes ad pœnitendum relicta est. Quid multis? exemit macheram, percussit lapidem, & veluti ceram mollem suo ferro pervasir, & mox in humum sese prosternens, vale cruente ensis, jam alium sequar: incipiam me, qui alios dividere hactenus scivi. Tu autem Domine, qui non vis mortem meam, & ostendis dulcem in me voluntatem tuam, sicut bona initia jecisti sic ædifica tuo favore, & fini, quod cœpisti. Et finivit feliciter intra anni curriculum absolvens suæ pœnitentiæ debitum, & post exitum miraculis coruscans. Quid tu putas Christiane, an istius animam Sanctus pœnitentiæ & doloris gladius non perrupit, cujus ferrum lapidem transivit? In hoc uno, habes donum geminum, Spei signum, pœnitentiæ incitamentum: super hæc autem, in Matre divina tibi refulget & doloris, & Sanctæ spei gratia, ac nota Accipe igitur gladium Pœnitentiæ sanctum, (i) tibi per manus & animam MARIÆ missum, ut dejicias in isto munere Dei, ejus & tuos adversarios. (k) M. Græciæ Theologus, & in pace Martyr Nazianzenus, cum non posset gruum sive anserum (sic vocavit discordes, & iniquos Episcopos) ferre synodum, valedicens suis, inter alia brevibus ita

(i) 2. *Mach.* 15. *v.* 15. (k) *Greg. nazian. in orat. discessus. Bzovius. in ann. eccl. anno* 381, *num.* 12. & *num.* 16.

affatus est. Mementote lapidum meorum, quia scilicet, ut pœne extincta consubstantialitatis fides & gloria reviviſceret ipse imbrem lapidum ab Arianis pertuli. Vos autem peccatores, imò & nos, hujus latronis lapidem, & MARIÆ doloris ensem portemus in memoria, ut primum ad purgationem pœnitentiæ, deinde ad patientiam, justorum erigamur, & sic in filios SPEI conscribamur.

§. 6.

ORat Seraphicus Magister ad Virginem: (a) *sæpe expugnaverunt me à juventute mea inimici mei, libera me Domina & vindica me ab ipsis.* Quæ verba sumpta sunt ex Davidico psalmo: (b) ibi dicitur, sæpe expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi. (c) Ubi clarum est illud, expugnaverunt impropriè sumi, pro oppugnaverunt, unde in Hebræo stat, *sæpe angustiaverunt*, in græco, *bellaverunt*, (d) sed quando non potuerunt prævalere, oppugnaverunt non expugnaverunt, bellârunt non debellârunt. Nihilominus vox expugnaverunt, indicat atrocem inimicorum conatum & assultum, quasi ea vi, & armorum potentia sibi institissent. (e) ut parum abesset quin expugnarent. Felix Israel qui canere Domino canticum graduum potest, sæpe me oppugnaverunt, sed mihi non potuerunt. Plures forte sumus qui in sincera ver-

(a) *Bonav. in psal. mag. B. V. versu* 128.
(b) *Psal.* 128. 1. 2. (c) *Genebr. Lor. ibi.*
(d) *Bellar. in ps.* 128. (e) *Anon. in psal.* 128.

verborum proprietate non canimus sed gemimus, sæpe expugnaverunt me à juventute mea, & repetimus, sæpe expugnaverunt, etenim potuerunt mihi. Subdit S. Bonaventura: *fac nos digne & laudabiliter pœnitere, ut beato fine ad Deum veniamus.* Et verò dignè ac laudabiliter pœnitere nôrunt qui MARIÆ sese credunt. In hymnis græcorum datur geminus ad nostrum propositum serviens. (*f*) Virgini Matri titulus alter: *Virgo, tu es pelvis emundans conscientiam nostram*: alter: *tu mater es gladius virtute exacutus, inimici caput abscindens.* (*g*) Sententia fuit S. Bernardi omninò vera, pœnitentia, æternitatis imago, omnia tempora complectitur, præteritum quod redimit, futurum, cui prospicit, præsens quod mundat. Vide autem qualiter Spes nostra Virgo, ad laudabilem pœnitentiæ operam nos optimè disponere valeat. Pelvis enim mundat præterita inquinamenta, & præsens tempus emaculat: gladius autem futura mala ne noceant cœdit & amputat, & ne in agone nostro Diabolus triumphet caput illi abscindit. Sic illi auferens caput, nobis confert coronam, ut meritò quod S. aurei oris de gladio dixit Pauli, (*h*) nos ejus gladio, virtute exacuto acclamemus, sit mihi gladius MARIÆ pro corona. Et verò non sum nescius dignum pœnitentiæ laborem, esse opus arduum & magnificum & multum sumptum

(*f*) *Hymn. Græcor. apud Buteonem.* (*g*) *Menæa Græc. 5. Mart. in vesper.* (*h*) *Chrysost. hom. de SS. Petro & Paulo.*

ſumptum requirens, (*i*) quo muri qui corrue-runt peccantibus, reſurgent ut ſcintillent, juſtis. Minuit tamen laborem Virgo, & ſumptum adfert de ſuo. Ipſa enim eſt VAS emundans conſcientiam noſtram. (*k*) VAS, ſed cui mare, cedit Salomonis, imò & omnis gentis: hoc enim VAS dilecti Magni filii adfert ſanguinem, & gementis alterius filii parvuli miſcet cordis ſudorem, deniqne his duobus, lactis ſui adjungit compoſitionem: ſic autem, quantumvis denigrati ſuper ollas Ætnæ, (*l*) & carbones juniperi Æthiopes emundantur, & accipiunt candidum byſſinum. Clamant illi, munda me purificata, & mundantur. Olim fuit in more poſitum, ut ſole deliquium patiente, cum vacuis pelvibus prodirent, easque pnlſarent mortales, quaſi ſuppetias laboranti ſideri laturi. Eum nos morem imitamur, cum diliquium in ſplendore Fortunæ noſtræ paſſi aut paſſuri, ad Virginem ſupplices recurrimus, eamque grandibus votis pulſamus: utinam vel partem tanti affectus ad pelvim & Spem noſtram purgantem confereremus, ut à maculis animi, ejus ope emundari poſſimus. O miſera anima rationalis, ô miſera! bos & eqvus, majus habet apud pleroſque pretium, præ te! Pro his enim pulſatur gemitu Sanctiſſima cœli Pelvis, pro te immunda, aut non, aut parum.

§. 7.

JAm verò cur (*a*) Bonaventura digne & laudabiliter

(*i*) *Pſal.* 50. *v. penul.* (*k*) 3. *Reg.* (*l*) *Arnob. in pſal.* 73. (*a*) *Bonav. ubi ſupr.*

dabiliter pœnitere petierit causa est, ut beato fine ad Deum veniamus. Sicut ipsa Virgo pelvis sibi fuit cum purgationis leges servavit, non mundans labem, sed addens nitorem ad nitorem, & deinde cum Deo venit ad Deum. Porrò ad hoc fortunatissimum itinerarium quis Virgine Ductor certior & securior? *Non potest quiescere illa*, inquit Bernardus. (*b*) *donec peccatorem à desperationis barathro pia manu retrahat*, Spei medicinam aspiret, & horrendo judici miserum reconciliet. Vidit quispiam per terrarum viscera penetrans, Rachelem in limbo sedentem, & amare flentem, ac clamantantem, (*c*) *non revertentur filii mei ad terminos suos, non revertentur, Spes recessit, non revertentur*: & afflatus Deo, solatur eam: *quiescat vox à ploratu, & oculi tui à lachrimis, quia est spes novissimis tuis, & revertentur filii ad terminos suos.* Nos autem cum ad fratres nostros qui nos præcesserunt, sed ita errantes, ut amplius eis ad terminos redeundi pacis, Spes non supersit (nam à fine recessisse ultimo eos cognovimus) cum inquam ad fratres nostros respicimus, non possumus non exagitari animo, & in lachrimas liquescere: sed & scientes, quia si quando, in ultima vitæ hora transeunda sunt latera mille periculis & hostibus plena, ambulandum super leones & dracones, (*d*) super basiliscos & aspides, non possumus de nostra salute multum non esse solliciti, ac suspensi, ne forte quod

(*b*) *Bernar. in deprecat. ad B. V.* (*c*) *Jerem.* 31, 17. (*d*) *Psal.* 90, 13.

quod illis, hoc nobis contingat. Verùm cum ad te benedicta respicimus ô Spes nostra Virgo, tua voce reficimur, quiescat vox à ploratu, & oculi tui à lachrimis: quia est spes novissimis tuis, & mei filii, filii Fiduciæ, ad terminos revertentur, nunc exulant, nunc & sæpe errant, si me tamen Rachelem suam non deserunt, ad terminos pacis & vitæ revertentur. Narrat Augustinus Mannus, (e) Italum quempiam quotidie illam precatiunculam, sub tuum præsidium confugimus, pie recitare solitum fuisse. Is prope littus ambulans cum in hostes suos sclopetis armatos incidisset, nec eorum vim aliter declinare posset, insiliit in cimbam quæ littori adhærebat, eamque in alterum fluvii littus propellere cœpit: hostes tamen globis eum assecuti, non semel mori coegissent, nisi patrona Virgo, sese interposuisset. Sic autem factum, ut pallium lacerum, corpus omninò salvum domum referret. Quod isti in vitæ cursu, hoc omnibus in MARIÆ præsidio Spes suas collocantibus, in ejusdem decursu eveniet. Ibimus & nos in alterum præterfluentis mortalitatis littus, ibimus, & nostrum latus, ingens hostium circumstabit exercitus, ignea tela excutiens, & mortem immortalem intentans. Verumtamen, si Virgo post Deum, nostra altera Spes est, (f) non confundemur cum loquemur inimicis nostris in æternitatis porta: excutient illi tela & nos ridebimus: instruent accusantia ora quæ Virgo claudet. (g) *In mali-*

(e) *Aug. mannus in select. exempl.* (f) *Psal.* 126. *ver. ultim.* (g) *Prov.* 4. 32.

malitia ſua (inquit Sapiens de inſipiente,) *expelletur impius, ſperat autem juſtus in morte ſua.* Ut autem ſperet in morte ſua, millies & infinities repetat, Salve, ſalve ſpes noſtra Virgo, in vitâ ſuâ.

ARTICULUS VI.

SALVE SPES NOSTRA ASSUMPTA.

§. I.

MAgni Salvatoris transfigurationem, ejus autem Auguſtiſſimæ matris Aſſumptionem, qui conſimilia aſſeruerit, à vero non errârit. In transfiguratione Dominica, (*a*) gloria reſurrectionis demonſtrata eſt ex ſenſu Patrum: in aſſumptione autem Virginali, non ſolum monſtrata eſt, ſed & conſtanter perfecta: ſiquidem Chriſti reſurrecturi gloria oſtenſa eſt ad modicum, & ſubtracta ac obnubilata ad tempus non exiguum: Sicut etiam ſplendor transfigurati ſolum reluxit in facie, non autem toto in corpore: Aſſumptæ autem Virginis decorem & lucem, tota anima tota caro diffudit quæ non defluxit. Ibi ait interlinearis gloſſa, (*b*) gloriam majeſtatis oſtendit, quam tamen humilitate ſervi patientis & morientis obruit: hic autem eam quæ ut ait S. Cyprianus (*c*) *genuit majeſtatem*, cum majeſtate regali non unquam interitura & occaſura, cœlorum latitudini explicuit. Ibi Dominus ex mente

(*a*) *Remig. in c. 17. Matth.* (*b*) *Interlin. ibid.*
(*c*) *Cypr. ſerm. de natal. Dom.*

mente S. Hieronimi, (*d*) qualis futurus eſt tempore judicandi, talis apparuit Apoſtolis: cum Moiſe enim & Elia, (*e*) (dat cauſam Hilarius,) quibus teſtibus eſt prædicatus, judicabit Iſraelem: MARIAM autem qualem aſſumptam vidit cœlum, talem in judiciaria nube ſedentem conſpiciet, ad judicium ſuſcitata & convocata terra: (*f*) nempe ſole amictam, ſideribus coronatam, Lunâ calceatam. Chriſtus D. in transfiguratione fatur D. (*g*) Thomas teſtimonium habuit de cœlo à Patre, de inferno à Moiſe, & ab Elia de Paradiſo, à diſcipulis de terra. Virgo item Mater cum dignè ad filium aſſumitur, omnis mundi teſtimonio, dilecta ejus mater in qua ſibi ille complacuit, comprobatur: Angeli enim de cœlo, mors de ſepulchro, Diabolus de inferno, Apoſtolus de humo, eam gloriæ Dominam, & dexteræ filii Aſſiſtricem prædicaverunt. Denique quod maximè ſimilem Matrem exaltatam, transfigurato filio facit, illud eſt, quod dixit Bernardus: (*h*) *Chriſtus in ſua transfiguratione elevavit Spem noſtram.* Num enim cum Dominus Matrem ſuam de forma mortali ad immortalem transfudit, & ſuper Choros Angelorum elevavit, non elevavit illam ut Spem noſtram? (*i*) Solemne quondam fuit Romanis, imperatores ſuos vita functos, publico in loco, odoratis ac pretioſis ſuppoſitis lignis cremare, & emiſsâ

(*d*) *Hier. in c.* 17. *Matth.* (*e*) *Hilar. ibid.*
(*f*) *Apocal.* 12. 1. (*g*) *S. Th. in comen. Matth.* 17. (*h*) *Bern. ſerm. de transfig. Dom.*
(*i*) *Alex. in diebus genialib. l.* 3. *c.* 7.

missâ in cœlum patens Aquilâ, consecratio, consecratio conclamare & inter Divos cœlo receptos venerari. Cur verò? credebant enim eos in supera translatos, Spem & Tutelam imperii Romani futuros: quasi ii qui vivi rexissent & protexissent fortunam Quiritum, inter Deos relati, amplius eam curaturi forent. Quod si falsa superstitio, Spem suam cum Imperatoribus consecrari elevarique credebat, quantò sapientius Christiana veritas dum divinam Matrem, in cœlos totam elevatam credit, cinerique & morti ereptam, Spem suam elevatam confitetur & exultat? Et de hac nobis parvulis grandis sermo restat, interim, accipe Magna & publica Spes mundi, exilem famulorum Susurrum, & salve Spes nostra Assumpta.

§. 2.

DEus & Dominus noster Christus JEsus, spes hominum omnium non semel divina vocatur in pagina. Sufficiat interim illud Apostoli, illustrissimum: (*a*) *Deus autem Spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo.* Advertit autem Justinianus nomine, DEI SPEI, Christum innui, de ipso enim versu proximo præcesserat: radix esse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Porrò Christus D. Spes nostra, tribus potissimum officiis spei, nostræ se commendat fragilitati: primò quidem quia ut spes virtutem habet trahendi ad se: deinde quos traxit ad se, ele-

(*a*) *Rom.* 15. 13. *Justinian. ibi, Rom* 15. *v.* 12. *ex Isai. c.* 11. 10.

elevandi ſecundum ſe, tum denique ut ſpes laborem, & dolorem, à ſperante aufert, ſic ipſe extrahit omne malum de animis in ſe ſperantium. Primum & ſecundum, verba ejus nobis perſuadent. (*b*) *Ego* inquit, *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Audis: traham, an dubitas ei virtutem trahendi ineſſe? an ſolus Pater trahit hominem ad filium, & non etiam filius ad patrem? (*c*) *an ovis ramo viridi, puer nucibus, miles lauro trahitur, & non fortius anima virtute veritatis quam amat & præponit ſibi ſuper omnia?* Rectè cum Auguſtino (cujus verba præmiſi) Chriſoſtomus: (*d*) filio trahente Pater trahit: dicit verò traham, quaſi à tyranno detentos, & per ſeipſos non valentes accedere, & illius manus effugere. Videt Ezechiel quendam humana ſpecie auguſtum, (*e*) cujus corpus à capite ad lumbos, Speciem pellucentis ſuccini referebat, inde autem cœtera membra ignis videbantur. (*f*) Complurium ſenſus eſt, hac perſona exprimi Salvatorem, qui mundo iſto quaſi curru utitur & vehitur, & in animos fidelium ut honoretur amplius, in mentes autem infidelium ut cognoſcatur neſcitus, invehitur. Sancti autem hunc currum trahunt, quoniam ſancti, ex mundi cognitione, & ordine, Deum ut ſciatur & honoretur, applicat. Cur autem ſuccino indui-
tur

(*b*) *Joan.* 12. *v.* 12. (*c*) *Auguſt. tract. in Joan.* 26. (*d*) *Chriſoſt. in c.* 12. *Joan.*
(*e*) *Ezech.* 1. *v.* 26. 27. (*f*) *Hieron. ibi, Pradus. ibi.*

tur pellucido? Succinum paleas & festucas, Christus autem omnium corda trahit ad se. Quare maximus in sacra scriptura Magister: (g) certè inquit *fulgor & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se venientes poterat trahere aspectu.* Et pergit probare quod dixit. *Si enim in magnete lapide, & succinis, hæc esse vis dicitur, ut annulos & stipulas, & festucas sibi copulent, quantò magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos vocabat.* Non solum autem trahit Christus ad se mortales, sed etiam elevat sursum. *Ego* inquit (h) *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me*: q. d. exaltatus exaltabo, elevatus elevabo. Quomodo verò exaltatus Dominus, exaltat suos? Exaltatio ista de qua apud Joannem loquitur Dominus, (i) non fuit alia ex ejus mente, & Doctornm, nisi ascensus, & sublimitas crucis, & in cruce mortis. Exaltatus autem JESUS ad crucem, traxit homines ad crucem, prius credendam, postea ferendam. An verò hoc grande opus, an magnitudine Divinâ par & dignum? Certè Chrisostomus, (k) & bene, paucis magna indicavit, cum dixit, explicans illud, omnia traham ad me. *Plus hoc est quam si dixisset resurgam*: Credere ergo in crucis Dominum, & crucis ferre pro modulo tormentum, majus est resurrectione? ita omnino, Sicut enim Domi-

(g) *Hieron. l. 1. in Matth. c. 9.* (h) *Joan. 12. 12.* (i) *Aug. tract. in Joan. Chrisost. ibi. Remig. Joan. 12. 12.* (k) *Chrisost. ubi supra.*

Dominus grandius fecit miraculum gratiæ & charitatis, cum crucis aſcendere dignatus eſt lignum, & in ligno emittere ſpiritum], quam cum eum tertia luce recepit: ita quem ad conſortium ſuæ crucis dignanter ac benignè admittit, plus illi doni quam ſi de morte eriperet, impertit. Nam donum reſurrectionis etiam ad improbos extendetur, (*l*) munus autem crucis, ſolos quærit electos, nec gloria reſurrectionis, ſuperat exaltationem ad munus crucis: quoniam Illa, ſolum corpus in melius immutat: iſta autem omnia quæ ſunt in homine, ad nobiliſſimam Chriſti imaginem ſublimat. Audi Auguſtinum qui exponens illud, (*m*) *omnia traham ad me, omnia inquit, Spiritum, animam & corpus*. Quod ſi exaltatum in cruce Dominum, dubitas poſſe trahere ſuos ſurſum, intuere S. Lucianum Martyrem, quem Maximianus Imperator, nonniſi interpoſito inter ſe & vultum ejus velo, voluit alloqui Fama enim ad eum detulerat, nec vana, Luciani, non tantum ſcriptis, erat enim doctiſſimus, non ſolum verbis, erat enim diſertiſſimus, ſed ipſi faciei eam inſidere virtutem, ut aſpectu ſolo ad Chriſtianæ fidei gloriam & amorem Dominicæ crucis, poſſit pertrahere & elevare. Si tantum famulus & non plus Dominus? Quapropter currit mundus ad crucis Chriſti conſortium. Vis cauſam ſcire? ibi induitur novi regni purpura. Audi Tilmannum, (*n*) qui cum dixiſ-

(*l*) 1. Cor. 15. ỽ. 51. (*m*) *Aug. tract. in Joan. Sur. 7. Janu. in vita S. Luci. M.* (*n*) *Tilmanus in alleg. in Matth. ex S. Petr. Chriſol.*

dixisset *vellere Agni qui tollit peccata mundi, mundo regium indumentum esse contextum*, additur, *quod in purpureum fulgorem cruor tingeret passionis.* Ibi, invenitur gradus & scala ad regnum cujus non erit finis. Fatur Leo tu audi (*o*) *qui sanguine suo mundum redemit, viam aperit ad cœlum, & per crucis supplicium gradus vobis, parat ascensionis ad regnum.* Porrò tertium Christi D. primæ nostræ spei officium est, extrahere de nobis omne malum. Quod vide ut clarè fateatur Evangelium. (*p*) Omnis inquit turba quærebat eum tangere. Cur autem? quia Virtus de illo exibat & sanabat omnes. Quid est autem sanabat omnes? malum quod inerat corporibus evocabat, bonum sanitatis quod non inerat, infundebat. Exibat virtus, non minuens Domini virtutum Vires, & simul exibat mors, & morbus, ab eis quos illa tangebat. Sicut & peccatorum venena non poterant ibi subsistere, ubi Rex vitæ, Medicus cœli aderat.

§. 3.

CÆterum quod Dominus habuit, in Matrem assumptam, quantum illa potuit capere, totum transfudit, non enim volebat se ab illa vinci. Illa, omnia membra sibi dedit: ipse illi plenitudinem gratiarum refudit. Ergo spes nostra, Spem nostram, ipsam fecit. An autem succino & electro suo, ut nos stipulas traheret, induit? omninò. Et ipsa enim in cœlos elevata, in throno gloriæ exaltata, omnia trahit ad se.

Corpo-

(*o*) *Leo m. serm. de transfigur.* (*p*) *Luc. 6. 19.*

Corpora quæ puritate ornat, animam quam fide munit, Spiritum quem charitate implet. Non unus calamus Sanctorum prodidit, (q) MARIÆ in terris adhuc peregrinantis aspectum, ad castimoniam fuisse magnetem, nonne verò plus nunc illa potest conjuncta quàm disiuncta à filio? Itaque quæ olim vultu, nunc nominis sui sonitu frangiti vires cupidinis. (r) Expertus est hoc rex Galliarum, qui cum captivæ cujusdam Virginis amore exarsisset, per nomen MARIÆ obtestatus ut pudori suo parceret, pepercit. Et retulit deinde felicem vitæ suæ cum rara cordis contritione exitum. Quis autem animas ad fidem, Spiritus ad perfectionem Charitatis vocatos ope Virginis enumeret? Trahit sua quemque voluptas, ait Poeta. (s) Cujus verba ruminans S. Augustinus, *trahit* inquit (t) *non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio*, quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum per MARIAM qui delectatur beatitudine, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? (u) Trahe me, petit virgo in Canticis: & promittit, se tractam in odorem unguentorum sponsi Domini, cursuram, at non solum in odorem inquit, unguentorum tuorum curremus. Q. d. ego tracta à te, traham alias item ad te: tracta ad beatitudinis terminum, traham item ad ejusdem felicitatis consortium: tracta ad vitam sempiternam,

(q) *Canis. in suo mariali.* (r) *Carolus* 8.
(s) *Virgil. ecloga.* 2. (t) *Aug. tract.* 26. *in Joan.* (u) *Cant.* 1. 3.

piternam, (x) traham ad vitam sempiternam. Non veniam incomitata, sed mecum accurrent etiam adolescentulæ comites meæ. Ego ista verba Canticorum plurimum Assumptæ Matri convenire video, siquidem explicant authores ea de amoris languore, quasi dicat, sic amoris languore debilitata sum, (y) ut nec pedibus valeam consistere, minus autem ad te volare, vel te velociter currentem consequi. Quare trahe me ad te: venire percupio, amore deficio, mors mea languor charitatis. Non alio premente morior, nisi pondere amoris, quia te desidero stringere & occupare. Satis vitæ datum est, cujus gustus tua voluntas, cujus sapor, tua dispositio: non me morbus in tumulum frangit, sed vita æterna quæ in te est, sed beatitudo cujus in te est plenitudo, fibulam mortalis vitæ solvit & divellit. Ergo, trahe me ad te, & ego tracta traham adolescentulas, quæ te nimis diligunt, post me ad te. (z) Vide autem quos tracturam se promittit Virgo, nempe adolescentulas. Angelicus Doctor Spei naturalis motus & impetus in senibus docet deficere, (aa) in juvenibus autem abundare & vigere. Cujus causam attexit, *quia in juvenibus propter caliditatem naturæ, & multitudinem Spirituum cor ampliatur, ex amplitudine verò cordis est quod aliquis ad ardua tendat, & ideò juvenes sunt animosi & bonæ Spei.* Sic

 ille.

(x) *Menoch. in 1. Cant. ver. 3.* (y) *Bernardus ser. de assumpt.* (z) *Cant. 1. v. 2.*
(aa) *1, 2. qua. 40. ar. 6. corp.*

ille. Porrò Virgo SPES nostra, inter eos quos amat non discernit, si juvenes accipit, juventuti eorum conservandæ attendit, si Senes, eorum fervorem & juventutem, ut aquilæ ætatem lassam renovat. (*bb*) Nemo in aula ejus vetulus, nemo Spe torpens & putridus: nulla in gyneceo ejus, curua & degravata in terram, omnes adolescentulæ & spe erectæ in cœlum, quia ipsa calorem cordi, amplitudinem Spei animæ, Spiritus multæ fiduciæ infundit. Cuncti & cunctæ in choris ejus, stantes, & in circulum beatæ æternitatis junctis manibus & vocibus currentes personant, (*cc*) non possum perire, præ pietate MARIÆ. Spes de gloria Paradisi in corde illius, qui devoto animo honorificaverit illam. (*dd*) *Quibus auxiliata fuerit Domina, erit eis refrigerium pacis, & à quibus averteris vultum tuum, non erit Spes ad salutem. Qui confidunt in te, non timebunt colubrum tortuosum, & qui exaltant te præconiis, evadunt manus Acherontis.* Sic cantant, sic jubilant, qui in castris MARIÆ, sub vexillo certæ fiduciæ militant. Nunc si placet confer latitudinem cordis quam Salomon divinitus accepit, cum magnitudine animi quam Virgo in suis ampliat ac delatat. Sapientior inventus est (*ee*) Salomon Ethan, explicat S. Hie-

---

(*bb*) *Rupert. in Cant.* 1. (*cc*) *Bernar. signum magnum.* (*dd*) *Bonav. in psal. majori B. V. in versu confite. Idem ibid. in ver. jubilate. Id. ibid. in versu Domina exau.* (*ee*) *Hieron. in tradit. Hebr.* 3. *Reg.* 4. 31.

Hieronimus, ipse est Abraham orientalis: Eman, ipse est Moises: Chalchol, ipse est gubernans Joseph. Disputavit præterea Salomon, à cedro Libani, ad hysopum parietis. Vicit Astrologos cognitione siderum: (ff) Geometras, dimensione terrarum: Poëtas, suavitate carminum: Sophos, scientia naturarum, acutos sapientia proverbiorum. Addit autem Josephus, (gg) eum modos didicisse & conscripsisse, quibus conjurati dæmones verterent loca nec repeterent. Hæc autem capacitas intelligentiæ, (hh) num latitudo cordis? sic dicitur. At qualis? quasi arena quæ est in littore maris: hoc est innumera. Quanti pretii? innumeri. (ii) Omnes mali extra numerum sunt inquit Augustinus, uno quod est necessarium unicè & maximè caruit, (kk) Dei timore à quo recessit, vera religione quam corrupit: inter arenas voluptatum qui latitudine cordis pollebat, hoc est intelligentiæ, (ll) hæsit, miser: an autem molibus earum non sit obrutus & sepultus æternum, sæcula litigant & certant de eo: Scimus eum de cedro altissima, ad vilitatem hyscpi ad cultum scilicet Deorum descendisse an inde autem ad cedrum gloriæ sese reduxerit, & medullam ejus rapuerit, incertum est. Spes verò Nostra, dulcis Virgo, ita ampliat suorum pectora, adeò di-

(ff) *Liran in 3. Reg. c. 4. Theodor. ibid.*
(gg) *Joseph. l. 8. c. 2. antiqu.* (hh) *Menoch. in 3. Reg. c. 4.* (ii) *Aug. in psal.* (kk) *Luc. 10. 42.* (ll) *Liran. in 3. Reg. c. 4.*

latat eorum viſcera, ut ſcientia juſtorum, ut prudentia ſalutis anguſtentur nunquam, etiam in arcto naturæ, arctum non patiuntur gratiæ: & in ſtricto cadentis vitæ, amplum tenent Spei & fiduciæ: Itaque eorum cordis latitudo non arenæ littoreæ quæ nullius pretii eſt, ſed expanſioni ſiderum comparanda eſt.

§. 4.

TRacta igitur trahit Spes noſtra ſurſum, an etiam elevata in ſublime, rapit & elevat in ſublime? (a) Ingreſſus in Sancta Sanctorum, Amor Seraphinorum Propheta, videt unum montem in vertice montium, in ſubjectione collium, à tribus divinis perſonis parari, extrui, ſolidari, & afflatus numine altiore intonat venturis ſeculis, *erit* inquiens, *erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* (b) Mons iſte caput & corona Montium, Eccleſia Chriſti eſt, & in ipſa Eccleſia, Mater Virgo, tanquam primaria pars Eccleſiæ, & proximè conſerta capiti Chriſto, ſecundum interpretes, quos allegabo. Montes terrarum vulgò ex cumulis pulverum, aut ſaxorum congerie coaleſcunt: Virginem autem qui ſibi in montem ſelegit, & in domum præparavit, ex omni pretioſo lapide compegit. Illi cedit princeps Tyri, illi Angelorum, (c) deinde decollatum caput. Ex cunis eum metire. Omnes terraru

(a) *Iſai.* 2. 1. (b) *Hieron. l. in Iſai.*
(c) *Ezech.* 28. 12.

rum montes quos fortunæ favor deaurat, in cunis pulvisculi, Virgo fasciis involuta, mons magnus, mons de montibus. *Exultate* clamat B. Damascenus, (*d*) *montes: siquidem clarissimus Dei mons paritur, mons inquam ille, qui collem omnem ac montem, id est Angelorum & hominum sublimitatem exuperat.* Dicitur autem mons iste præparatus, hoc est ante alios factus, (*e*) quia dignitate præcedit; præparatus autem à Deo, quia ipse ut fundavit sic consummavit eam altissimus. Fundavit eam in Sapphiris, non una autem Saphiro: quia non solum sanctam infantiam evoluta de visceribus Matris nacta est Virgo, quomodo nos: sed præterea antecedenter, & conceptio & nativitas ejus Saphirus, nam pretiosa & munda. (*f*) Unde alius textus effert, mons cœlestis. Sicut autem fundatus mons iste in Saphiris tribus sic consummatus in calculo novo, quem nemo taxare potest præter DEUM, (*g*) scilicet in Christo, tanquam vera & digna Mater ejus. Additur, mons iste præparatus in vertice montium, non in fundamento, nec in medio, quoniam interprete Gregorio M. *altitudo MARIÆ super omnes sanctos refulsit*, (*h*) adeo ut meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis erexerit. Omnes ergo montes & colles cœli omnes

(*d*) *Damasc. or.* 1. *de nativ. B. V.* (*e*) *Isai.* 1. *v.* 1. *textus alius Psal.* 86. 5. *Isai.* 54. 11.
(*f*) *Isai.* 2. *v.* 1. *textus alius.* (*g*) *Apoc.* 2. 17.
(*h*) *Greg. in lib.* 1. *Reg. c.* 1.

latent sub MARIA, quia majores & minores simul & in unum conferentes sua merita cumulum, illam æquare non valent. Sicut autem elevatur Virgo meritis supra merita cunctorum Comprehensorum, sic & gloriæ magnitudinem eos præcedit. Erexit verticem meritorum usque ad solium Deitatis, sedet item in excelso throno ad latus Salvatoris. Alloquens eam Augustinus, (i) *ubi posuit* inquit *rex filius tuus quod ex te suscepit, ibi te posuit Reginam, de qua illud sumpsit. Neque enim fas est te alibi esse, quam ubi est, quod ex te genitum est.* Hic igitur mons in cœlos receptus, imò supra omnes cœlos rationales elevatus, quid agit, quid molitur? Quiescit in gloria Filii sibi, non quiescit nobis. Voluptas est totius terræ gaudium omnis Ecclesiæ, trahit omnes gentes sursum, elevat in altum Quomodo non trahit sursum, quando omnes gentes ad illum fluunt sursum? (k) *Aquæ multæ, populi multi*: omnes aquæ, omnes gentes, & tamen aquæ istæ non defluunt in præceps, non ruunt in profundum, sed contra de profundis ascendunt, de ruinis surgunt, de imo fluunt sursum. Hortantur sese fluvii nationum, exhortantur & urgent Maria regnorum, & rivi rivis, & guttulæ guttulis murmurant & susurrant, ad montem montium, ad montem DEI, ad MARIAM spem nostram ascendamus, nitamur, fluamus. S. Hieronymus locum dictum Isaiæ expendens, (l) quomodo fluunt

(i) *Aug. serm. de assump. B. V.* (k) *Apoc.* 17.15. (l) *Hieron. l.* 1. *in Isa.*

fluunt ad montem Domini omnes gentes, adducit alterum testimonium ex Sophonia, venturum scilicet esse serum tempus, (m) quo, reddito sibi labio electo, omnes populi servituri essent humero uno. Et pergit, (n) secundum suam versionem, ex finibus fluviorum Æthiopiæ afferent tibi hostias. Nonne verò vide vulgatam *ex finibus & flubius Æthiopiæ fluunt ad Virginē, & per eam ad Deum populi, quando peccatores à suis Patribus conscientiæ desperati, (o) & toti non solum fuligine scelerum induti, sed etiam umbrâ mortis, hoc est Spiritu diffidentiæ denigrati, MARIÆ sese commendant, & solatia misericordiæ divinæ inventa referunt?* (p) Vulgata legit. Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferunt munus mihi. Quid ultra Æthiopiam, scilicet congregationem hujus vitæ peccatorum restet vis scire? flumina ignis purgantis, ubi filii dispersi tenentur, scilicet à terrâ exclusi per mortem, à cœlo non recepti per culpam. Inde quoque fluunt populi lachrimabiles & supplices seu per se, seu per alios ad Montem Virgineum, & à spe sua non fraudati, sed solatiis temperati ac conditi, munus laudum ei Deoque persolvunt, utpote qui Matrem suam Spem & auxiliatricem fecerit, tam vivorum quam mortuorum Æthiopum.

§. 5.

RUunt aquæ impetu de Libano, (a) ductum naturæ

(m) *Soph.* 3. 9. (n) *Soph.* 3. 10. (o) *Bonav. in spec. B. V.* (p) *Soph.* 3. 10.

naturæ suæ sequentes, grave enim deorsum tendere natum est. Interdum tamen de summis silicibus, & præacutis verticibus, velut læti hinnuli sursum exiliunt. Cur verò? (*b*) quia periculum vacui à quo abhorret omnis natura, imminere sentiunt & quantum possunt impediunt. Christianæ autem gentes cur in montem domus Domini fluunt? non est alia urgentior causa, nisi quia vacuum non naturæ sed gratiæ, non Spiritus aërei, sed ætherei, ut est humanus, metuunt, illudque propulsant. (*c*) Virgo est in pleno, nos pœnè in vacuo: illi torcularia redundant oleo, nobis modicus lecithus: illi horrea stant ubertate fœcunda, nobis pugillus adest tantum farinulæ. Illi cellaria sudant unguentis, nobis vix modicum quid suppetit, ut ungamur. (*d*) De plenitudine ejus ut sumant, fluunt ad ipsam gentes. Neque enim tantum ait Bernardus, (*e*) *plena est sibi, sed etiam superplena nobis.* Et hæc superplena non stringit apud se beneficentiæ fontes, sed derivat, foris in plateis. Fluunt ergo ad ipsam gentes. Expertæ & experturæ, quia refluet & refundit Virgo flumina pro rivis. Loquens Dominus de fidelibus crediturisin se, (*f*) *qui credit* inquit *in me, flumina de ventre ejus current aquæ vivæ.* Quis est iste venter fidelium qui missurus est de se flumina? cor Deo plenum, viscera Spiritu S. afflata. *Ventris viscera sunt*

(*b*) *Arist. de font. orig.* (*c*) 4. *Reg.* 4.
(*d*) *Joan.* 1. v. 16. (*e*) *Bern. serm. sign. magn.*
(*f*) *Joan.* 7. 38.

sunt inquit Gregorius, (*g*) *recta intentio, sanctum desiderium, humilis ad DEUM, & ad proximum pia voluntas.* Cur autem flumina, & non unum flumen cordis venter effundit? respondet Chrysostomus, flumina dicit, non flumen, (*h*) copiositatem & ubertatem insinuans. Quæ sunt autem hæc dimanantia flumina? explicat Augustinus, venter interioris hominis, conscientia cordis, quæ isto liquore purgata fontem habebit, & ipsa fons erit. (*i*) Est autem fons & fluvius manans, benevolentia qua vult consulere proximo, & ideò non siccatur quia manat. Qui igitur in egentes seminat gratiam quam accepit, iste de corde suo trudit & profert flumina, quæ non siccabuntur, quia manant. Danti enim dabitur: & qui affluit aliis, non defluet, quia irrigans irrigabitur, & guttula benefaciens, vertetur in fontem, & saliet in vitam. Tu autem Spes nostra Virgo, mons es in cœlis, fons in terris: in cœlo obumbras ut mons peccatores ne disperdantur, in terra autem lavas sordidos ut mundentur, irrigas siccos, ne penitus exarescant. Et illi per te gratiis impleti, tibi elevant vocem gratiarum, aliis fundunt flumina misericordiæ operum. Hortatur Psaltes suam gentem, (*k*) *sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra.* Ubi non ait sperate in vobis congregatio populi, (*l*) retinete apud

(*g*) *Greg. in Ezec. hom.* 10. (*h*) *Chrisost. in c.* 7. *Joannis apud Emansa.* (*i*) *Aug. tract. in Joan.* 32. (*k*) *Psal.* 61. 8. (*l*) *Valent. ibi.*

vos corda vestra, sed sperate in DEO, & effundite DEO corda vestra. Quia scilicet vana spes in omni homine, in Deo autem, ejusque amicis firma. Non sta in te, non innitere spei tuæ, quia vanitas inhærebit vanitati, & vanitas vanitatem non implet, non roborat. Unde Genebrardus, illum sequentem versiculum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in id ipsum, sic ex hebræo conformat, (m) si ascendat in alteram libræ lancem inanitas, & in alteram universum humanum genus, profectò inanitas ipsa præponderabit, & ipsa vanitate invenientur cuncti leviores. Effundite ergo coram Deo corda vestra, & quicquid miseriæ, anexietatis, & curæ latet in corde, (n) proferte in lucem, proponite in spe, & evacuabit corda vestra, ab omni ærumna, & implebit corda vestra, omni concupita gratia. Unum tantum moneo, ut spe viva in illum excitati, (o) *cor in corde non retineatis*, inquit Augustinus, *sed effundatis in Deum*. Porrò voluntas Dei est, ut etiam coram matre sua, effundamus ut aquam corda nostra, in ea post Deum sperantes, & inani fiducia in vacuo & vano nostro non hærentes. (p) Ecce dictum est fluent ad illam omnes gentes. Fluent, tanquam ad Thesaurarium gratiarum, tanquam ad œconomam auxiliorum, tanquam ad eam de cujus corde misericordiæ pleno, fluunt & currunt

(m) *Genebr. in ps.* 61. *v.* 9. (n) *Bell. ibidem ad ver.* 8. (o) *Aug. in ps.* 61. (p) *Isai.* 2. 2.

runt flumina beneficiorum in omnes gentes. Vult siti perire, qui ad aquam quam domi habet, non vadit. Vult beneficiis privari qui ad eum non festinat, per cujus manus, non partem sed totum nos voluit habere Deus (q) Cum M Alexander cratere Herculeo exhausto obivisset, aliquis refertur dixisse, quod Alexandrum implevit, hoc evacuavit. (r) Illi, sunt non pauci assimiles, qui non quærentes bona Domini per manus MARIÆ, mergunt se in bonis terrenis: istis quoque, si ita finiverint vitam, adscribe, quod se implevit, evacuavit: plenus in vita, inanis post vitam, undans ante mortem, siccus & arens post mortem. Non tinguntur autem ista notâ, qui spem firmant in MARIA.

§. 6.

CHristus spes nostra, omne malum de nobis extrahit, (a) nam virtus de illo exiens, sanat morbos, pellit mortem. Imitatur verò etiam in hoc Mater filium: sedet ipsa in cœlo, & virtus ejus currit per terram, & extrahit morbidos de lectulis, mortuos de sepulchris, peccatores de laqueis, Spe destitutos de inferis. Et verò ex omnibus malis quæ humanum genus patitur, nullum est desperationis ulcere nocentius, nullum curatione difficilius. Benè hoc expressit Augustinus, qui sic: (b) *quomodo qui sibi collum laqueo ligant, inde se occidunt, quia ad eos non intrat*

(q) *Bern serm. sign. magn.* (r) *Plutarch. in apophth. græc.* (a) *Luc. 6. 19.* (b) *Aug. serm. 27. de diver.*

trat Spiritus aëris hujus: sic illi qui desperant de indulgentia Dei, ipsa se desperatione intus se suffocant, ut eos Spiritus S. visitare intus non possit. S. autem Gregorius Nazianzenus bis, (c) desperantes in se peccare docet, semel quia viam Dei gratiæ venturæ obstruunt, & semel quia exituræ suæ orationi ad Deum ostium præcludunt. Nihilominus in tam nocens horrendumque peccatum Virgo Spes nostra potestatem accepit, cui enim advertit vultum suum, eum à mortis æternæ proximo salvat exitio. Benè Kempensis Thomas: (d) *desperatus quodammodo jacui ô Domina, & tua consolatio me erexit.* Benè Basilius Seleuciensis. (e) *Quomodo clementiæ fontem prædicabo, quomodo benignitatis fluvium celebrabo? Deipara ipsa & mater mea, me veluti imperitum natatorem, tenuisti.* Quid facit in profundo imperitus natator? Utique quærit quod amat periculum, cui tamen si assistat alius nandi sciens, aquas subigit & periculum ridet. Talis est MARIA ulcere pessimo desperationis percussis: invocata assistit, & natandi ignaris, sua gratia elevante & sustentante medetur. Oranda proinde est frequenter cum D Bonaventura, (f) *ave mater orphanorum, miserere miserorum, tolle sordes & peccata, super nivem dealbata.* Docet Angelicus Doctor, & ante eum Aristoteles, & post hunc Patres, *spem id in nobis efficere, ut delectabiliter vivamus*

(c) *Nazian. de Christo patien.* (d) *Kemp. solil.* 24. (e) *Basil. Seleu. de laud. B. M.* (f) *Bonav. in psalm. B. V. quinqua* 1. *in fine.* 12. *qu.* 17. *ar.* 10. *Arist. Ethica.*

vivamus & operemur. Nam spes bona inquit Chrisostomus, (*g*) hujus vitæ labores semper imminuit, deinde vires roborat & confirmat, non animi solum, sed etiam corporis. (*h*) Et Augustinus, vires desperatione retunduntur, cum autem Spes subest, majores apparent. Hoc verò abundantissimè suis præstat Virgo, unde orat prædictus S. Bonaventura, (*i*) *medere contritis corde Domina, & refove eos, unguento pietatis.* Dilexi matrem Dei Domini mei, & lux miserationum ejus infulsit mihi, circumdederunt me dolores mortis, & visitatio MARIÆ lætificavit me. Dolorem & periculum inveni, & recreatus sum gratia illius. Orat Psaltes Deum, (*k*) *sit splendor Domini Dei super nos, & opera manuum nostrarum dirige*, Chaldæus vertit: (*l*) *sit dulcedo Paradisi à conspectu Domini super nos, & opera manuum nostrarum prosperentur.* Hoc verò exaggeratè illis evenit, qui sub tutela MARIÆ latent, nam etiamsi videantur sibi caligine inferni offusi, ubi tamen illa in cordibus eorum, reluxit, Paradisum exultationis explicat, ad operandum jucundè pœnitentiæ duræ opera promovet, & post hæc ad colligenda virtutum merita suaviter trahit & elevat. Extrahit illis pus acediæ & tristitiæ, & vigorem alacritatis & fervoris infundit. Et incipiunt cum Bernardo clamare,

(*g*) *Chrisost. h. 67. in Gen.* (*h*) *Aug. de quantit. anim. c. 22.* (*i*) *Bonav. in psal. Magno B. V. versu, beatus vir & dilexi.* (*k*) *Ps. 89. v. 20.* (*l*) *Chal. text.*

mare, (m) *fœcunditas tua S. Dei gnitrix gloriosa, fœcunditatem nobis conferat meritorum.*

§. 7.

PRofert quæstionem S. Petrus Chrisologus, (a) quid est magis tremendum, quod se Deus dedit terris, aut quod vos dat cœlo? & respondet deinde, est utique terribilius, quod terra transfertur in cœlum, homo Deitate mutatur. Consimili forma verborum nobis qui efficaciam SPEI Nostræ vidimus quærendum est: quid est jucundius quid dulcius, an quod Virgo terra, dedit se cœlo, an quod terrenosi & pœnè in limum immundum versos, extrahit de luto, trahit & elevat sursum? Utique hoc posterius. Nam quod Virgo se dedit cœlo, tàm fuit pronum ac avi in altum volare: sed quod peccatores, massa plumbi, plumbum exuant, & veluti aves in cœlum subvolent, hoc omnis natura non potest. Magnum factum miraculum est, cum caro ad unionem verbi subjecta est: quia tunc inquit Basilius Domini caro terra, (b) per affinitatem cum Deo sursum assumpta elevataque: ista tamen benedicta terra nil attulit quod gravaret, nil tenuit quo resisteret. Quando autem meritis SS. Virginis, SPEI nostræ, peccator terra ascendit sursum, illud ascendit, quod prius omnibus montibus & plumbis prægravabat: illud elevatur, quod ipsi Deo & potentiæ ejus resistebat, o grande miraculum, Virginis factum! dignum,

(m) *Bern. serm. super missus.* (a) *Chrisol. ser.* 67. (b) *Basil. in c. 2. Isai.*

gnum, ad cujus magnitudinem cœlum obstupescat, & omnis creatura! O mons magne! quantum tu trahis ad te, quantum elevas terram! non solum ad tacitum tribunal, pro mundo, non tantum ad altare pro cibo; non modò ad claustrum pro tuto, sed etiam ad cœlum, ad thronum pro æterno. Verè de te servus tuus Albertus M. (c) *elevabitur eminentia Sanctitatis super colles dignitatum Angelicarum, & pro impetranda gratiâ fluent ad eum omnes gentes.* Ita est? defluxerunt secula, & cum seculis defluxerunt gentes, aliæ natæ pro aliis quasi fluctus post fluctus venere, & istæ fluent ad montem. Quis enim in Spem certam se non extendit?

§. 8.

PLaceat tibi Munde Christiane, æmulari Matrem divinam & tuam. Illa elevata in gloriæ verticem, trahit gentes sursum, cur non & tu tractus in honoris sublime, trahis in cœli sublime quos potes? Illa, flumina beneficiorum fluentibus & confluentibus ad se populis dividit, cur non & tu mons gratiarum factus, temet spargis in egentes? Pulchrum est dicere Virgini, Salve spes nostra, pulchrius feceris, cum feceris alios tibi applaudere, Salve spes nostra. Imple vacuum tua misericordia, resperge aridum tua largitate, sic illum poteris tibi & Virginem demereri, ut cum tibi dixerit mundus & præsens fortuna vale tu audias à Virgine tibi dici, Salve à pauperibus

(c) *Alb. M. in c. 10. Lucæ.*

peribus concrepari, Salve. S. Bernardus (*a*) expendens quomodo Dominus in sua serenissima transfiguratione, operatus est mirabilia, *ibi* inquit, *elevavit Spem nostram.* Quomodo verò Spem elevavit? quia ostendit, (*b*) *quo præcessit gloria capitis, eo gloriæ, membra esse ventura.* Porrò Spem suam ille elevat, seque ad figuram substantiæ paternæ parat & format, (*c*) qui assumptus ad montem excelsum, hoc est ad fortunæ sublimioris honorem, egentibus & minoribus, beneficentiæ suæ radiis resplendet. Pulchrum erat Christo testibus undique coronari, (*d*) eorumque vocibus ornari, quando ut ait B. Remigius, Pater de cœlo. Moyses ab inferno. Elias de Paradiso, (*e*) Petrus de humo conclamarunt, hic est filius Dei. Nec minus jucundum erit audire homini in judicio divino, cum incipientibus Servulis MARIÆ, & fratribus Christi pauperibus, jam Spes nostra Virgo, jam altera & maxima item Spes nostra Dei filius pro nobis conclamabunt, dignus est de gradu seculi fluentis, ad gradum seculi semper stantis promoveri, quia hic, aliis Dominus, pauperibus vixit & fulsit Frater. Elevavit vivens Spem suam, elevetur functus ad rem & speratam felicitatem suam. Monet Eugenium Papam, Pater ejus in Spiritu Bernardus, (*f*) *monstrosa res est, gradus summus & animus imus.* Imus autem animus ejus in corpore hospitatur,


(*a*) *S. Bern. serm. de transfig. Dom.* (*b*) *Leo. ser. de transfig.* (*c*) *Hebr.* 1. *v.* 4. (*d*) *Matth.* 17. (*e*) *Remig. in c.* 17. *Matth.* (*f*) *Bern. de consid. ad Eugen.*

tatur, qui depreſſos imæ Sortis onere, non reſpicit, non ſolatur, non reficit, ſeque ad imos terrarum non recordatur venturum, ubi omni paupere pauperior mendicabit miſericordiam, ſed ſi non ſevit eam in agro Domini, in corde egentium, quomodo, inveniet, accipiet, metet eam? Dicebat quidam Cæſarum cujus oſtia palatii cuique miſero patebant, *Cæſar ſum, ſummus ſum, nummus non ſum. Iſte clauſus in arca latet, ego claudi nolo, qui patere cunctis debeo.* Cœterum qui ſummus à Deo creatus, invium ſe præbet hominibus, ut ſua non communicet hominibus, hunc ego, ſummum & nummum mea voce, ejus facto pronuntio. Vocata vitis ad regnum, reſpondet (g) *quomodo poſſum deſerere vinum meum?* invitata ficus ad ſceptrum, ait, *nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam?* Stultæ arbores, accipite regnum, & præmittite ad regnum, vinum veſtrum, dulcedinem veſtram. Sinite vos fugi, vos manducari, ut ſuffragia plura & potentiora pro regno cœleſti vobis comparetis. Ecce Virgo, Spes mundi in cœlos elevata, & de cœlis fundit ſua vina ut vitis, excutit dulces groſſos, ut amabilis ficus. Fluunt ad illam omnes gentes, & fluent dum ſecula ſuis rivis ſive aureis ſive ferreis ibunt, & illa fluentibus ſpargit botros, fundit vina, monſtrat ficus, applicat ſuam dulcedinem. Hanc imitemini Elevatam elevati. Clamatis cum Seraphico, (h) *in exitu animæ meæ de hoc*

(g) *Jud.* 9. 8. 11. 12. (h) *Bona. in pſalt. Majori. In exitu.*

hoc mundo, occurre illi Domina, suscipe eam, esto illi scala ad regnum cælorum. At illa vobis, Domini Elevati in itu vitæ vestræ per hunc mundum, occurrite pauperi, suscipite illum, estote scala in regno vestro, ut illi fiant vobis scala pro regno Dei. Elevati elevate Spem vestram.

FINIS.



I N D E X
RERUM & VERBORUM.

A.

Hodie

ho-

igne

The-

A. M. D. G. B. que V. M. S. L. O. C. Honorem.



